# SUMMA
# IURIS CANONICI

IN AUDITORUM USUM

EX PRAESTANTISSIMO ORDINIS CANONISTA

**R. P. Fr. ANACLETO REIFFENSTUEL**

ALIISQUE PROBATIS AUCTORIBUS PRAESERTIM RECENTIORIBUS

COMPACTA ET REDACTA

OPERA

**Fr. MICHAELIS SLEUTJES O. F. Min.**

IN GENERALI ORDINIS COLLEGIO S. ANTONII DE URBE

IURIS CAN. LECT.

## LIBER I. - DE IURE ET MAGISTRATU

(PRO MANUSCRIPTO)

ALMA COLLEGE
348.72
LIBRARY
Sl28
Alma, California

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA INSTITUTI PII IX

IUVENUM OPIFICUM A S. IOSEPHO

1907

31334

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/summaiuriscanoni0000vari

## Iuris canonici interpretes valde utiliter consulendi

⁂

**Benedictus XIV** (Prosper Lambertini): *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione. — De Synodo dioecesana. — Institutiones ecclesiasticae. — Quaestiones canonicae et morales.* « Ipsius opera canonica optimo iure in scientia canonica habentur classica » (Wernz, *Ius decretalium* tom. I n. 324 Ed. 2. p. 445).

**Reiffenstuel** (Anacletus) O. F. M.: *Ius canonicum universum*, « quod universas quaestiones canonicas clare et solide et eximia legum et canonum scientia proponit, ideoque usque ad nostram aetatem etiam in Curia Romana magni habetur » (Wernz loc. cit. n. 320 p. 434).

**Schmalzgrueber** S. I.: *Ius ecclesiasticum universum,* « quod universam doctrinam canonicam perspicue et complete pro sua aetate proponit et etiam nunc magni habetur. Huius operis anno 1747 Augustae Vindelicorum prodiit *Compendium;* Schmalzgrueber quoque bene abbreviatus maxima ex parte dicendum est Ius canonicum a Grandclaude Parisiis 1882-1883 publicatum » (Wernz loc. cit.)

**Pirhing** S. I.: *Ius canonicum*; « quod opus merito insigne habetur et non paucis successoribus fuit exemplum et fons et thesaurus ». Huius operis exstat compendium sub titulo: *Facilis et succincta ss. canonum doctrina;* citari solet titulo *Synopsis Pirhingiana* (Wernz loc. cit. p. 433.)

**Maschat** Cler. Reg. Schol. Piarum: *Institutiones canonicae* (cum notis Ubaldi Giraldi ex eodem Ordine). « Institutiones illae canonicae propter praemissas Institutiones civico-canonicas et confectos elenchos utilissimos de immutationibus factis in iure decretalium per subsequentes leges et propter solidum et concinnum disputandi modum melioribus subsidiis in studio iuris decretalium sunt adnumerandae » (Wernz loc. cit. p. 435).

**De Angelis** et **Santi** [1]: *Praelectiones Iuris canonici,* « nunc quoque canonistis Romanis melioris notae vita functis sunt adnumerandi » (Wernz loc. cit. n. 328 p. 432).

**Craisson:** *Manuale totius iuris canonici.* « Quod opus solidis principiis innititur et praxi multum est accomodatum » (Wernz loc. cit. n. 329 p. 433).

**Philipps:** *Kirchenrecht,* opus incompletum et a Vering continuatum. — *Lehrbuch des Kirchenrechts,* cuius operis tertia editio prodiit latine sub titulo: *Compendium iuris ecclesiastici.* « Philipps in suis libris generatim praestat solidis et genuinis principiis atque eruditione historica » (Wernz loc. cit. n. 331 p. 437).

**Wernz** S. I.: *Ius decretalium.* Opus nondum completum: desunt Lib. IV Ius iudiciorum (tom. V) et Lib. V Ius criminale (tom. VI); quanti autem existimandum sit hoc opus patet ex eo quod iam ante opus finitum novam editionem parandi necessitas fuit.

Quae praecedunt opera sunt m a i o r a.

---

[1] Cuius opus pluries editum est a Leitner.

**Bargilliat:** *Praelectiones iuris canonici.*

**Ferrari:** *Summa institutionum canonicarum.*

**De Brabandere:** *Iuris canonici et Iuris canonico-civilis compendium.*

**Aichner:** *Compendium iuris ecclesiastici.*

**Sanguineti:** *Iuris ecclesiastici institutiones.*

**Laurentius:** *Institutiones iuris ecclesiastici.*

Opera minoris voluminis, in usum scholarum conscripta; sunt ad praxim accommodata, praesertim Bargilliat, De Brabandere et Aichner.

---

**Scherer:** *Handbuch des Kirchenrechts* (deest ius iudiciale et criminale.

**Saegmueller:** *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts.*

**Hergenroether-Hollweck:** *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts.*

**Heiner:** *Katholisches Kirchenrecht.*

Haec opera minoris voluminis, praestant, praesertim Saegmueller, ampla allata litteratura et additis notis historicis [1]; ceterum academicae potius quam practicae institutioni sunt accommodata.

---

**Feye:** *De impedimenus et dispensationibus matrimonialibus.*

**Gasparri:** *Tractatus canonicus de matrimonio.* — *Tractatus canonicus de sacra ordinatione.* — *Tractatus canonicus de sanctissima Eucharistia.*

---

[1] Huc etiam spectat *Hinschius* (auctor protestans): *System des katholischen Kirchenrechts*, opus maius (6 vol.) nondum ad finem perductum.

**De Becker:** *De sponsalibus et matrimonio.*

**Many:** *Praelectiones de Missa* cum appendice de sanctissimo Eucharistiae sacramento. — *Praelectiones de locis sacris.* — *Praelectiones de sacra ordinatione.*

**Lega:** *Praelectiones in textum iuris canonici de iudiciis ecclesiasticis.* Huius operis ab ipso auctore praeparatur *Compendium* divisum in duos libros, quorum prior iam prodiit.

**Lucidi:** *De visitatione sacrorum liminum.*

**Gennari** (S. R. E. Card.): *Consultazioni morali-canoniche-liturgiche. — Sulla privazione del beneficio ecclesiastico e sul processo criminale dei chierici.*

---

*Canones et decreta Concilii Tridentini* Ed. **Richter-Schulte:** accedunt suis locis S. C. C. declarationes ac resolutiones et constitutiones pontificiae recentiores ad ius commune spectantes.

*Acta et decreta concilii plenarii Americae latinae* in Urbe celebrati anno Domini 1899, cum *appendice,* in qua collecta habentur plurima documenta authentica ad rem canonicam spectantia.

*Commentarium in facultates apostolicas* episcopis necnon vicariis et praefectis apostolicis per modum formularum concedi solitas (**Konings-Putzer** C. SS. R.), in quo post brevem tractatum de facultatibus apostolicis in genere (scil. de earumdem notione et indole, interpretatione, communicatione et cessatione, ac usu) exponuntur variae earumdem formulae.

---

*Instructio pastoralis Eystettensis,* elaborata iuxta ordinem episcopis in visitandis parochiis in Pontificali Rom. part. III praescriptum, in qua « nova et vetera decreta,

quae a S. Sede et a cathedra Eystettensi pro cura pastorali obeunda edita diversimode promulgata et valde dispersa inveniuntur, ad instar codificationis » (1) collecta habentur.

*Synopsis rerum moralium et iuris pontificii* alphabetico ordine digesta auctore **Benedicto Oietti** S. I. Huius operis, iam denuo in voll. 2 editi, sub prelo est editio tertia in voll. 3.

Haec duo opera valde commendanda sacerdotibus in cura animarum laborantibus.

---

(1) Cfr. praemissum *Edictum episcopi* p. VII.

# PROOEMIUM

**1.** In hoc prooemio traduntur notiones generales, quae ad doctrinam canonicam intelligendam excolendamque praesupponuntur; est proinde huius prooemii

1) **Indoles** introductoria, ut sii via quae ducit ad portam, imo et ipsa porta quae intromitttt in legislationis aedificium ex structura magnificentissimum, ex fine salutare et sanctum, ex dispositione aptissimum sapientissimumque; quod proinde ut introeamus ac pervadendo perquirendoque quam plenissime fieri potest cognoscamus sua perfectione invitat.

2) **Conspectus** huius proemii exhibetur hisce quinque capitibus, quibus scientiae canonicae praenotiones apte comprehendi videntur, scilicet: de I. C. natura, de iure antiquo, novo, novissimo, de ss. canonum interpretatione.

## § 1. — DE IURIS CANONICI NATURA.

Cfr. Reiffenstuel *Prooemium* nn. 1-50; Wernz (Ed. 2) tom. I nn. 45-62; Sanguineti (Ed. 4) nn. 40-59; Bargilliat (Ed. 14) nn. 1-15.

***Summarium:*** Quatuor sunt huius paragraphi puncta: 1) I. C. notio. varia nomina, divisio; 2) I. C. obiectum; 3) I. C. fontes collectiones; 4) scientia canonica.

## 2. I. C. notio, varia nomina, divisio.

1. **Iuris Canonici notio**. Primum explicandum ipsum *iuris* vocabulum, cuius **duplex** habetur **principalior acceptio:** subiectiva scil. et obiectiva.

Subiective sumptum ius est facultas moralis ad aliquid inviolabilis: sic superior dicitur habere ius praecipiendi, — ius recipiendi sacramenta, — ius docendi etc.

Obiective sumptum ius idem dicit quod lex et praesertim denotat legum complexum: sic dicitur ius italicum, germanicum, gallicum, hispanicum etc.; et hoc sensu praesertim vocabulum *iuris* accipitur in scientia iuris.

Praedicta duplex iuris acceptio dicitur principalior; dantur enim et aliae iuris acceptiones potius secundariae, quum ad principaliores referantur: sic. v. g. ius accipitur pro sententia iudiciali (ius dicere), pro tribunali seu loco in quo ius redditur (in ius vocare) (1).

**Ius canonicum** intelligitur generatim complexus legum, quibus regitur societas ecclesiastica. Huiusmodi leges aut a Deo sunt constitutae aut ab auctoritate ecclesiastica latae vel saltem propositae: utraequo leges si considerantur habetur

1) ius canonicum sensu latiore sumptum, et definitur a Wernz (2), ut sit complexus legum sive a Deo sive ab ecclesiastica potestate latarum, quibus constitutio atque regimen et disciplina Ecclesiae catholicae ordinantur: qua in definitione *constitutionis* nomine intelligitur modus quo Ecclesia se habet in suo esse societatis, *regimen* denotat formam exercendi potestatem variis magistratibus ecclesiasticis traditam et administrationis modum, *disciplina* dicitur membrorum Ecclesiae vivendi ratio: hoc sensu sumptum Ecclesiae ius ecclesiasticum potius appellandum videtur quam canonicum; — si autem considerantur leges po-

(1) Cfr. Reiffenstuel loc. cit. nn. 5 et 6. — (2) Loc. cit. n. 46.

steriores tantum, ab ecclesiastica scil. potestate latae vel saltem propositae, habetur

2) ius canonicum sensu strictiore et proprio sumptum, et definitur a Reiffenstuel [1], ut sit ius positivum ex ss. canonibus (hoc est regulis ecclesiasticis) collectum, et ad recte vivendum aeternamque salutem consequendam, et ad iustitiam in populo christiano conservandam constitutum. Qua in definitione insinuatur I. C. origo, quae est a sola potestate ecclesiastica, utpote cui soli competit ss. canones seu regulas ecclesiasticas statuere, — subiectum passivum, qui sunt soli christiani, utpote qui per baptismum in Ecclesiam recepti eiusdem partes et membra evaserunt, — finis tam proximus, qui est bonum fidelium spirituale et iustitia in populo christiano conservanda, quam ultimus qui est aeterna fidelium salus post hanc vitam in coelis consequenda.

***Nota.*** Sunt AA. praesertim inter antiquiores qui ius canonicum strictissime sumunt pro complexu legum a suprema in Ecclesia potestate conditarum.

II. **Iuris canonici varia nomina**. Dicitur

1) **canonicum** a verbo graeco κανων (regula), quo nomine ex usu antiquissimo designatur lex ecclesiastica, ut ipso nomine insinuetur Ecclesiae imperandi modus suavior et modestior prae auctoritate civili, cuius praescripta proinde dicuntur leges a ligando;

2) **pontificium** a parte potiore; quoad maximam enim partem constitutum est a Rom. Pontifice;

3) **sacrum** ab auctore, materia et fine, quae sacra dignoscuntur, et exinde praecise differt a iure civili, quod ex auctore, materia et fine est profanum. — In aliquibus iuris textibus dicitur etiam divinum, quod intelligendum sensu latiore, quatenus scil. a potestate ec-

---

[1] Loc. cit. n. 36.

clesiastica divinitus instituta ipso Spiritu S. assistente est constitutum.

III. **I. C. divisio**. Praecipue dividitur:

1) Ratione **formae** in scriptum, quod ab ipso legislatore expresse conditum scriptis legibus promulgatur, et non scriptum, quod traditione vel legitimo populi usu ortum est.

2) Ratione **ambitus** [1] in commune (universale seu generale), quod regulam in toto orbe catholico ordinarie servandam constituit sive pro omnibus omnino fidelibus (absolute commune) sive pro certis tantum personarum coetibus, v. g. pro clericis vel regularibus (respective commune), et particulare (territoriale), quod regulam alicuius determinati territorii propriam constituit, speciale dicitur, quod exceptionem a regula ordinaria continet sive favorabilem sive odiosam.

3) Ratione **temporis** in antiquum, quod inde ab Ecclesiae incunabulis viguit usque ad Gratiani decretum i. e. usque ad medium saec. XII (1151), novum, quod a Gratiani decreto usque ad Conc. Trident. se extendit (appellatur et *ius decretalium*), ac novissimum, quod leges a Conc. Trident. sancitas, et deinceps, latas complectitur.

### 3. I. C. obiectum

1) **materiale,** i. e. res quas respicit et ordinat ius canonicum, sunt fides, mores, et disciplina; demonstratur ex fine legislationis ecclesiasticae, siquidem recta christianorum institutio et Ecclesiae gubernatio (quae sunt legislationis ecclesiasticae finis) tria postulat, scil. fidei integritatem, morum puritatem, et disciplinae seu externae membrorum Ecclesiae vivendi rationis custodiam. Hinc distinguuntur **canones fi-**

---

[1] Paulo aliter hanc divisionem explicat Wernz loc. cit. n. 50 III,

**dei,** qui continent veritates theoreticas credendas, ideoque regulam statuunt eorum, quae in rebus fidei firmiter sunt tenenda; **canones morum**, qui proponunt veritates practicas seu morales, versantur itaque in proponendis explicandisque praeceptis divinis, quibus mores hominum informantur; **canones disciplinae,** qui feruntur ad puritatem fidei, honestatem morum, ac rectam in Ecclesia vivendi rationem tuendam, versantur proinde *a*) in tutela fidei et morum per latas opportunas leges et statutas poenas, *b*) in determinandis praeceptis divinis et naturalibus, in quantum scil. accuratius determinant, quod iure divino et naturali generali tantum aliqua ratione est prohibitum vel praescriptum, v. g. de sanctificatione diei dominicae; *c*) in regenda societate ecclesiastica, neque enim omnia, quae ad eam gubernandam opus sunt, ius naturale et divinum constituerunt: haec tria ad disciplinam externam pertinere dicuntur.

At non omnis fidei morumque ac disciplinae respectus ad ius canonicum pertinet sed solum sub quadam speciali ratione legislationis ecclesiasticae propria: quae ratio est prout sunt actus sociales et hinc externi, et ad ipsam christianam societatem perficiendam ordinantur, ut scil. finem suum assequatur. Hinc obiectum

2) **formale** sunt fides, mores et disciplina prout sunt media ad finis assecutionem membris Ecclesiae obligatorio modo proposita, seu prout lege ecclesiastica sua sanctione munita proponuntur [1].

### 4. I. C. Fontes ac collectiones.

1. **I. C. fontes,** e quibus scil. ius canonicum fluit vel hauritur (habetur, demonstratur, cognoscitur),

---

[1] Cfr. Sanguineti loc. cit. n. 45 5) p. 29.

1) alii dicuntur **fontes existendi** (essendi) seu materiales: intelliguntur verae causae efficientes legum canonicarum seu modi illi quibus huiusmodi leges habentur. Sunt autem imprimis constitutiones Rom. Pontificum, decreta conciliorum oecumenicorum, necnon decreta SS. Congregationum Romanarum, ex delegata, qua utuntur, a Rom. Pontifice auctoritate; dein consuetudo; praeterea decreta praesulum Rom. Pontifice inferiorum ab iisdem lata sive singulis sive in synodis adunatis; tandem rescripta, privilegia ac concordata. Ex quibus alii sunt fontes iuris communis, alii iuris particularis vel specialis;

2) alii dicuntur **fontes cognoscendi** seu formales: intelliguntur monumenta seu promptuaria, in quibus reperiuntur, ac ex quibus tamquam ex medio obiectivo cognoscuntur leges in Ecclesia legitime latae. Sunt autem quae dicuntur I. C. collectiones.

II. **I. C. collectiones,** seu libri illi, in quibus leges ecclesiasticae maiore minoreve ambitu reperiuntur collectae, plures iam inde a primis Ecclesiae temporibus prodierunt tam in Ecclesia occidentali quam in orientali; ex quibus aliae sunt chronologicae, referentes canones iuxta ordinem eorumdem chronologicum, aliae systematicae, quum canones referunt iuxta systema aliquod praestitutum seu ordinem rerum.

In his collectionibus **triplex auctoritatis respectus** est distinguendus:

1) Auctoritas **historico-scientifica:** intelligitur quae habetur ex documentorum quae referuntur genuitate et integritate; qua auctoritate quae gaudent collectiones dicuntur genuinae; quae non gaudent spuriae vel apocryphae vocantur;

2) **iuridica** seu **legalis:** dicitur quae procedit ex auctoritate legislatoris collectionem tamquam codicem pro-

ponentis, ita scil. ut singulae leges vi ipsius insertionis in huiusmodi collectionem valorem legum universalium in foro ecclesiastico habeant, licet forte textus quidam inserti extra collectionem fuerint spurii aut valore saltem iuridico destituti aut vi tantum legis particularis praediti: ex hac auctoritate collectio vocatur publica, dum quae eadem caret collectio privata appellatur;

3) **officialis:** dicitur quae habetur ex testimonio publico auctoritatis ecclesiasticae declarantis singula documenta in aliqua collectione relata esse absolute genuina, ita ut nemo illa in iudicio repellere possit, valor tamen iuridicus documentorum per insertionem in talem collectionem non sit mutatus: ex hac auctoritate collectio dicitur authentica.

### 5. Scientia canonica.

1. **Scientiae canonicae notio** ea est, ut sit scientifica exhibitio seu cognitio iurium legumque ecclesiasticarum. Quae scientifica exhibitio seu cognitio triplici perficitur elemento: imprimis enim leges vigentes, omissis obsoletis et antiquatis, ex legitimis fontibus sunt eruendae, proponendae, legum valor iuridicus eorumque sensus, necnon conclusiones exinde deductae rationibus intrinsecis et extrinsecis sunt demonstrandae ac confirmandae, ac contra difficultates et exceptiones sunt vindicandae; — deinde iuris vicissitudines ac mutationes per decursum temporum sunt investigandae ac vigentis disciplinae origo ex institutis veteribus est ostendenda: quae historica eruditio plurimum confert ad iuris intellectum, imo maxime est necessaria nostra aetate, qua canonistae acatholici praesertim ex historia pro suo modo intellecta doctrinam canonicam catholicorum impugnant; — tandem universa doctrina canonica ac singula iura legesque sunt pertractanda apto ordine. Ex quo triplici elemento consequitur triplex in scientifica I. C.

expositione adhibenda methodus, scil. positivo-scholastica, historica ac philosophica.

II. **Scientiae canonicae relatio ad ceteras theologicas disciplinas,** theologiam nempe tum dogmaticam quum moralem, et historiam ecclesiasticam: quae relatio est convenientiae et discrepantiae.

**Conveniunt** in obiecto materiali, quod omnibus commune sunt fides, mores et disciplina.

**Differunt** in obiecto formali, siquidem ius canonicum spectat actus exteriores, atque in eos inquirit quatenus conformes sunt vel esse debent legi Ecclesiae sua sanctione munitae; theologia dogmatica spectat fidem, mores et disciplinam ratione conformitatis cum regula fidei in ordine ad veritatem; theologia moralis ratione conformitatis cum regula morum in ordine ad bonitatem vel pravitatem; historia ecclesiastica in evolutione historica, quam serie temporum in vita sociali Ecclesiae fides, mores et disciplina habuerunt.

III. **Scientiae canonicae necessitas.** Scientia canonica, saltem summaria, necessaria est utrique clero imprimis ratione ipsius status clericalis; sunt enim clerici Ecclesiae ministri, a quibus ipsa recte expectat, ut data occasione doceant fideles iura ecclesiastica, eaque propugnent defendantque contra adversarios. Quae necessitas stricta obligatio est quoad illa iura ecclesiastica, quae quisque pro sua conditione, v. g. regulari, sacerdotali, pro munere parochiali etc., observare tenetur.

Completioris dein ac solidioris scientiae canonicae necessitas est iis qui ad lectoratum in iure canonico obtinendum se praeparant; recte enim et fructuose scientiam docere nequit, qui eiusdem intellectum pleniorem perfectioremque non acquisiverit.

Praesertim hac nostra aetate summi momenti est studium canonicum, eo quod inimici Ecclesiae nihil omittunt,

ut eiusdem iura ac leges impugnent ac subvertant. Hinc nil mirum hac nostra aetate SS. Pontifices Pium IX in Encyclica *Inter multiplices* 21 Mart. 1853 ad Episcopos Galliae et Leonem XIII in Encyclica ad Episcopos Hungariae 22 Aug. 1886 solidam ss. canonum scientiam gravissimis verbis clero commendasse.

Ad modum canonicae scientiae studendi eamque addiscendi quod spectat Wernz loc. cit. n. 61 proponit consilium quod Maldonatus celeberrimus theologiae professor suis auditoribus dedisse traditur ad studium theologicum recte ordinandum: quod cl. Professoris consilium breviter enuntiatur hisce verbis: *Audire professorem, legere, scribere, disputare, repetere.*

## § 2. — De iure antiquo.

Cfr. Wernz tom. I nn. 200-226; Bargilliat tom. I nn. 122-130; Sanguineti nn. 4-22; Saegmueller §§ 34-40; Hergenroether-Hollweck nn. 202-226.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi puncta: 1) iuris antiqui conspectus generalis; 2) collectiones pseudo-apostolicae; 3) collectiones graecae; 4) collectiones latinae.

### 6. Iuris antiqui generalis conspectus.

Ius Ecclesiae primordiale, praeterquam legibus divinis in S. Scriptura et traditione contentis, **constat** institutis apostolicis potius voce et exemplo quam scripto legum codice propositis, necnon ordinationibus singulorum episcoporum, quibus ob ethnicorum persecutiones, et exinde necessario existentem Ecclesiae statum externum, ad suam ecclesiam rite administrandam plura ordinanda relinqui debebant, quamquam etiam ex hisce saeculis habeantur monumenta splendidissima tum connexionis mutuaeque dependentiae inter varios subordi-

natos hierarchiae gradus, tum maxime agniti semper, ubique et ab omnibus primatus pontificii, prout tradit Eusebius (1). — Ad haec iura, inde a data Ecclesiae pace, insequentibus saeculis accesserunt conciliorum praesertim oecumenicorum canones, necnon Rom. Pontificum epistolae decretales, quarum etsi plures perierint, plures tamen ex prioribus saeculis, nominatim IV et V, reliquae sunt.

Iuris antiqui plures habentur collectiones, quae quum iamdiu ab usu recesserint, magis ad iuris historiam quam ad praxim spectant; de harum igitur solis praecipuis quaedam historice breviter referuntur.

### 7. Collectiones pseudo-apostolicae.

Inde a primis saeculis circumferebantur scripta Apostolis vel uni ex ipsis falso attributa, ex quibus nonnulla sunt, quae ex maiore minoreve parte ad rem canonicam spectant. Sunt autem:

1) **Didache** seu doctrina Apostolorum, verosimilius ultimis decenniis saec. I in Syria vel Palaestina orta.

2) **Didascalia** i. e. doctrinalia seu institutiones Apostolorum, similiter in Syria vel Palaestina orta versus medium saec. III.

3) **Canones ecclesiastici** seu ordinatio ecclesiastica Apostolorum, verius nata circa finem saec. III probabilius in Aegypto. — Praecipuum tamen locum obtinent

4) **Constitutiones Apostolorum** cum **Canonibus Apostolorum.** Haec collectio satis ampla complectitur octo libros, in quorum ultimo recensentur canones Apostolorum numero 85. Constat ex communiore recentiorum sententia variis scriptis durante saec. III et IV diversis temporibus a pluribus confectis. Ast post

(1) Hist. eccles. lib. VII, cap. 30.

novum solidumque examen criticum a Funk institutum potius admittendum unum eumdemque auctorem omnes dictae collectionis libros, non exceptis additis canonibus Apostolorum, circiter ineunte saec. V in Syria adhibitis fontibus antiquioribus composuisse.

Praefatae **Constitutiones,** quae iam a Conc. Trullano (anno 692) fuerunt reiectae, utpote ab haereticis falsificatae, vix ullam, etiam in Ecclesia orientali multoque minus in occidentali, vim in iure canonico efformando exercuerunt. — **Canones** vero, quos praedictum Conc. recepit, auctoritatem obtinuerunt in Ecclesiae orientali, non item, saltem ante collectionem Dionysianam (de qua paulo inferius), in Ecclesia occidentali, utpote qui in decreto Gelasii Papae (494-496) ut apocryphi reprobantur. Postea vero ex iis 50 priores, recepti in praefatam Dionysii collectionem, fortasse hanc ipsam ob causam etiam in occidente fuerunt admissi, ita ut Conc. Trid. [1] ad eosdem Canones Apostolorum provocaverit.

Ceterum collectiones pseudo-apostolicae praefatae omnes, licet perspecta earumdem origine ut fontes iuris non iam allegantur, tamen, demptis quibusdam falsificationibus ac erroribus, iuris antiqui disciplinam testandi vim habent.

### 8. Collectiones graecae.

Inter orientales collectiones primum locum obtinet

1. **Codex canonum conciliorum adhibitus in Conc. Chalcedonensi** (a. 451). Hic codex primum constitisse videtur solis canonibus conciliorum particularium Ancyrae et Neocesareae in Ponto anno 314 vel circa celebratorum; quibus dein adiecti sunt canones concilii Gangrensis (a. 343), et praedictis omnibus praepositi canones concilii Nicaeni I (a. 325); postea additi sunt

---

[1] Sess. XXV, cap. 1, *de reform.*

post canones Gangrenses canones concilii Antiocheni (a. 341). Talis fuit codex adhibitus in conc. Chalcedonensi, in quo codice praefatorum conciliorum canones continuis numeris secundum ordinem praedictum erant dispositi. — Dein accesserunt canones conciliorum Laodicensis (post a. 345) Constantinopolitani (a. 381), Ephesini (a. 431) et Chalcedonensis (a. 451). — Tandem post canones Nicaenos vel Neocesareenses inserti sunt canones concilii Sardicensis (a. 343) et universae seriei praemissi 85 canones Apostolorum.

Huic collectioni chronologicae saec. VI subsecutae sunt

II. **Collectiones systematicae.** Imprimis circa a. 535 ab ignoto auctore confecta est systematica collectio constans 60 titulis, additis ex Codice Iustinianeo 25 constitutionibus circa res ecclesiasticas sub nomine « Collectionis 25 capitulorum » : haec collectio periit, supersunt ex ea solae dictae 25 constitutiones imperiales.

Iuxta hanc collectionem aliam meliore ordine systematico digestam ac in 50 titulos divisam circa a. 550 composuit Ioannes Scholasticus presbyter Antiochenus et postea Patriarcha Constantinopolitanus, addita ex Novellis Iustiniani appendice quae inscribitur « Collectio 87 capitulorum ».

Postea accesserunt collectiones

III. **Nomocanones** dicti, ex eo quod in iisdem post leges ecclesiasticas (κανονες) inserebantur correspondentes leges imperiales (νομοι). Primum exemplum est nomocanon constans 50 titulis circa finem saec. VI confectus et falso Ioanni Scholastico adscriptus. Saec. VII alius huiusmodi nomocanon fuit compositus, quem Photius anno 883 secundis curis auxit et expolivit.

***Nota.*** Fontes recentiores iuris Ecclesiae orientalis catholicae magna ex parte recensentur in tomo II Collectionis Lacensis conciliorum recentiorum.

## 9. Collectiones latinae.

Inter collectiones latinas seu occidentales commemorandae sunt

I. **Versiones canonum graecorum.** Primitus in Occidente divulgata est versio solorum canonum Nicaenorum, cum quibus tamen continuis numeris ita coniuncti erant canones Sardicenses, ut quasi unius concilii decreta esse viderentur, et pariter sub nomine « *canonum Nicaenorum* » allegarentur. — Saec. V in Italia exstabant duae canonum graecorum versiones: altera dicta hispanica vel Isidoriana, ex eo quod falso putabatur in Hispania confecta, et inveniebatur in quadam collectione perperam attributa S. Isidoro Hispalensi, altera italica vel prisca vocata ex eo quod in Italia confecta et a Dionysio Exiguo in praefatione ad suam collectionem nomine « *translationis priscae* » indicata credebatur.

Celeberrima inter latinas est

II. **Collectio Dionysiana** appellata a Dionysio Exiguo, monacho, natione Scytha. Hic quum post mortem Gelasii Papae († a. 496) Romam venisset, ineunte saec. VI canones graecos in unum collectos accuratiore ac elegantiore sermone latino reddidit, deinceps non multo post primus composuit collectionem decretalium Rom. Pontificum: quarum utraque collectio ab ipso auctore tandem aliquatenus mutata et aucta ac in unum coniuncta constituit eam quam habemus **Dionysianam** collectionem. Tertia quaedam collectio, ab eodem auctore ex mandato Hormisdae Papae confecta, scil. canonum synodarum graecarum iuxta posita versione latina, non amplius existit; sola superest praefatio.

Collectio Dionysiana, cuius duplex habetur redactio, in harum posteriore complectitur post 50 primos ex canonibus Apostolorum, 165 continuis numeris canones Ni-

caenos, Ancyranos, Neocaesareenses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenses et Constantinopolitanos, deinde canones Chalcedonenses et Sardicenses, utrosque sua propria numeratione notatos; ac tandem 138 canones approbatos a concilio Carthaginiensi anno 419 celebrato: qui canones priorem partem constituunt. Altera pars comprehendit decretales epistolas Rom. Pontificum a S. Siricio (a. 384-398) usque ad Anastasium II († a. 498), quibus insequentibus temporibus decretales succedentium Rom. Pontificum aliena manu accessere.

Haec collectio, licet privata, non solum in Occidente sed et in Oriente maximam obtinuit celebritatem, praesertim postquam Adrianus Pp. I eamdem quibusdam monumentis auctam (unde collectio *Adriana* seu *Dionysio-Adriana* vocatur) tradidit Carolo Magno imperatori Francorum a. 774 Romae degenti, qui postea a. 802 in Synodo Aquisgranensi suasor et auctor extitit, ut dicta collectio Dionysio-Adriana tamquam codex canonum ab episcopis sui imperii reciperetur et approbaretur [1].

Dionysianam collectionem usque ad saec. IX plures aliae secutae sunt collectiones, variae pro variis regionibus, ex quibus aliae sunt collectiones proprie dictae, aliae breviationes seu compendia ex collectionibus excerpta et systematico aliquo ordine disposita: inter has eminet collectio hispana quae iam in conc. Toletano IV (a. 633) ceu « *Codex canonum* » apparet, et deinceps continuis additionibus locupletata saec. IX S. Isidoro Hispalensi falso fuit adscripta, et hinc etiam Collectio Isidoriana dicitur. Quae omnes tum collectiones quum breviationes sicuti et Dionysiana, ex genuinis dumtaxat documentis sunt confectae.

At inde a saec. IX usque ad XII plures evul-

[1] Cfr. Saegmueller, p. 109 sq.

gatae sunt collectiones falsis ac falsificatis documentis corruptae, inter quas principem locum occupat

III. **Collectio pseudo-isidoriana** vocata ex falso nomine auctoris Isidori vel Mercatoris vel Peccatoris, et exinde S. Isidoro Hispalensi auctori falso tributa.

Haec collectio per sex fera saecula ceu genuina habita eamdem apud omnes consecuta est auctoritatem quae veris sincerisque canonibus et decretalibus debetur, ac eadem absque ulla falsi suspicione usi sunt theologi et canonistae, usque dum saec. XV fere medio Cardinalis Nicolaus Cusanus († a. 1464) primus omnium tranquillam huius collectionis possessionem turbavit; atque ex novis dein institutis inquisitionibus iamdiu constat apud omnes, eamdem esse falsificationibus plenam.

Huius collectionis **contentum** hisce describit Wernz [1]: « Post praefationem... sequuntur tres epistolae apocryphae atque ordo de celebrando concilio. Deinde in prima parte recensentur 50 canones Apostolorum et 60 epistolae spuriae Rom. Pontificum a Clemente I usque ad Melchiadem inclus. (a. 311-314), e quibus 58 a Pseudo-Isidoro fuerunt confectae, duae vero iam antea extiterunt. In secunda parte cum aliquot documentis spuriis, inter quae reperitur donatio Constantini, proponuntur genuini canones conciliorum a concilio Nicaeno (a. 325) usque ad concilium Hispalense II secundum collectionem hispanam. Denique tertiam partem constituunt praecipue capitula decretalium venerabilium Apostolicorum sanctae Romanae Sedis Ecclesiae a Silvestro Papa (a. 314-335) usque ad decreta Papae Gregorii II in Synodo Romana anni 721 pariter ex collectione hispana deprompta, additis tamen nonnullis genuinis et 45 spuriis decretalibus pontificiis et aliquot epistolis ad ipsos Romanos Pontifices ab aliis scriptis ».

---

[1] Loc. cit., n. 216 I.

Ad **originem** huius collectionis quod spectat, auctor nulla solida coniectura designari potest; tempus publicationis AA. unanimi consensu indicant medium saec. IX, et certe ante annum 857 et post annum 845, probabilius inter annos 847-851. Locus originis ex veriore sententia statuendus videtur regnum occidentale Francorum sive Gallia, et accuratius vel provincia Rhemensis vel dioecesis Cenomanensis (Le Mans). Plane autem obsoleta nostra aetate dicenda est sententia illa, quae Romae hanc fraudem commissam fuisse quondam tenuit.

**Scopus a falsificatore intentus** fuisse videtur promotio reformationis ecclesiasticae eo tempore in Francia tantopere necessariae et expetitae, atque vindicatio et defensio iurium Ecclesiae contra multiplices usurpatores et invasores. Quorumdam vero sententia, ex qua falsificator directe et principaliter intenderit exaltationem potestatis Rom. Pontificis, hodie ceu plane improbabilis ab omnibus est derelicta.

Si quaeratur **de vi et efficacia** huius collectionis inter sententias extremas sibique oppositas via media videtur tenenda. Imprimis contra illos, qui huius collectionis effectus nimis extenuare videntur, omnino admittendum, constitutionem et disciplinam ecclesiasticam, quae iam saec. IX quoad substantiam postulatis Pseudo-Isidori fuit conformis, ex speciosis istis decretalibus veneranda antiquitate praeditis et per tantum temporis continuo allegatis haud levem accepisse approbationem et corroborationem. — E contra omnino reiicienda sententia illorum qui ex Pseudo-Isidori falsificationibus constitutionem Ecclesiae subversam et disciplinam ecclesiasticam substantialiter immutatam affirmant; indubitatum enim est in dicta collectione non multas insertas haberi vere novas iuris sanctiones, quod iam ostenditur ex sola facili et celeri collectionis divulgatione. Deinde alia, quae aliqua ratione videbantur nova, aut numquam

ad verbum in praxi ecclesiastica fuerunt recepta, aut ex natura rei, similibus sanctionibus, vel etiam antiquioribus canonibus commendabantur. Unde dicendum cum Saegmueller [1] disciplinam in collectione pseudo-isidoriana contentam *non* fuisse *realiter* seu *substantialiter* novam, sed *formaliter* tantum, utpote falsificatis et confictis documentis stabilitam.

## § 3. — De iure novo.

Cfr. Reiffenstuel *Prooemium* nn. 51-123; Wernz tom. I n. 230-257 et nn. 263-265; Bargilliat tom. I nn. 131-144; Laurin *Introductio in Corpus Iuris Canonici;* Sanguineti nn. 26-36; Saegmueller §§ 41-45; Hergenroether-Hollweck nn. 227-251.

***Summarium.*** Sex sunt huius paragraphi puncta: 1) Iuris novi conspectus generalis; 2) decretum Gratiani; 3) decretales Gregorii IX, Bonifacii VIII, et Clementinae; 4) Extravagantes; 5) Corpus iuris canonici; 6) Regulae Cancellariae Apostolicae.

### 1O. Iuris novi conspectus generalis.

Ius novum **continetur** imprimis in *Corpore iuris canonici,* cuius sex numerantur partes, nempe Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX, Liber sextus decretalium Bonifacii VIII, Constitutiones Clementinae, Extravagantes Ioannis XXII, et Extravagantes communes. — Deinde ad ius novum pertinent constitutiones pontificiae praedictis collectionibus posteriores usque ad Conc. Trident., et illae leges generales iisdem anteriores et non contrariae, quae earumdem vi non excluduntur iuxta dicenda inferius, praeterea Regulae Cancellariae Apostolicae, ac tandem canones conciliorum oecumeni-

---

[1] Loc. cit., p. 122 in fine § 39.

corum, quae celebrata sunt saec. XV et XVI usque ad Conc. Trid., et sunt Conc. Constantiense (a. 1414-1418) [1], Florentinum (a. 1438-1440) et Lateranense V (a. 1512-1517); siquidem aliorum conciliorum, quae infra iuris novi tempus fuerunt celebrata — quae sunt Lateranense III (a. 1179) et IV (a. 1115), Lugdunense I (a. 1245) et II (a. 1274) et Viennense (a. 1311) — canones et decreta iam continentur in praefatis collectionibus.

### 11. Decretum Gratiani.

1. **Origo.** Circa medium saec. XII auctore Gratiano monacho Benedictino (vel iuxta alios Camaldulensi) prodiit celeberrima illa ac omnium ditissima collectio, quae primitus inscripta est (forsan ab ipso auctore) *Concordia discordantium canonum,* eo quod canones aliaque monumenta, quae inter se dissidere videbantur, in concordiam revocare studuit; inde iam a fine saec. XII praenotatur atque appellatur Decretum (ordinarie addito, aliquando suppresso auctoris nomine) Gratiani. — Magno plausu ac omnium approbatione excepta fuit haec collectio, ac statim in scholis tamquam iuris textus explicari commentariisque illustrari, ac etiam in foro tamquam pars iuris communis haberi coepit: cuius rei causa fuit tum ubertas collectionis, qua ceteras documentorum copia longe superabat, tum methodus ad scholasticorum et forensium usum maxime accommodata, tum praesertim dexteritas auctoris in conciliandis iis inter quae pugna esse videbatur.

Hoc Gratiani opus sua indole est potius quam canonum collectio opus circa canones elaboratum, quo nempe ad tollendas antinomias scientifica in eos fit inquisitio: nimirum proponit auctor de variis materiis suas propositiones seu doctrinas canonicas (*dicta* seu *paragraphi Gra-*

[1] De vi decretorum huius Conc. cfr. Wernz tom. I, n. 255.

*tiani*), quibus ad probationem dein subiungit canones vel capita (*auctoritates*) praemissis inscriptionibus et summariis. Huiusmodi canones seu auctoritates varii sunt generis, videlicet loca S. Scripturae, canones Apostolorum, canones conciliorum tum generalium quum particularium, pontificiae constitutiones et praesertim decretales, loca excerpta e libris officialibus qui in Ecclesia Romana vel etiam in ecclesiis particularibus fuerant recepti, v. g. Ordo Romanus, Liber diurnus Rom. Pontificum, varii Libri poenitentiales, sententiae SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, necnon textus iuris Romani, interdum etiam Germanici: quas auctoritates generatim non hausit ex fontibus originalibus, sed ex collectionibus suo tempore usitatis, non exclusa pseudo-isidoriana (1).

Pluribus canonibus seu capitibus superscripta habetur vox *Palea,* qua voce indicantur additamenta post opus absolutum primum a Gratiani discipulo Paucopalea (a quo nomine abbreviato vox *Palea* derivata videtur), deinde a subsequentibus Glossatoribus inserta: sunt autem haec additamenta nonnisi aliae auctoritates depromptae ex diversis operibus et collectionibus. — In codicibus mss., quo antiquiores sunt, eo pauciores vel etiam nullae inveniuntur *Paleae,* ex quo luculenter patet diversos esse eorumdem auctores.

II. **Materia et forma.** Decretum Gratiani in tres principales dividitur partes.

Prima continet 101 distinctiones, quae subdividuntur in canones seu capita. In prioribus 20 distinctionibus agitur de iure eiusque fontibus, in reliquis 81 agitur de officiis ecclesiasticis, de magistratibus ac personis ecclesiasticis eorumque ordinationibus, electionibus atque obligationibus.

---

(1) Cfr. Laurin loc. cit. §§ 11 et 12.

Secunda pars continet 36 causas, in quibus tractatur de negotiis clericorum et laicorum. Causae dividuntur in quaestiones et hae in canones. Insuper causae 33 quaest. 3 inseritur Tractatus de poenitentia divisus in 7 distinctiones, quae dividuntur in canones.

Tertia tandem pars agit de sacramentis N. L., de sacramentalibus ac Missae sacrificio, et hinc merito intitulatur *De consecratione*. Dividitur in 5 distinctiones, et hae in canones.

Ad finem adiunguntur canones poenitentiales, necnon canones Apostolorum.

III. **Valor et auctoritas.** Decretum Gratiani

1) historico-scientifica auctoritate in multis caret; plura enim monumenta apocrypha, interpolata vel corrupta in eo continentur; pluries etiam in nominibus, inscriptionibus etc. erratum est, non quidem mala auctoris fide, sed eo quod (ut ait Devoti) rivos derivavit in opus suum non ex ipsis fontibus, sed ex mendosis collectionibus.

2) Quod spectat ad auctoritatem iuridicam seu legalem, sunt praesertim inter antiquiores, qui authentiam legalem plenam eidem decreto attribuendam censeant tum ex approbatione vel expressa (quae praetenditur) Eugenii III, vel saltem tacita Gregorii XIII correctam eiusdem editionem speciali constitutione approbantis (qua de re inferius), quum ex receptione et usu communi scholae et fori, imo et Rom. Pontificum loca ex eodem Decreto citantium.

At verior sententia omnino dicenda est communis aliorum sententia contraria: cuius sententiae ratio fundamentalis haec est, quia ex una parte a solo Gratiano, utpote persona privata, talem auctoritatem habere nequit, ex altera vero non constat de Pontificis approbatione, saltem quoad collectionem qua talem. Et re quidem vera prae-

tensa Eugenii III approbatio solo innititur unius alteriusve testimonio [1] « nec Gregorius XIII (ut ait Rota) Gratiani librum tamquam legalem authentizavit, cum solum emendari iusserit, et emendationes sine additionibus aut detractionibus mandaverit observari » [2]; receptio vero et usus communis ex magna Gratiani auctoritate doctrinali et intrinseco documentorum valore explicari possunt, ita ut nihil nos cogat inde inferre totius collectionis et omnium quae continentur auctoritatem legalem [3].

Concludendum igitur cum Benedicto XIV [4]: « Gratiani decretum quamtumvis pluries Rom. Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim et pondus legis non habet, quinimmo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si numquam in Gratiani collectione insertum foret ». Hinc genuina Rom. Pontificum et oecumenicorum conciliorum (necnon quorumdam particularium specialiter approbatorum, cfr. can. 1, D. 20) constitutiones et decreta, quam sua indole universalis legis auctoritatem habent, eamdem in Decreto retinent; cetera vero in eo contenta, canones scil. conciliorum particularium, sententiae SS. Patrum, leges civiles, ac dicta et resolutiones ipsius Gratiani necnon summaria, universalis obligationis vim, qua per se carent, in Decreto translata non consequuntur, nisi eamdem vim usu aliisque legitimis modis obtinuisse probentur, quod de paucis tantum, ex praxi ecclesiastica dignoscendis, verificatur [5].

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 72. — [2] Apud Reiffenstuel, loc. cit., n. 70. — [3] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 67. — [4] *De synodo*, lib. VII, cap. 13, n. 6. — [5] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 74-79; Laurin, §§ 47-50.

### 12. Decretales Gregorii IX, Libri VI seu Bonifacii VIII, et Clementinae

Inde ab edito Decreto Gratiani usque ad Gregorium IX iura ecclesiastica, tum ex decretis conciliorum Lateranensium III et IV, quum ex uberrima Alexandri III et Innocentii III legislatione, maxime sunt aucta. Exinde plures prodierunt canonum collectiones, inter quas prae ceteris sunt notandae quae quinque compilationes vulgo vocantur; ex quibus « duae primae — ita Benedictus XIV in praefatione tom. I sui Bullarii — privato solum iudicio sententiaque editae sunt; ceterae vero publica auctoritate ». — Hae quinque compilationes per sequentem collectionem Gregorianam (ut demonstratur inferius) fuerunt antiquatae, ita ut nulla ex iis hodiedum auctoritatem faciat; solum inserviunt ad cognoscendum genuinum sensum plurium documentorum, quae in collectione Gregoriana detruncata et contracta referuntur.

Praefatas Quinque Compilationes imprimis subsecutae sunt **Decretales** quae in quaestione notantur, quarum explicanda

1. **Origo.**

1) Tempore Gregorii IX Ecclesiae iura dispersa reperiebantur in pluribus collectionibus, et extra easdem vagabantur iura sat multa; deinde ex iuribus existentibus quaedam propter nimiam similitudinem, quaedam propter contrarietatem, nonnulla propter suam prolixitatem confusionem inducere videbantur; tandem iura non pauca propter temporum et indigentiarum mutationes observari desierant. Quibus consideratis, ad communem et maxime studentium utilitatem, praedictus Pontifex (a. 1227-1241) opera et studio S. Raymundi a Pennafort Ord. Praed., ex praefatis quinque compilationibus, ac iuribus extra easdem vagantibus adiectisque ipsius Gregorii IX constitutionibus ac decretalibus conficiendam cu-

ravit, resecatis tamen superfluis, novam canonum collectionem, quae indigentiis illius aevi satisfaceret. Prodiit haec collectio anno 1234 sub nomine **Decretalium,** quia Rom. Pontificum decretales potiorem eiusdem partem constituunt, et quidem **Gregorii IX,** utpote cuius auctoritate fuit compilata et publicata. — Continet haec collectio, cum canonibus conciliorum oecumenicorum Lateranensis III (quod indicatur simplici nomine *Conc. Lateran.*) et IV (quod citatur sub nomine *Concilii generalis*) et plurium particularium, praesertim decretales epistolas Rom. Pontificum, etiam ipsius Gregorii IX, necnon nonnulla fragmenta civilis iuris tum romani tum etiam germanici.

2) Collectionem Gregorii IX aliae plures eodem saec. XIII secutae sunt tum publicae, praesertim Innocentii IV, Gregorii X et Nicolai III, quum privatae. Quibus multiplicatis ad confusionem vitandam Bonifacius VIII circa finem saec. XIII tribus a se delectis viris commisit novam collectionem praeparandam: quod munus tres illi viri ita perfecerunt, ut, omissis superfluis ac textu originali passim transformato et adaptato, facta collectio vel ipsa forma externa perfectior quidam esset legum codex. — Dicitur **Liber Sextus decretalium,** quia tamquam continuatio collectionis Gregorianae ad quinque eiusdem libros quasi sextus additus est. — Constat, praeterquam decretalibus editis tum a Gregorio IX post suam compilationem tum a succedentibus Pontificibus, quoad maximam eiusdem partem ipsius Bonifacii constitutionibus et decretalibus, necnon canonibus duorum conciliorum Lugdunensium quibus adiectae sunt 88 *Regulae iuris.*

3) Vix publicato Libro Sexto aliae prodierunt constitutiones et decretales pontificiae tum ipsius Bonifacii VIII tum eiusdem successoris Benedicti XI, quae privatis curis

collectae tamquam « Constitutiones extravagantes Libri sexti » huic adiungebantur. — Similiter successor Clemens V plures edidit constitutiones tum *in* concilio Viennensi (a. 1311-1312), quum *ante* ac *post* illud. Has suas constitutiones, additis duabus tantum praedecessorum constitutionibus (altera Urbani IV, altera Bonifacii VIII), praedictus Clemens V in unum colligendas curavit, ipsamque collectionem secundis curis expolitam publicavit in consistorio die 21 Martii 1314 ac evulgare coepit; perfectam autem evulgationem impedivit Pontificis mors quae accidit 20 Aprilis eiusdem anni, quo ex eventu vel ipsa auctoritas novae collectionis vacillabat. Hinc succedens Ioannes XXII — ita Wernz [1], aliter rem narrat Laurin [2] — ipsam collectionem Clementis V, *non* novam planeque mutatam et correctam, denuo efficaci certaque promulgatione publicavit. — Haec collectio a Ioanne XXII fertur inscripta titulo *Libri septimi,* at postea praxis invaluit, ut designaretur nomine **Constitutionum Clementinarum,** vel simplicius **Clementinarum.**

II. **Materia et forma.** Praefatae decretalium collectiones dividuntur in quinque libros, quorum ordinem et res de quibus agitur exhibet hic versiculus: *Iudex, iudicium, clerus, connubia, crimen;* siquidem liber I, praemissa generali tractatione de fide et iure, agit de Ecclesiae praelatis seu magistratibus, II de ordine in iudiciis servando, III de personis ac rebus ecclesiasticis, IV de sponsalibus ac de matrimonio, V de delictis et poenis. Libri dividuntur in titulos, qui singuli praenotantur suis rubricis eorumdem materiam generali ratione designantibus: tituli dividuntur in capita, et haec quum longiora sunt in paragraphos; capitibus praemittuntur inscriptiones seu superscriptiones historicae, necnon summaria, qui-

[1] Loc. cit., n. 248. — [2] Loc. cit., § 129.

bus capitis contentum brevibus exponitur verbis. Notandum singulis collectionis Gregorianae titulis eosdem in Libro Sexto et Clementinis non semper correspondere, proinde non habetur in his idem, qui in illa, titulorum numerus, nec eadem eorumdem titulorum praefixa numeratio.

. ***Nota.*** In harum collectionum capitibus saepe legitur: *et infra,* quo indicatur textus originalis partem, quam collector superfluam existimabat, fuisse omissam: quae partes omissae dicuntur partes decisae.

III. **Valor et auctoritas.** Decretales tum Gregorii IX, tum Libri Sexti, quum Clementinae:

1) historico-scientificam auctoritatem omnimodam non habent; nam praeterquam quod in prima earumdem collectione, ex errore fontis unde desumpta sunt, spuria inveniuntur, earumdem collectores, tum ex brevitatis studio quum praesertim ex fine adaptandi iuri vigenti monumenta relata, ex ipsis plura, Pontificia auctoritate, omiserunt, modificaverunt, vel etiam addiderunt;

2) iuridicam vero seu legalem auctoritatem habent plenissimam ex expressa, quam ipsae consecutae sunt, pontificia auctoritate; singulae enim approbatae ac publicatae sunt speciali pontificia constitutione respective Gregorii IX (*Rex pacificus* 5 Sept. 1234), Bonifacii VIII (*Sacrosanctae* 3 Mart. 1298), Ioannis XXII (*Quoniam nulla* 25 Oct. 1317). Hinc

a) omnia et singula iura in iis contenta, licet ex particularibus vel etiam spuriis fontibus hausta, vim legis communis seu universalis habent, et quidem *non* prout leguntur in originalibus, *sed* eatenus solum quatenus referuntur, proindeque communia (non particularia) iura anteriora ipsis contraria earumdem qua posteriorum vi abrogata et nullius valoris sunt habenda. Notandum tamen unius eiusdemque collectionis iura non haberi posse altera alteris posteriora, quippe quae

omnia simul sunt publicata, ita ut inter eadem existentes forsan antinomiae seu contradictiones non ex praefata regula sed alia interpretatione sunt tollendae [1]. — Porro valorem iuridicum seu legalem habent textus capitum, ast in parte dispositiva tantum, non in parte historica, veluti in narratione facti, in expositione petitionis, in allegationibus partium: item titulorum rubricae, utpote quae sunt partes originales collectionum et hinc cum ipsis approbatae; quae rubricae, quando sensum perfectum habent, v. g. *Ne sede vacante aliquid innovetur* (quo casu vocantur praeceptivae), allegari possunt dispositive, i. e. ceu vim legis habentes, si vero sensum perfectum non habent, indicantes scil. tantum tituli materiam, v. g. *De testamentis,* allegari possunt dumtaxat declarative, quatenus nempe inservire possunt ad investigandum sensum genuinum singulorum capitum quae sub illa rubrica tamquam species sub genere sunt posita [2]. — Verum valorem legalem non habent capitum inscriptiones seu superscriptiones; licet enim sint de textu originali et approbato, tamen potius partibus historicis quam dispositivis adnumerandae videntur; accedit quod plures ex iis, etiam in C. I. C. editione emendata (de qua postea), certo sunt falsae aut corruptae; validum proinde in iure argumentum ex illis desumi non potest, possunt vero interdum illae, quas genuinas esse constat, praebere aliquod subsidium pro determinatione significationis vocum quae in respectivo capite leguntur [3]. — Multo minus valorem legalem habent summaria, utpote quae non

---

[1] Cfr. Laurin, loc. cit. § 90 in fine pag. 158.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 96-103, ubi ponit et explicat alios duos modos arguendi ex rubricis.

[3] Cfr. Laurin. loc. cit. § 92; aliter Reiffenstuel, loc. cit. nn. 108-110.

sunt de textu originali, nec proinde approbata; pro maiore legentium commoditate a posterioribus editoribus addita fuerunt ex scriptis diversorum DD.; habent igitur doctrinalem tantum valorem, et valent ad capitum intelligentiam et explicationem, quatenus exhibent sententias antiquorum canonistarum et interpretationes in scholis receptas. Idem dicendum de auctoritate notarum, quae intelliguntur breves adnotationes ad calcem paginae appositae ad indicanda vel lectiones variantes vel loca parallela vel alia, quibus canones possunt illustrari. — Tandem Glossa quae dicitur uberior sententiae aut canonum in margine apposita explicatio, legalem auctoritatem non habet; quum enim non sit collectionum pars originalis, sed a privatis DD. textui apposita, approbatione pontificia non comprehenditur. Magnam tamen et ceteris paribus maiorem habet auctoritatem, quam alterius auctoris sententia, nisi tamen meliora iuris fundamenta et rationes contra ipsam militent.

b) Praeterea vim legalem exclusivam habet imprimis **collectio Gregoriana,** sicuti patet ex cit. approbationis Const. *Rex pacificus,* in qua statuitur, « ut hac tantum compilatione universi utantur in iudiciis et scholis »: quae verba DD. communiter, consideratis contextu ac collectionis ipsius fine et indole, primario et directe intelligunt respective ad tempus intermedium inter Decretum Gratiani et ipsam collectionem Gregorianam, ita ut abrogatae et antiquatae sint habendae non solum compilationes praedicto tempore editae, sed et generatim omnes leges communes (non particulares) eodem tempore latae, quae in hoc novo codice non sunt insertae; siquidem ipsum Decretum Gratiani ac iura generalia in ipso contenta in suo vigore mansisse manifeste supponit et ipse collectionis Gregorianae tenor; in eadem enim non solum auctoritates ex Decreto Gratiani

citantur expressa citandi formula consueta: *Decreta, in Decretis,* sed et respicitur (modificando, determinando) ad leges in solo Decreto contentas tamquam ad leges adhuc vigentes. Exemplo sit c. 29, caus. XVII, qu. 4 ex Conc. Lateran. II quo exprimitur privilegium canonis: qui canon in collectione Gregoriana accuratim determinatur, quin tamen canon ipse in eodem referatur seu ponatur (1). — Num vero saltem secundarie et indirecte abrogatae et antiquatae habendae sint illae communis iuris normae, quae ante Decretum Gratiani editae, neque in illo, neque in dicto novo codice sunt insertae, inter DD. lis est (2).

Similiter vim legalem exclusivam habet **Liber Sextus** quoad omnes leges communes (non particulares) a Bonifacii VIII praedecessoribus Rom. Pontificibus (proinde non comprehenduntur constitutiones et decretales ab ipso Bonifacio VIII datae) post editam collectionem Gregorianam promulgatas, nisi in Librum Sextum fuerint insertae, aut in eo specialiter reservatae seu exceptae sive adducta voce earum initiali sive designatione materiae earum (3), quae omnes abrogatae et antiquatae sunt habendae.

Item vi Libri Sexti tamquam posterioris codicis abrogatae existimandae sunt contrariae leges in ipsa collectione Gregoriana relatae (4). — Ad vim legalem quod spectat Regularum iuris, quae Libro Sexto inveniuntur adiectae dissentiunt DD. (5).

---

(1) Cfr. Laurin, loc. cit. §§ 79 et 80.

(2) Negat Wernz, loc. cit., n. 242 in nota (90) citans Scherer et Schneider; affirmat post Schulte Laurin, loc. cit., § 81, et cum ipso Bargilliat, loc. cit., n. 137 b).

(3) Cfr. cit. approbationis Const. *Sacrosanctae* in fine.

(4) Cfr. Laurin, loc. cit., §§ 118-120.

(5) Earumdem vim legalem negat Laurin, loc. cit., § 118 in fine

Contra vim legalem exclusivam non habent **Clementinae;** ratio habetur ex eo quod de hac vi nihil reperitur statutum in cit. Ioannis XXII approbationis Const. *Quoniam nulla;* unde suo valore originali privatae seu abrogatae non sunt pontificiae constitutiones et decretales inde a pontificatu Bonifacii VIII editae et inter Clementinas non relatae. — Attamen haec collectio tamquam lex posterior abrogat contrarias leges in collectione Gregoriana et Libro Sexto contentas ceterasque contrarias leges communes omnes anteriores (1).

### 13. Extravagantes Ioannis XXII, et communes.

1. **Origo.** Ex dictis constat iam tempore editi Libri Sexti extra hanc collectionem superfuisse constitutiones pontificias retinentes originarium valorem legalem, quibus dein accessere plures aliae tum ante Clementinas, inter easdem autem non relatae, tum post easdem editae: quae constitutiones veniunt nomine Extravagantium, quia vagabantur extra supradictas tres decretalium collectiones publicas seu iuridicas. Huiusmodi Extravagantes privatis curis aut dictis publicis collectionibus fuerunt adiectae aut in separatas parvas collectiones adunatae.

Iam anno 1325 inveniuntur viginti Extravagantes Ioannis XXII ordine chronologico dispositae et ad instar appendicis Clementinis adiectae; praeterea circa finem saec. XV in codicibus et editionibus C. I. C. aliae 70 Extravagantes communiter occurrebant.

---

(p. 187) ex eo quod in approbationis Const. de iis non fit expressa mentio; probabilius (ut videtur) affirmant Wernz, loc. cit. n. 247 circa finem (p. 361) et Saegmueller, § 43 II circa finem (p. 133) ex eo quod dictae *Regulae* cum reliquis Libri Sexti partibus fuerunt publicatae, ideoque vere constituunt partem collectionis approbatae.

(1) Cfr. Laurin, loc. cit., §§ 135 et 136.

Anno 1550 Ioannes Chappuis Licentiatus Iuris praedictarum utrasque Extravagantes, in separatas collectiones ordine systematico ab ipso redactas, C. I. C. novae editioni, quae curante ipso cum socio Vitali de Thebes a bibliopolis Parisiensibus Udalrico Gering et Bertholdo Rembolt anno 1500 fiebat, inseruit, priores sub inscriptione **Extravagantes seu Constitutiones viginti a Ioanne Pp. XXII editae,** posteriores sub titulo **Extravagantes communes,** quibus in altera editione anni 1503 quatuor decretales addidit. Ex hoc tempore utraque collectio in C. I. C. iuxta redactionem a Chappuis introductam constanter recensetur.

II. **Materia et forma.**

**Extravagantes Ioannes XXII,** quae comprehendunt tantum 20 decretales a dicto Pontifice editas, dividuntur, omissa librorum distinctione, retento tamen ordine analogo rerum qui in ceteris habetur collectionibus, in quatuordecim titulos cum rubricis depromptis e prioribus collectionibus; tituli subdividuntur in capita cum summariis.

**Extravagantes communes** comprehendunt 74 decretales inde ab Urbano VIII usque ad Sixtum IV editas, et dividuntur in libros, titulos et capita ad normam anteriorum collectionum; deficientibus autem decretalibus de re matrimoniali deficit liber quartus.

III. **Valor et auctoritas.** Utraque Extravagantium collectio

1) historico-scientificam auctoritatem generatim habet perfectam, quum monumenta in iisdem contenta (exceptis duabus vel tribus de quorum inscriptione dubia moventur) genuina sint atque integra; verum

2) iuridicam seu legalem auctoritatem, ut collectio, neutra habet; nam utramque a viro privato compilatam esse constat, ac neutram umquam auctoritatis publicae approbationem sive expressam sive tacitam obti-

nuisse, deficiente valida eiusdem demonstratione (1), cum communiore contra plures verius affirmandum.

Sunt autem qui doceant, omnia capita in utraque collectione contenta, abstrahendo etiam a speciali approbatione, ex vi originali seu ex sese habere vim legis in universa Ecclesia, quum sint generales Rom. Pontificum constitutiones; ast minus recte, complures enim — teste Wernz (2) — inter Extravagantes reperiuntur decretales publicatae ad scopum mere transeuntem et ad certum territorium restrictum. — Multae tamen aliae, quae vere generales sunt, universalis legis vim quam originetenus habent, usque ad praesens tempus retinent ac pro praxi sunt gravissimi momenti (3). — Tandem notandum in diiudicanda singularum Extravagantium auctoritate etiam temporis, quo editae fuerunt, rationem esse habendam; quum enim ex dictis consideranda sit in iisdem auctoritas originaria, Extravagans posterius edita, prius editam contrariam abrogare censenda est (4).

### 14. Corpus iuris canonici.

1. **C. I. C. notio, textus authenticus, editiones.**

1) Verbum corporis iuris, secundum analogiam corporis humani in oppositione ad singula eiusdem membra, denotat collectionem quandam completam iuris seu legum. Quae significatio iam occurrens in iure Romano inde ad ius canonicum fuit translata, ita ut dictio Corporis iuris Canonici designet quamlibet ss. canonum collectio-

(1) Quae afferuntur a Reiffenstuel, loc. cit., n. 91, valde infirma videntur.

(2) Loc. cit., n. 251 cum nota (123).

(3) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 251 in nota (124).

(4) Cfr. Laurin, loc. cit. §§ 150, 152 et 153.

nem completam seu per se stantem: quo sensu ipsum Decretum Gratiani, singulae ex quinque compilationibus, et praesertim collectio Gregoriana separatim sumptae olim dicebantur « Corpus Iuris Canonici ». At postquam Gregorius XIII in Const. *Cum pro munere* 1 Iul. 1580 sex illas collectiones n. 10 designatas simul sumptas primus designaverit nomine **Corporis iuris canonici,** hae solae collectiones adunatae hoc nomine appellari coeperunt et nostra aetate appellantur.

2) Corporis Iuris Canonici **textus authenticus** ille est qui habetur in editione Romana anni 1582, cura correctorum Romanorum, quibus textus emendatio a Rom. Pontifice fuit demandata; huiusmodi enim textus a Gregorio XIII cit. Const. ita est sancitus, ut « nulli omnino hominum.... « liceat huiusmodi libris dicti *Iuris Canonici* sic, ut prae« fertur, de mandato nostro recognitis, correctis et expur« gatis, quicquam addere, detrahere vel immutare aut in« vertere, nullove interpretamento adiungere, sed prout opus « huiusmodi nunc Romae impressum fuit, semper et perpe« tuo integrum et incorruptum conservetur.... » Idem praefatus Pontifex denuo iussit Const. *Emendationem* 2 Iun. 1582, quae solum Decretum Gratiani respicit, cuius editio retardata fuerat.

3) Iuris Canonici **editiones** duplicis generis distinguuntur glossatae scil. et non glossatae: plures utriusque generis habentur (1). Inter glossatas novissima est Lugdunensis anni 1671, 3 vol. in fol.; inter non glossatas magni aestimatur editio Coloniae Munitianae anni 1773, 2 vol. in 4°. — Recentius vero prodierunt editiones magis criticae absque glossa cura Richter Lipsiae anni 1839, 2 vol. in 4°, et cura Friedberg Lipsiae ann. 1879-1881, 2 vol. in 4°. De hac ultima notandum in Decreto Gratiani,

(1) Cfr. Laurin, loc. cit. §§ 161 et 162.

non in ceteris partibus, textum authenticum fuisse mutatum; deinde additas haberi, diversis tamen typis, partes decisas.

In editionibus C. I. C. plerumque habentur varia additamenta, tum ad singulas partes, tum in fine totius apposita (1). Inter haec imprimis notandae *Institutiones iuris canonici Ioannis Pauli Lancelotti,* I. C. professoris in Universitate Perusina. Quod opus, ex mandato Pauli IV (1555-1559) inchoatum et sub Pio IV (1559-1565) absolutum, dividitur (ad instar Institutionum iuris civilis Imperatoris Iustiniani I) in quatuor libros, qui agunt de personis, de rebus, de iudiciis, de criminibus et poenis: libri subdividuntur in titulos et hi in paragraphos. Licet hae Institutiones auctoritatem iuridicam seu legalem habeant nullam, utpote a nullo Pontifice approbatae, tamen multum valent ad cognoscendum ius ecclesiasticum saec. XVI vigens (2). — Dein notandus *Liber septimus decretalium Petri Matthaei*: compilata est circa finem saec. XVI a dicto Petro Matthaeo eadem forma qua ceterae C. I. C. collectiones publicae. — Continet cum decretis conciliorum Constantiensis, Florentini, Lateranensis V, et Tridentini decretales Summorum Pontificum inde a Sixto IV (a. 1471-1484) usque ad Sixtum V (a. 1585-1590), additis nonnullis Pontificum anteriorum constitutionibus. — Haec collectio a viro privato facta, nec postea ab auctoritate publica approbata, valorem iuridicum seu legalem non habet.

n. **Modus citandi** loca e C. I. C. duplex distinguitur: antiquus scil. qui olim apud AA. communiter erat in usu, et recentior qui hac nostra aetate a pluribus adhiberi coepit.

(1) Cfr. Laurin, loc. cit. §§ 157-159.
(2) Cfr. Laurin, loc. cit. § 158.

1) Ex **Decreto Gratiani** citandi modus recentior est hic:

Ex parte I: indicatur can. seu cap. numerus, addito numero distinctionis, v. g. c. 5 D. LXI.

Ex parte II: indicatur similiter can. seu cap. numerus, addito numero tum causae quum quaestionis; v. g. c. 1 C. VIII q. 2. — Si vero citatio est ex *Tractatu de poenitentia* inserto huius partis causae XXXIII quaestioni 3, tunc fit eodem modo, quo citatio ex parte I additis verbis: *de poenitentia,* v. g. c. 2 D. II *de poenit.*

Ex parte III: citatio fit eodem modo, quo citatio ex parte I sed additis verbis: *de consecratione,* v. g. c. 1 D. 1 *de consecr.*

1) Citandi modus antiquus idem est, sed can. seu cap. indicatur per verbum initiale (verba initialia) expresso vel omisso can. seu cap. numero, v. g. c. *Miramur* D. LXI, etc.

2) Ex **Decretalibus** Gregorii IX, Libri VI et Clementinis citandi modus recentior est hic: post indicatum cap. numerum exprimitur tituli rubrica, addito tum libri quum tituli numero; deinde ad distinguendas singulas ex praedictis collectionibus additur respective aut *X* (extra), aut *in Sexto,* aut *in Clementinis.* Si cit. cap. est tituli unicum vel ultimum hoc indicatur; in longioribus capitibus additur etiam paragraphus expresso verbo initiali. V. g.: c. 1 X, de constit. I. 2; c. ult. de praeb. et dignit. in Sexto (in VI vel in 6°) III. 4; c. unic. de iureiur. in Clement. II. 9. — Ex Libri Sexti appendice *de Regulis iuris* citatur hoc modo: R. I. 35 in Sexto. Quae habentur in collectione Gregoriana Lib. V Tit. ult. Regulae iuris citantur eodem modo, sed sine addito, v. g. R. I. 5.

Citandi modus antiquus est, ut exprimantur cap. verbum initiale (verba initialia) et tituli rubrica, respective omissa littera X, sed additis verbis *in Sexto* vel *in Cle-*

*mentinis*, v. g. c. Iudaei (2) de test.; c. Licet (1) de constit. in Sexto; c. Quia contingit (2) de relig. dom. in Clement.

3) Ex **Extravagantibus** citandi modus recentior hic est: post indicatum cap. numerum ut supra sub 2), exprimitur tituli rubrica cum collectionis respectivae inscriptione, additis vel solius tituli in Extrav. Ioann. XXII, vel libri et tituli in Extrav. comm. numero, v. g. c. 2 de verb. signif. in Extrav. (Xvag.) Ioann. XXII, 14; c. unic. ne sede vacante etc. in Extrav. comm. III. 3.

In citando modo antiquo cum cap. verbo initiali (verbis initialibus), omisso vel addito eiusdem numero, exprimitur tituli rubrica et respectivae collectionis inscriptio, v. g. c. quia nonnumquam (2) de verb. signif. Extrav. Ioan. XXII; c. etsi deceat (3) de maior. et obed. Extrav. comm.

III. **C. I. C. valor hodiernus.** Corpus iuris canonici etiamnum dicendum est codex legislationis ecclesiasticae hoc saltem sensu, ut contineat substantiam iuris vigentis; in qua quae nova accesserunt principium et quasi radices habent. Hinc ad iuris canonici cognitionem penitiorem ac scientificam comparandam studium C. I. C. omnino requiritur. Notandum tamen non omnes quae in C. I. C. continentur leges vere universales hodiedum suam vim et valorem retinuisse, et adhuc esse in usu ac vigore; praeterquam enim quod plures ex iisdem propter temporum rationem mutatam in usum deduci non amplius possunt, quoad plurima disciplinae capita iuri decretalium est derogatum per posteriores pontificias constitutiones et praesertim per Tridentina de reformatione decreta, quibus accedunt consuetudines ac concordata, ex quibus, saltem pro particularibus locis, disciplina iuri in C. I. C. statuto contraria est introducta.

### 15. Regulae Cancellariae Apostolicae.

1) **Intelliguntur** ordinationes pontificiae circa modum expediendi negotia in Cancellaria Apostolica: huiusmodi modus ab antiquitate traditionalis paulatim scripto consignatus fuit.

Regulae autem Cancellariae Apostolicae, quae nunc eo nomine veniunt, originem duxere a tempore Ioannis XXII, sub quo Pontifice collectae huiusmodi Regulae, et ab aliis Pontificibus auctae, a Nicolao V (a. 1447-1455) sunt redactae in eam formam (exceptis quibusdam mutationibus postea factis) quam nunc retinent. — Sunt numero 72, et **distinguuntur** in directivas, reservatorias et iudiciales prout normas constituunt circa modum aut expediendi provisiones, aut disponendi de beneficiis, aut sententias ferendi in processibus circa rem beneficialem.

2) Hae regulae, quae merito aequiparantur uni legi pontificiae per plures articulos distinctae, **hoc speciale habent** quod morte cuiusque Pontificis vim suam amittunt, ita tamen ut denuo ligare incipiant a crastina die post assumptionem novi Pontificis, licet nondum fuerint publicatae (prouti a tempore Urbani VIII exprimi coepit), quae **publicatio** ceteroquin solet fieri in sola Cancellaria Apostolica. — Praeter Regulas directivas datas soli Cancellariae **ceterae** constituunt **pro tempore illius Pontificis** (exemptis solis Cardinalibus in odiosis nisi de ipsis fiat specialis mentio) **ius commune** seu universale, etiam extra Urbem, nisi concordatis aliisque modis particularibus Regulis sit legitime derogatum. — Commentarium in Regulas Cancellariae scripsit Riganti [1].

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, lib. III, tit. V, nn. 474-486 sqq.

## § 4. — De iure novissimo.

Cfr. Wernz, tom. I, nn. 258-279; Bargilliat, tom. I, nn. 145. 146 et 148; Saegmueller § 46; Hergenroether-Hollweck, nn. 252-259.

***Summarium:*** Quinque sunt huius paragraphi puncta: 1) iuris novissimi conspectus generalis; 2) Conc. Tridentinum; 3) bullaria; 4) collectiones conciliorum; 5) collectiones decisionum SS. Rom. Congregationum.

### 16. Iuris novissimi conspectus generalis.

Ius novissimum **constat** imprimis decretis Conc. Trid., necnon Rom. Pontificum constitutionibus et decretis post Trid. editis, ac decretis et decisionibus SS. Rom. Congregationum. — Ad iuris novissimi **collectiones** ab AA. referuntur bullaria, collectiones conciliorum, et decisionum SS. CC., quia, licet non exclusive continent materiam ad praedictum ius pertinentem, iure tamen novissimo vigente sunt publicatae.

### 17. Concilium Trid.

1) Iuris novissimi codicem praecipuum constituit Conc. Trid., quod inchoatum sub Paulo III anno 1545, absolutum fuit sub Pio IV anno 1563, siquidem hodierna disciplina fere in omnibus dicto concilio innititur. — **Constat 25 Sessionibus,** quarum fere omnes quae fidei et disciplinae decreta continent (aliae enim respiciunt ipsum concilium, nempe eiusdem inchoationem, vivendi et agendi rationem, translationem etc.) duas habent partes: altera comprehendit decreta fidei, capita scil. et canones quibus doctrina catholica exponitur ac haereses damnantur, altera decreta inscripta « *de reformatione* », quae diversis in capitibus disciplinam stabiliunt. Praeter consuetum de reformatione decretum Sessio XXIV continet alterum « *de*

*reformatione matrimonii* », et Sessio XXV alterum « *de regularibus et monialibus* » ; huius vero ultimae Sessionis continuatio decreta quaedam continet, quae propriis inscriptionibus distinguuntur.

2) Conc. Trid. **confirmavit et publicavit** Pius IV per bullam *Benedictus Deus* 26 Ian. 1564, a qua die decreta dogmatica statim obligarunt omnes ; quoad decreta vero disciplinaria seu « decreta ad reformationem et ad ius positivum dumtaxat spectantia » initium obligationis fuit computandum, ex speciali Pii IV declaratione Const. *Sicut ad sacrorum* 18 Iul. 1564, a prima die Maii eiusdem anni.

3) Conc. Trid. disciplinaria decreta **vim legis universalis** habent, abrogatis legibus, consuetudinibus et privilegiis contrariis, at quoad partem dispositivam tantum (non quoad summaria aliaque additamenta, quae omnia privatis tantum curis accesserunt), et etiamnum ligant universam Ecclesiam, nisi per posteriores Rom. Pontificum constitutiones vel per legitimam consuetudinem aliisque modis legitimis iisdem fuerit derogatum. — Ius vero decretalium in pleno vigore permansit, nisi per contraria decreta Tridentina vel per alios canones, aut per consuetudines universales vel particulares etc. fuerit immutatum. — Ut autem ex Tridentinis de reformatione decretis vera et perfecta hauriatur iuris novissimi cognitio, varia decreta attenta perlustrentur et alia cum aliis conferantur necesse est ; nonnumquam enim in diversis locis de eadem re Concilium statuit, quandoque etiam decreto ante a se lato et disciplinae a se statutae postea aliquid addidit.

4) Tandem animadvertendum praedicta approbationis constitutione Pium IV statutis poenis **inhibuisse,** « ne quis « sine auctoritate Nostra audeat ullos commentarios, glos- « sas, annotationes, scholia ullumve interpretationis genus « super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere,

« aut quidquam quocumque nomine, etiam sub praetextu « maioris decretorum corroborationis aut executionis aliove « quaesito colore statuere ». De huius inhibitionis sensu seu extensione legatur Fagnanus (1); ex quo notamus

a) **prohibitam** esse quamlibet **auctoritativam** interpretationem ab episcopis aliisque praelatis Rom. Pontifice inferioribus factam, idque non solum in genere de sensu alicuius decreti Tridentini decidendo, sed et generatim loquendo in particularibus casibus seu occasione alicuius negotii vel causae pendentis statuendo vel pronuntiando; insuper

b) **prohibitam** esse **doctrinalem** interpretationem, etiam oralem, quae fit **principaliter** et **directe** per modum glossae, vel scholii seu commentarii; verum

c) **licitam** esse **doctrinalem** interpretationem, etiam scripto vel typis divulgatam, quae fit **obiter** et **indirecte** occasione solutionis seu dilucidationis alicuius quaestionis aut causae expeditionis (2).

### 18. Bullaria.

1. Post C. I. C. nulla prodiit ss. canonum collectio publica; nam quae curantibus Rom. Pontificibus Gregorio XIII, Sixto V et Clemente VIII confecta, et sub Clemente VIII typis cusa fuit collectio sub titulo: *SSmi Domini Nostri D. Clementis Papae VIII Decretales* numquam fuit approbata et promulgata. Quod autem plures post Fagnanum docent dictam collectionem a Clemente VIII fuisse approbatam, imo et divulgatam, at illico suppressam, id a veritate omnino aberrare demonstravit Sentis. — Privatis tamen curis plures prodierunt tum constitutionum pontificiarum quum conciliorum collectiones.

---

(1) In cap. 12 *De iudiciis*, lib. I, tit. 2.

(2) Cfr. Feye, in foliis lithographicis.

Pontificiarum constitutionum collectiones **dicuntur Bullaria,** inter quae prae ceteris notanda :

1) **Magnum Bullarium Romanum** 19 vol. sic dicta editio Luxemburgensis a. 1727-1758, cuius editor est ignotus. Continet documenta pontificia a Leone I usque ad Benedictum XIV (ab anno 440-1758).

2) **Bullarium Romanum** 14 tom. 28 vol. Romae 1733-1762, editum a Carolo Cocquelines. Continet documenta pontificia a Leone I usque ad Clementem XII incl. (a. 440-1740). Huius continuationem exhibet **Bullarium Benedicti XIV** (a. 1740-1758), huius Pontificis constitutiones etc. comprehendens et ab ipsomet quoad tom. I editum ac approbatum speciali brevi, quod legitur in dicto tom. I. — Constitutiones Clementis XIII (a. 1758-1769) usque ad Gregorium XVI incl. (a. 1831-1846) exhibet **Bullarii Romani continuatio,** quam Andr. Barbèri et Alex. Spetia publicarunt **Romae** a. 1835-1857.

3) **Bullarium Romanum** 24 vol. **Editio Taurinensis,** editum ab Aloysio Tomassetti ab a. 1857-1872. Continet documenta pontificia a Leone I usque ad Clementem XII incl. Haec est optima huius temporis editio ac prae ceteris completa. — Exstat et **Bullarii Romani continuatio** edita **Prati** (a. 1840-1854), referens documenta pontificia a Benedicto XIV usque Pium VIII incl.; quae proinde immediate nectitur cum praedicta editione Taurinensi.

II. Bullaria, utpote privatis curis collecta, **auctoritate legali carent,** hinc singulorum documentorum valor ex originaria eorumdem vi est diiudicandus. — Speciali quidem authenticitatis fide, ex dictis se commendat Bullarium Benedicti XIV; sed ultra quam par est progreditur Bouix, quando de ipsius collectionis valore scribit, collectionem hanc eodem loco habendam esse cum Libris decretalium; ex eo enim sequeretur, vim obligandi universalem habere

ea quoque huius bullarii documenta, quae vim illam per se non habent, v. g. plura brevia et epistolas pro aliqua provincia vel dioecesi vel privatim etiam conscripta: quae tamen consequentia a nemine admittitur.

Huc spectant etiam **Acta Gregorii XVI** typis S. C. de Prop. Fide edita, item **Acta Pii IX** Romae typis « Bonarum Artium » edita, necnon **Acta Leonis XIII** edita typis Vaticanis.

Exstant quoque **bullaria religiosorum Ordinum,** inter quae **Bullarium Franciscanum** in 7 voll., incoeptum a Sbaralea Ord. Conv., qui edidit 3 prima voll., continuatum a Rossi eiusdem Ord., qui edidit vol. 4$^{m}$ et ab Eubel etiam dicti Ordinis, qui edidit voll. 5, 6 et 7. Ad hoc opus supplementum et notas in uno vol. edidit Flaminius Hannibale de Latera ex Ordine nostro.

### 19. Collectiones Conciliorum.

Harum praecipuae sunt:

1) **Sacrosancta concilia,** edita a Patribus S. I. **Labbé** et **Cossart** Parisiis a. 1671-1672.

2) **Acta conciliorum et epistolae decretales ac constitutiones summorum Pontificum,** edita ab **Hardouin** Parisiis a. 1715; pervenit haec collectio usque ad a. 1672.

3) **Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio** edita a **Mansi** in 35 voll. Florentiae et Venetiis a. 1759-1798. Haec collectio, quae pervenit usque ad a. 1727, est ceteris plenior et accuratior.

4) **Collectio Lacensis**: *Acta et decreta conciliorum recentiorum,* edita a Patribus S. I. in 7 voll. Friburgi Brisgoviae a. 1870; continet concilia celebrata ab anno 1682-1870; vol. ultimum exhibet Acta et decreta Conc. Vaticani cum aliis pluribus documentis ipsum concernentibus.

**20. Collectiones decisionum SS. Congr. Rom.** Habentur hae quae sequuntur:

1) **S. C. Concilii,** sub titulo: *Thesaurus resolutionum Sacrae Congregationis Concilii.* Haec collectio, quae adhuc continuatur, comprehendit causas maiores tantum, quae nempe proponuntur in folio, uti aiunt, easque inde ab anno 1718 (vel accuratius ab a. 1700) ordine chronologico collectas; publicatur ex officio a Secretario S. C. C.; proindeque aliqua ratione authentica seu officialis dici potest, at nequaquam est collectio stricto sensu iuridica seu legalis. — Causarum minorum, quae scil. dicuntur propositae per summaria precum, habetur, praeter collectionem editam a Card. Gamberini, altera accurata et utilis, quae prodiit Ratisbonae a. 1871 curis Lingen et Reuss sub titulo: *Causae selectae.... ab anno 1823 usque ad annum 1869:* est collectio privata. — Privata etiam opera prodierunt, praeter *collectionem declarationum S. C. C.* auctore Zamboni, recentior *Collectio omnium conclusionum et resolutionum, quae apud S. C. Concilii prodierunt ab anno 1564-1860* (17 voll.) auctore Pallottini, necnon *Thesaurus resolutionum S. C. C.* (4 voll. incompleta) auctore Muehlbauer: hae duae collectiones dispositae sunt secundum alphabeticum ordinem rerum. — Tandem utilis habetur collectio decisionum S. C. C. in editione Conc. Trid., quam curarunt Richter et Schulte.

2) **S. C. Episc. et Regul.** exstat collectio sub titulo *Collectanea in usum Secretariae S. C. Episc. et Regul.,* edita a Bizarri tunc dictae S. C. Secretarius, postea S. R. E. Cardinalis: est collectio privata.

3) **S. C. de Prop. Fide** duae habentur collectiones: altera sub titulo: *Ius pontificium de Propaganda Fide SS. D. N. Leonis XIII P. M. iussu recognitum;* haec collectio, quamvis iussu Leonis XIII atque auspice Emo Praefecto eiusdem S. C. et secundum regulas ab eadem pro-

batas sit concinnata, tamen non est collectio legalis, neque etiam stricto sensu officialis seu authentica; ast maximam habet auctoritatem historico-scientificam, utpote accurate ex archivis S. Officii et S. C. de Prop. Fide extracta. — Idem dicendum de altera collectione, quae inscribitur: *Collectanea S. C. de Prop. Fide.*

4) C. SS. **Rituum** habetur collectio sub titulo: *Decreta authentica Congregationis SS. Rituum:* huius collectionis, factae ab Aloysio Gardellini, prodiit typis S. C. de Prop. Fide (a. 1898-1901) tertia editio correcta et prorsus modificata, cui nunc standum est. Haec collectio est quidem officialis et authentica, at auctoritatem stricte iuridicam seu legalem non habet.

5) S. C. **Indulgentiarum** (quae nunc unita est cum C. SS. R.) duae existunt collectiones: altera exhibet praefatae Congr. *Decreta authentica* (ab anno 1668-1882), altera, vulgo *Raccolta* dicta, continet syllogen precum piorumque operum, quae indulgentiis fuere ditata. Utraque est collectio officialis seu authentica.

His accedit tertia collectio, quae continet praedictae S. Congr. *Rescripta authentica:* haec quidem meretur omnem fidem, sed officialis seu authentica non est.

6) Huc quadamtenus referuntur ephemerides Romanae quae inscribuntur titulo *Acta S. Sedis;* has enim SSmus D. N. Pius Pp. X ex rescripto S. C. de Prop. Fide 23 Maii 1904 « authenticas et officiales Apostolicae Sedis Actis publice evulgandis declaravit ».

### § 5. — De SS. CANONUM INTERPRETATIONE.

Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. II, nn. 351-448; Wernz, tom. I. nn. 127-134; Bargilliat tom. I, nn. 79-87; Bouquillon *Theol. moralis fundam.* (Ed. 3) nn. 124-132; Van den Berghe *Tract. de legibus* (Ed. 2) nn. 116-126.

***Summarium :*** Quatuor sunt huius paragraphi puncta 1) interpretationis notio et species; 2) interpretationis regulae praecipuae; 3) Regulae iuris; 4) epikeia.

### 21. Interpretationis notio et species.

*Praenotandum.* Interpretationis notio et praesertim eiusdem species varie a variis DD. explicantur; in iisdem igitur consulendis, speciatim quoad quaestionem de necessitate promulgationis in interpretatione authentica, sedulo attendendum ad datam ab iisdem terminorum significationem.

I. Interpretatio, quae hic spectatur, generali, at vero et proprio sensu accepta, **definiri** potest cum Wernz, ut sit explicatio sensus in statuto canone seu lege lata ab initio iam contenti sive comprehensi. — **Duplici** autem **modo** interpretatio fieri potest:

1) per modum **declarationis,** quando scil. canonis seu legis verba in se minus clara exponuntur per voces sententiasve clariores, et haec est interpretatio latiore sensu accepta, quae a pluribus DD., praesertim antiquioribus, dicitur declaratio;

2) per modum **suppletionis,** quando determinatur sensus canonis seu legis vere dubius et obscurus, spectando non nudam eiusdem litteram et corticem verborum, sed verba simulque mentem ipsius intrinsecam, quae scil. eruitur ex canonis seu legis obiecto, fine, ratione, aliisque circumstantiis, quae legislatoris in ea ferenda mentem sufficienter manifestant [1].

Haec est interpretatio stricto sensu accepta, quae etiam intelligi debet quando fit interpretationis faciendae concessio aut prohibitio [2]. — Dictum est interpretationem proprie dictam fieri considerando legis mentem intrinsecam; si enim lex exponitur

---

[1] Cfr. dicenda n. 22.

[2] Cfr. Reiffenstuel loc. cit. nn. 355 et 356.

iuxta mentem ipsius extrinsecam et accidentalem, quae eruitur non ex eiusdem visceribus (ut ita dicam), sed ex extrinsecis argumentis et coniecturis, non habetur, uti patet, interpretatio vere talis, sed potius nova legis determinatio [1].

II. Interpretatio **dividitur:**

1) **Ratione causae efficientis** in authenticam quae fit a competenti auctoritate publica qua tali, nempe a legislatore huiusve superiore vel successore, horumve delegatis; in usualem, quae procedit a communitate per simplicem usum vel etiam per strictam consuetudinem; in doctrinalem, quae proponitur a viris privatis et soli scientiae innititur; in iudicialem [2] quae fit a iudicibus casus occurrentes iuxta legem resolventibus.

2) **Ratione indolis** seu modi quo fit, in declarativam seu comprehensivam, qua verba minus clara vel obscura in lege simpliciter dilucidantur; in latam seu extensivam, qua verba ultra naturalem sensum ad latiorem extenduntur, ita tamen ut maneatur intra aliquem verborum sensum; in strictam seu restrictivam, qua verba legis infra naturalem sensum ad strictiorem coarctantur; in correctivam, qua minus apta in lege ad congruam normam reducuntur.

***Nota.*** Plures auctores interpretationis distinctionem in comprehensivam et extensivam explicant ratione obiecti, ita ut prior sit, quae simpliciter legis sensum declarat aperiendo obiectum quod iam in lege, licet obscurius, comprehenditur, altera vero quae aliquid legi addit eiusdem obiectum extendendo ad casus prius non

---

[1] Rem dilucidat Reiffenstuel loc. cit. nn. 371 et 372, ubi legis extensionem distinguit in proprie dictam seu extensivam et improprie dictam seu inclusivam.

[2] Haec a pluribus DD. refertur ad doctrinalem.

comprehensos. Differunt tamen hi ipsi auctores in statuendo extensionis termino a quo, quem alii sumunt verba legis, alii mentem legislatoris [1].

3) **Ratione efficaciae** seu valoris in obligatoriam seu necessariam, et directivam seu non necessariam, prout eidem tamquam verae obligationi necessario est acquiescendum vel non. — Obligatoria est imprimis interpretatio authentica, deinde usualis quae innititur consuetudini formali, tandem iudicialis quae ligat partes contendentes, nisi velint recurrere ad iudicem superiorem. — Directiva tantum est imprimis interpretatio doctrinalis, deinde usualis quatenus innititur simplici populi observantiae et praxi, tandem iudicialis pro omnibus qui non sunt partes contendentes.

### 22. Interpretationis regulae praecipuae.

In interpretandi munere rite implendo hae prae ceteris servandae sunt regulae:

I. **Definiendum est legis propositae praescriptum, ac valor est investigandus.**

1) Legis **praescriptum** determinatur ex ipsius parte dispositiva, i. e. ex sententia principali, qua legislator suam exprimit obligandi voluntatem: cetera (ut praefatio, rationes etc.), praeter sententiam principalem forsan inserta, licet conducere possint ad legis declarationem, legis tamen vim non habent.

2) **Valor** legis discernitur tam ex origine seu auctoritate ferente vel approbante, insertione in codicem legalem, vel alio modo, quam ex materia, quatenus est aut iuris divini vel naturalis vel positivi, aut ecclesiastici.

II. **Semper prae oculis habenda interpretationis**

---

[1] Cfr. Wernz loc. cit. n. 100 in nota (66) p. 118.

**indoles**. Interpretatio doctrinalis (de qua hic praecipue est sermo) ex sua indole seu natura tota in id est dirigenda, ut indagetur primaevus sensus legis, i. e. ipsius legislatoris qua talis in lege determinata ferenda mens sive voluntas per verba legis expressa. Hinc imprimis in interpretando cavendum omnino, ne spiritui seu voto iuris potius quam verbis inhaerendo lex exponatur in eum sensum qui est citra vel ultra omnem, etiam latam et impropriam, verborum significationem; sic enim non exponitur, sed restringendo vel extendendo mutatur legislatoris voluntas: quod interpretando facere fas non esse privato doctori per se patet.

Notandum tamen cum Reiffenstuel (1) interpretationem authenticam longe maiore facilitate et libertate fieri posse ob ipsam, qua potestas publica pollet, auctoritatem. Non solum enim haec auctoritas supplebit defectum, ex quo legislator interpretando legem eiusdem primaevum sensum non fuerit assecutus, sed etiam ad rectam societatis gubernationem generatim competenti potestati publicae competere videtur ius seu facultas ex spiritu legis eamdem, salva tamen substantia, aliquatenus extendendi vel aliter modificandi et ita mutatis forsan circumstantiis accommodandi, quin strictae et legitimae interpretationis fines excedat: qualis interpretatio ex Reiffenstuel (2) est extensio inclusiva et improprie dicta (3), cuius proinde promulgatio non est necessaria; imo potest et potestas publica sub specie interpretationis legem existentem mutare vel eidem aliquid

(1) Loc. cit. n. 382. — (2) Loc. cit. n. 372.

(3) Huiusmodi interpretationis exemplum habemus in S. Officii decreto 23 Iun. 1886 de absolutione a censuris reservatis stante impedimento. Cfr. Bucceroni, *Comment. de censuris,* nn. 59-63.

addere; quo in casu necessaria est promulgatio interpretationis, utpote qua novum ius constituitur.

III. **Attendenda prae ceteris legis verba,** in quibus interpretandis

1) accipienda est eorumdem significatio propria, praesertim ex communi usu iuris (si habetur) recepta, considerato contextu, ac habita ratione temporis legis latae, nisi forsan ex praxi vel ex diserta superioris voluntate alia deinceps fuerit data; nec ad sensum improprium recurri potest, nisi necessitas cogat, puta quia alias sequeretur absurdum, iniustum vel lex fieret prorsus inutilis: vitandum tamen tum vitium quo litterae innititur modo iudaico vel etiam pharisaico, tum illud quo littera nimis facile negligitur (1);

2) verba generalia generaliter sunt intelligenda, seu lex generaliter et indistincte loquens generaliter et indistincte est accipienda, nisi per aliam legem distinguatur seu determinetur; ratio habetur ex vulgari iuristarum adagio: « *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus* ». Notandum etiam indefinitam locutionem aequipollere universali, dummodo eadem ratio subsit omnium sub indefinita locutione comprehensorum (2);

3) in interpretando servanda est regula de verborum superfluitate vitanda, quo significatur in iuris aliisque dispositionibus generatim loquendo verba ita esse interpretanda, ut aliquid operentur: quod quidem in tantum verum est, ut verba potius ad impropriam significationem trahi debeant, quam ut sint superflua, dummodo tamen inde non sequatur iniquum vel absurdum (3); tandem

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 390-397.
(2) Cfr. Reiffenstuel, nn. 398-404.
(3) Cfr. Reiffenstuel, *Prooemium*, nn. 113-123.

4) in interpretando generatim loquendo iura iuribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque sine necessitate eorum asserenda est correctio, utpote quae est odiosa; hinc iurium contrarietas, quae non est prorsus manifesta, per congruam interpretationem est auferenda; salva tamen verborum proprietate et ratione recti sermonis, nisi aliunde constet de legislatoris mente, cui etiam contra propriam verborum significationem standum est (1).

IV. **Recurrendum ad mentem legislatoris.** Haec regula

1) **innititur iuris dispositioni** in R. I. 88 in 6°, quae sic habet: « Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem ». Accedit c. 6 X *de verb. signif.* V. 11, cuius cap. summarium exprimitur prout sequitur: « Verba sunt intelligenda non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis ». — Notandum tamen, hanc regulam tunc **solum applicandam,** quando verba dubia sunt vel obscura, vel saltem plus aut minus dicere videntur quam legislator voluit; nam si verba clarum et perfectum sensum habent, illis standum est, nec interpretatio ex mente quaerenda iuxta illud: « Verba clara non admittunt interpretationem nec voluntatis coniecturam ».

2) Porro **mens** sive voluntas legislatoris **colligitur** tum ex legis obiecto, fine, aliisque circumstantiis, quum etiam ex comparatione et connexione cum cetera, praesertim anteriore legislatione canonica, maxime si ipsum ius statuit vel insinuat priores canones esse consulendos, praecipue autem ex legis ratione in lege posita vel saltem aliunde certa (2). Hinc

(1) Cfr. Reiffenstuel, *Prooemium,* nn. 201-216.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 387-389; D'Annibale, *Summula theol. moralis*, tom. I, n. 188.

axiomata: « Ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse iuris dispositio », et: « De similibus idem est iudicium »; quae rationis identitas intelligenda est de *eadem* causa finali adaequata et unica, specialis et positiva, non tantum generalis et negativa [1], et rationis similitudo intelligenda est de similitudine *plena* sine dissimilitudine aliqua vel diversa ratione decidendi: sufficit autem similitudo praecise in puncto ad quod fit comparatio [2].

***Nota.*** In iure positivo, ordinarie loquendo, ex identitate rationis vel ex similitudine non est argumentandum ad casus omnino disparatos seu verbis legis nullimode comprehensos; legis enim ratio non est ipsa lex, et potest legislator de uno disponere et non de alio. Ex communi tamen sententia lex de casu ad casum extenditur in correlativis (quae natura sunt simul, ita ut posita se ponant, et perempta simul perimant: v. g. maritus, uxor), in aequiparatis (quae in legibus eodem iure habentur, licet dissimilia, v. g. electio, postulatio, praesentatio), in connexis (quorum unum sine altero stare non potest, v. g. facultas studendi, facultas utendi libris), et in subordinatis seu contentis (quae se habent tamquam totum et pars vel tamquam maius et minus in eodem genere, v. g. facultas dispensandi, facultas commutandi): exceptis semper odiosis, et iis quae exorbitant a iure communi, nisi et in his aliud ferat constans omnium DD. interpretatio [3].

v. **Respicienda materia legis,** utrum scil. sit favorabilis an odiosa: quod si in lege agitur de re favorabili generatim facienda est interpretatio lata, si

---

[1] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 131 II 2.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 410-414.

[3] Cfr. D'Annibale, loc. cit., tom. I, n. 186; Bouquillon, loc. cit., n. 132.

vero agitur de re odiosa generatim est facienda interpretatio stricta iuxta R. I. 15 in 6°: « *Odia restringi et favores convenit ampliari* » (1).

VI. **Considerandae clausulae,** quarum nomine intelligitur quaedam legis appendix, qua de eiusdem firmitate, extensione vel modo aliquid statuitur. Porro quum ex dictis nihil inutile in legibus censeri debeat, clausulae ut verae leges in data lege adiectae sunt habendae.

Clausulae in legibus pontificiis adhiberi solitae sunt quae sequuntur:

1) *de plenitudine potestatis — motu proprio et ex certa scientia, — non obstantibus* etc. (in locutione generali vel particulari): hae clausulae ita derogant legibus contrariis, ut imminuant vim regulae generalis quae iura praecipit conciliari;

2) *decernentes irritum et inane* etc.: cuius clausulae haec est vis, ut non modo ceteros actus contrarios impediat, sed et futuras contrarias consuetudines difficiliores reddat;

3) *sublata cuilibet aliter iudicandi atque interpretandi facultate:* quae clausula imprimis obstat, quominus legis integritas ac firmitas interpretationis nomine, praesertim in iudiciis, aliqua ratione minuatur, ac insuper, quum clausulam irritantem continere censeatur, contrarias consuetudines saltem difficiliores reddit (2).

VII. **Attendenda praxis vigens,** et imprimis praxis **Curiae Romanae** in lege intelligenda et applicanda: indubie enim manifestat, quo sensu lex a suprema in Ecclesia potestate urgeatur; deinde etiam praxis **communis** in lege observanda iuxta illud: « Consuetudo est optima legum interpres »: quod principium intelligendum de consuetudine etiam materialiter sumpta.

---

(1) Cfr. dicenda n. 23, Regula 15.

(2) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 133.

VIII. **In obscuris minimum est sequendum** (R. I. 30 in 6°), qua regula, quae est ultimo-practica, significatur, post media detegendi sensum legis sincere adhibita permanente dubio rationabili legem applicandam esse in sensu mitiore (1).

## 23. Regulae iuris (2).

I. **Regularum notio est divisio**. Regula iuris

1) **definitur** ut sit sententia generalis, quae plures leges vel canones agentes de diversis rebus et casibus eamdem rationem habentibus, brevi ac claro compendio complectitur et proponit.

Huiusmodi regulae habentur tum civiles quum canonicae; quarum utraeque

2) **dividuntur** in authenticas, quae auctoritate papali vel imperiali Corpori iuris canonici vel civilis reperiuntur insertae; in doctrinales, quae a iurisconsultis vel aliis doctoribus ex variis textibus vel etiam philosophorum dictis depromptae inveniuntur: doctrinales regulae communiter dicuntur brocardicae a corrupto nomine Burchardi, celebris olim canonistae. — Canonicae Regulae iuris authenticae habentur in Tit. XLI (ult.) Lib. V collectionis Gregorianae, et in fine Libri Sexti Bonifacii VIII.

II. **Regularum iuris auctoritas et usus**. Regularum iuris

1) **auctoritas** haec est, ut **authenticae,** utpote quae ab ipsis legislatoribus tamquam decisionum norma proponuntur, habeant **vim legis,** nisi casus sub regula contentus in ipso iure a regula exceptus ostendatur; **doctrinales,**

---

(1) Cfr. dicenda n. 23, Regula 30.

(2) Cfr. Reiffenstuel in tractatu speciali *de Regulis iuris* tom. VI; Wernz, tom. I, nn. 134 et 135.

licet non habeant vim legis, tamen **magnam** habent **probandi auctoritatem,** praesertim quae canonum legumve auxilio fulciuntur, vel stabili scholarum et curiarum usu universim sunt receptae.

2) Ad legitimum Regularum **usum** quod spectat attendendum, ut ipsae iuxta genuinum sensum applicentur illis dumtaxat casibus, qui habent eamdem rationem quam ipsa Regula habet, neque extendantur ad casus, qui in iure iam speciatim sunt decisi.

Regularum exceptiones dicuntur *fallentiae.*

III. **Regulae iuris praecipuae**. Regulae iuris authenticae aliae spectant legum interpretationem, aliae legum effectum, aliae dispensationes, privilegia et rescripta. Ex iis quae legum interpretationem spectant sunt praecipuae hae quae sequuntur ex insertis Libro Sexto Decretalium.

1) **Regula 15ª**: *Odia restringi et favores convenit ampliari.*

**Sensus regulae** est, ut, ubi re mature perpensa non constat de vera legislatoris in lege ferenda mente, et verba intelligi possunt sensu latiore vel strictiore, accipiendus sit strictior sensus in odiosis, latior vero in favorabilibus.

Porro **odium** et **favor** hac in re aestimari non debet ex legis fine ultimo, sic enim omnis lex foret favorabilis, utpote lata ad bonum commune, sed ex legis intrinseca materia. Hinc **favorabiles** dicendae sunt leges quae directe tendunt ad tuendos bonos mores, fidem, libertatem Religionis vel Ecclesiae, nullo gravi onere inducto, — item quae concedunt privilegium seu beneficium vel distinctionem honorificam sine praeiudicio vel alicuius tertii, vel iuris communis vel ipsius societatis; **odiosae** vero habendae sunt leges poenales, — item leges a iure exorbitantes (a lege communi simpliciter exi-

mendo certam personam vel certum personarum genus), vel illi derogantes illudve limitantes (a iure communi excipiendo certum casum quoad omnes), vel illud corrigentes (ius commune in aliquo casu mutando), vel ius prius abrogantes (legem aliquam totam abolendo, — item leges irritantes et inhabilitantes, — tandem generatim leges onus imponentes libertatem notabiliter coërcendo.

**Applicatio regulae** difficultatem non habet quando lex continet purum aut favorem aut odium. At non raro in eadem lege habentur simul favor et odium; quo in casu haec observanda docet Reiffenstuel (1): quotiescumque favor et odium ab invicem separari possunt, lex censenda est partim favorabilis, et late interpretanda, partim odiosa et stricte interpretanda; — si favor et odium separari nequeunt, lex censenda est simpliciter aut favorabilis aut odiosa iuxta principalem legislatoris intentionem desumendam ex legis verbis, subiecta materia etc.; quodsi haec principalis intentio non possit reperiri, lex censenda est simpliciter favorabilis et late interpretanda.

2) **Regula 30**: *In obscuris minimum est sequendum.*

In hac regula **obscurum** sumitur pro eo in quo, consideratis etiam considerandis, rei veritas non satis verisimiliter apparet: **minimum** intelligitur, quod minus obligat vel minus gravat.

**Sensus** igitur **regulae** est: Quando legis dispositio ita obscura est, ut neque ex verborum tenore, neque ex legis causa et fine, neque ex aliis circumstantiis vera legislatoris voluntas ne verisimiliter quidem satis appareat, id quod minus obligat vel gravat sentire debemus. Ratio est quod iura proniora sunt ad liberandum quam ad obli-

---

(1) Tom. VI, cap. 2, *Regula 15*, nn. 3-5.

gandum, magisque inclinant ad minuendam quam ad augendam obligationem.

3) **Regula 34**: *Generi per speciem derogatur.*

**Genus** apud iuristas dicitur omne illud quod plura sub se continet, sive haec plura sint verae species philosophicae, sive alia communia, sive mera individua et singularia, sive aliae partes aut res sub tali genere comprehensae. — **Species** in sensu iuristarum dicitur omne illud, quod sub genere iuridico, plura continente, comprehenditur, etiamsi individuum sit seu singulare, vel etiam illud quod quidem tamquam commune plura continet, tamen minus commune est et pauciora sub se comprehendit quam aliud cum quo hic et nunc concurrit, v. g. duae leges generales seu communes, quarum una magis generalis est quam altera.

**Sensus regulae** est hic: Quando duae dispositiones sibi contrariae concurrunt, illa quae specialis est derogat generali, et si ambae communes sunt, una tamen magis, altera minus talis, ea quae minus communis sicque species est, derogat magis communi tamquam generi in eo tamen dumtaxat, in quo specialis generali, vel minus communis magis tali contraria existit. Ratio et finis regulae est, ut discordantia species et genus quantum fieri potest concordentur iuxta cap. 29 de elect. in 6° I. 6. — Nihil autem refert, utrum species praecedat an sequatur legem, seu prius an postea sit constituta.

4) **Regula 39**: *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur ex illo.*

*Praenotandum* regulam esse intelligendam non tantum de iis quae simpliciter seu absque nullitate, sed etiam de iis quae sub nullitate prohibentur.

**Sensus regulae** est: Quando aliquid prohibetur, sive simpliciter sive sub nullitate, censentur prohibita, respective aut simpliciter aut sub nullitate, omnia illa, quae propter

necessariam connexionem et dependentiam ex principali prohibito sequuntur: ratio desumitur ex mutua connexione et dependentia.

***Nota.*** Ex hac regula in contrarium argumentando a Barbosa merito deducitur haec alia regula: *Quando aliquid conceditur, conceduntur omnia quae ad illud sunt necessaria:* sic v. g. facta alicui delegatione causae, censetur eidem etiam concessa potestas iudicandi et condemnandi contumacem (1).

5) **Regula 40**: *Pluralis locutio duorum numero est contenta.*

**Sensus regulae** est: Quandocumque in lege vel alia quacumque dispositione terminus pluralis, plures, plura, pluries etc., indistincte ponitur, requiritur et sufficit numerus dualis seu duorum, nisi maiorem numerum iura expresse requirant; quoniam enim numerus singularis non salvatur nisi in uno, ideo in pluribus uno, uti sunt duo, verificatur numerus pluralis.

6) **Regula 88**: *Certum est quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.*

**Sensus regulae** proprius est: Contra legem delinquit, verusque transgressor legis habetur, qui, voluntatem, mentem seu intentionem legis sufficienter perspectam habens, contra eiusdem mentem praetextu nudorum verborum fraudulenter interpretatur et observat legem. Ratio habetur ex eo, quod voluntas legislatoris facit legem, non verba nisi quatenus manifestent legislatoris voluntatem; hinc, ubi de hac voluntate ex visceribus legis, puta ex fine, ratione aliisque circumstantiis legis sufficienter constat, ex hac eadem voluntate, non ex nudis verbis, lex constitui dicenda est, eoque magis quod, ob inopiam verborum et copiam variorum im-

(1) Cfr. c. 5, X, *de officio deleg.* I. 29.

provisorum eventuum et casuum, lex verbis propriis non potest tam clare exprimi, ut subinde, spectando nuda verba, ad sensum a mente legislatoris diversum trahi non valeat.

### 24. Epicheia.

Nomine epicheiae

1) **intelligitur** benigna legum interpretatio secundum aequum et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter loquente non esse comprehensum. Differt proinde a legis interpretatione proprie dicta; siquidem in epicheia non agitur de declarando sensu legis ex legislatoris mente interna seu ex legis visceribus, sed de corrigenda lege ex legislatoris mente externa, praesumpta ex particularibus circumstantiis extrinsecis. — Circumstantiae particulares, quibus innititur epicheia, intelliguntur tales, in quibus legislator, licet possit, tamen non velit obligare iuxta totam legis universalitatem verbis legis expressam (1).

2) Epicheiam quandoque esse **admittendam** S. Thomas (2) demonstrat ex eo quod « humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus existunt, quae infinitis modis variari possunt; [quare] non fuit possibile aliquam regulam legis institui, quae in nullo casu deficeret; sed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes ». — Exinde patet, epicheiae tunc solum locum esse, quando lex genera-

(1) Scholastici cum D. Thoma, ex Aristotelis doctrina, epicheiam latiore sumunt sensu, ut epicheiam dicant, etiam quando casus particularis a lege universali excipitur propter vitandam iniustitiam vel nimis gravem obligationem. Cfr. D'Annibale, *Summula Theol. moralis*, tom. I, n. 187 in nota 49; Suarez, loc. cit., lib. VI, cap. 6, nn. 10-12.

(2) 2-2 qu. 120, art. 1.

liter loquitur; lex enim in casu singulari expresse, etsi durius, statuens non admittit benignam voluntatis legislatoris interpretationem, uti patet; praeterea notandum epicheiam hodie vix locum habere in foro externo, in interno autem eamdem non parti relinquendam propter hallucinationis periculum, sed prudenti docti viri iudicio discernendam, et quidem tunc solum quando superior adiri non potest sine gravi incommodo. Ceterum usus epicheiae legitimus videtur non solum ex certo, sed etiam ex vere probabili iudicio, particularem illum casum ex voluntate legislatoris lege generaliter loquente non comprehendi (1).

Scholion.

### Scientiae canonicae systema

Varium a variis auctoribus in distribuenda materia canonica adoptatur systema seu ordo scientificus: alii ordinem legalem seu C. I. C. adamussim retinent, alii legali ordine omnino relicto proprium sibi constituunt. Opportunius forsan media initur via, ut scil. retenta generali C. I. C. partitione in quinque libros horum tamen obiectum seu materia libera et propria ordinetur methodo; exinde hic statuitur huius tractationis canonicae ordo generalis:

**Liber I, De iure et magistratu** (Liber I Decretalium Gregorii IX. « *Iudex* »).

**Liber II, De personis et rebus** (Liber III Decretalium Gregorii IX. « *Clerus* »).

---

(1) Cfr. D'Annibale, *Summula Theol. moralis,* tom. I, n. 187 in fine; Waffelaert, *de dubio solvendo in re morali,* n. 332 sq.

**Liber III, De iure matrimoniali** (Liber IV Decretalium Gregorii IX. « *Sponsalia* »).

**Liber IV, De iudiciis** (Liber II Decretalium Gregorii IX. « *Iudicium* »).

**Liber V, De delictis et poenis** (Liber V Decretalium Gregorii IX. « *Crimen* » .

# LIBER I.

## DE IURE ET MAGISTRATU

***Libri conspectus.*** Est hic liber totius tractationis canonicae pars generalis et quasi fundamentalis; spectat, saltem quoad maximam partem, ad ius ecclesiasticum publicum, quod dicitur humanum, complectens leges ab ipsamet Ecclesia constitutas, quibus Ecclesiae constitutio quodammodo perficitur vel in se vel relate ad civilem potestatem, prouti in perficienda organizatione ecclesiastica ac in concordatis factum est, proindeque recte appellari possit ius canonicum (stricte dictum) publicum.

**Dividitur** hic liber in **tres partes**:

***Pars I*** disserit **de iure** seu legislatione ecclesiastica generatim, ac complectitur quatuor titulos: De constitutionibus. — De consuetudine. — De rescriptis. — De privilegiis.

***Pars II*** disserit **de magistratu in genere** seu de officiis ecclesiasticis, ac complectitur sex titulos: De natura magistratus. — De constitutione magistratus. —

De acquisitione magistratus. — De amissione magistratus. — De communibus iuribus et obligationibus magistratuum. — De vicariis et delegatis magistratibus.

***Pars III*** disserit **de magistratibus singillatim,** ac complectitur novem titulos: De Romano Pontifice et Curia Romana. — De Legatis, Nuntiis, ac Delegatis Apostolicis. — De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis. — De Episcopis. — De Capitulo cathedrali et Vicario capitulari. — De Vicariis episcoporum. — De Praelatis inferioribus. — De Parochis et Vicariis parochialibus. — De Conciliis et Synodis.

## PARS I.

## DE IURE SEU LEGISLATIONE ECCLESIASTICA

### Titulus I.

### De Constitutionibus.

Decret. lib. I, tit. 2, *de constit.*).

Cfr. Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Pirhing, Maschat, De Angelis, Santi-Leitner aliique commentatores Iuris Decretalium in hunc tit.; Suarez *de legibus,* praesertim lib. IV; Wernz tom. I nn. 89-135; Bargilliat nn. 54-99; Bouquillon *Theol. moralis fundam., de lege ecclesiastica;* Van den Berghe *Tract. de legibus.*

***Synopsis tituli.*** Explicatur hoc titulo theoria generalis legislationis praesertim ecclesiasticae; constitutionis enim nomen in sensu tituli sumitur pro quovis iure scripto seu lege lata, praesertim a potestate ecclesiastica sive suprema sive etiam inferiore. Agitur distinctis paragraphis de legis ecclesiasticae natura — de legis ecclesiasticae auctore — de legis ecclesiasticae obiecto seu materia — de legis

ecclesiasticae promulgatione, vacatione et acceptatione — de legis ecclesiasticae vi obligatoria — de subiecto per legem ecclesiasticam obligato — de legis ecclesiasticae dispensatione — de legis ecclesiasticae abrogatione et cessatione.

## § 1. — De legis ecclesiasticae natura.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) legis ecclesiasticae definitio et divisio; 2) legis proprietates; 3) notio praecepti eiusque differentia a lege.

### 25. Qu. 1. Quid sit lex ecclesiastica, et quomodo dividatur.

**Resp. 1.** Lex ecclesiastica **definitur:** Ordinatio obligans ex rationabili competentis superioris ecclesiastici voluntate communitati cui praeest [1] ad bonum commune data. — Proinde essentia legis existit in eo, ut sit voluntas efficax et absoluta obligandi, communitati qua tali [2] data in eiusdem bonum: voluntas seu intentio legislatoris obligandi est legis forma intrinseca, medium vero seu signum sensibile, quo internam suam obligandi voluntatem exprimit legislator est legis forma extrinseca, et sunt generatim verba vel scriptura.

**Resp. 2.** Lex ecclesiastica **dividitur**

1) ratione **obiecti** in legem affirmativam, quae

[1] Distinguenda communitas capacis legis ferendae a communitate capace legis recipiendae.

[2] Exinde tamen non inferendum, quae solum in partem seu classem aliquam communitatis feruntur ordinationes, v. g. in clericos vel religiosos, non esse proprie dictas leges; nam etiam tales ordinationes revera totam afficiunt communitatem, tuum quia feruntur in omnia communitatis membra, quae aliquando huic classi adscribantur, tum etiam quia communitatis qua talis bonum intendunt.

praecipit seu edicit aliquid faciendum, — in negativam, quae prohibet seu statuit aliquid omittendum;

2) ratione **effectus** in legem obligantem, quae est aut moralis, aut poenalis aut mixta, prout obligatio, quae imponitur, est immediate ad culpam, aut ad poenam tantum transgressoribus impositam vel imponendam, aut ad culpam et poenam simul, — in permittentem, quae licitam aut impunem aliquam actionem declarat, simulque aliis obligationem imponit, saltem certo quodam sensu, agentes non impediendi, — in irritantem, qua certi actus iuridico effectu carere declarantur, vel tali effectu privantur, et esse potest aut solum irritans, aut simul obligans (prohibens);

3) ratione **ambitus** in communem seu universalem, — in particularem seu territorialem (1).

### 26. Qu. 2. Quaenam sint legis proprietates.

**Resp.** Sicuti in omni lege humana, ita et in ecclesiastica **triplex** requiritur conditio seu **proprietas,** ut sit vera lex, seu ordinatio ex rationabili superioris competentis voluntate communitati proposita:

1) **Iustitia,** et quidem tum ratione materiae, ut nihil statuatur quod adversetur iuri divino, sive naturali sive positivo, vel etiam legi humanae altiori, tum etiam ratione modi, ut scil. iuste feratur, servando iustitiam imprimis legalem, ut res praescripta utilis sit ad bonum commune, deinde commutativam, ut superior non praetergrediatur limites suae potestatis, tandem distributivam, ut in imponendis oneribus etc. debita servetur proportio, ne alii prae aliis sine iusta causa graventur.

2) **Possibilitas,** ita ut lex sit observatu possibilis, non tantum physice, sed et moraliter, i. e. non nimis gravis seu onerosa, et quidem communitati seu uni-

(1) Cfr. n. 2. III. § 2.

versalitati membrorum, consideratis eorumdem moribus et consuetudinibus.

3) **Perpetuitas,** ita ut lex condita nonnisi ex causa extrinseca cesset, ac proinde etiam amoto vel mortuo legislatore perduret, ac subditos non solum actuales, sed et futuros obligandi vim habeat. — Disputant DD., num temporis determinatio, in lege ferenda apposita, sit contraria rationi seu indoli verae legis: quod probabilius negandum videtur, quia ex legis indole deduci non potest nisi perpetuitas quae excludat cessationem ex causa legi intrinseca [1].

Quae quidem legis conditiones seu proprietates ita sunt necessariae, ut si vel unica desit, cesset ratio verae legis [2]. Cavendum tamen, ne, si lex in aliquo ex praedictis deficere videatur, illico concludatur legem esse nullam; excepto enim casu, quo ex parte materiae manifeste inhonesta vel iniusta lex est, difficile est, praesertim in praxi, statuere, num et quatenus conditiones memoratae sint substantiales et ad valorem requisitae, et num in casu desint. Quamdiu autem lex non est manifeste nulla, tamdiu standum pro valore praescripti a certo superiore impositi.

### 27. Qu. 3. Quid sit praeceptum, et quomodo differat a lege.

**Resp. 1.** Praeceptum **intelligitur** ordinatio quaedam data immediate et directe non cuidam communitati, sed personis singillatim consideratis. — Hinc praecepta dare proprium est imprimis potestatis dominativae, utpote cui personae singulares qua tales sunt subiectae, deinde etiam iurisdictionis potestatis, quatenus illi vel ex speciali ratione (v. g. pacti vel voti), vel ex generali fine cu-

---

[1] Cfr. Suarez, loc. cit., lib. I, cap. 10, n. 16.

[2] Cfr. Layman, *de humanis legibus,* cap. 1.

randi bonum commune personae etiam singulares subduntur. — Porro huiusmodi praecepta dicuntur fori aut interni aut externi, prout dantur a superiore ceu patre ad bonum privatum singulorum, aut a superiore ceu magistratu ad bonum publicum ipsius societatis: quae posteriora praecepta eam exquirunt conditionem, ut fiant per aliquod instrumentum, quo de illius existentia et vi suppetat probatio (1).

**Resp. 2.** Lex et praeceptum **differunt** imprimis **natura sua** ex modo quo obligandi voluntatem exserit legislator: lex datur directe et immediate communitati qua tali ex potestate publica iurisdictionis, praeceptum vero datur directe et immediate personis singularibus ex potestate privata aut dominativa, aut etiam iurisdictionis, quatenus nempe membra communitatis etiam singularia eidem sunt subiecta; ex qua differentia tamquam ex causa DD. communiter deducunt hanc utriusque **effectuum** diversitatem, ut lex ex sese sit perpetua duretque post recessum ferentis, ac censeatur immediate afficere territorium legislatoris, et mediante loco singulos subditos, — contra praeceptum ex sese sit temporaneum expiretque ipsa ferentis auctoritate cessante, ac afficiat immediate personam eiusque veluti ossibus haereat quocumque terrarum discesserit.

Qua in doctrina DD. omnino consentiunt quoad differentiam ex natura sua, necnon quoad deductos exinde effectus legis; satis etiam conveniunt quoad deductos exinde effectus praeceptorum, quae dantur ex potestate dominativa, at non item si agitur de praeceptis datis ex potestate iurisdictionis; hinc

**Resp. 3.** Imprimis D'Annibale (2) cum sententia commu-

1) Ita Lega, *Praelectiones*, tom. III, p. 101 in fine.
2 *Summula Theol. moralis*, tom. I. n. 249.

niore quidem affirmat, praeceptum ita personae haerere, ut eamdem sequatur quocumque discedat, quando praecipientis potestas profluit ex pacto vel nulli territorio adscripta est, negat vero quando praeceptum profluit ex potestate iurisdictionis determinato territorio circumscriptae. — Deinde Wernz [1] communiorem sententiam, ex qua, resoluta vel suspensa iurisdictione et multo magis potestate dominativa in persona iubente, praeceptum pariter expirat vel suspenditur, admittit quidem *de facto* in communibus casibus propter defectum voluntatis in praelato iubente, at praefatam sententiam solido fundamento carere putat, si propugnetur absolute et generaliter propter defectum potestatis ex natura rei petitum.

E contra Lombardi [2] et Lega [3] concedunt quidem, sicuti leges ita et praecepta ex potestate iurisdictionis data non obligare extra territorium ferentis, nec ex natura sua expirare vel suspendi iurisdictione resoluta vel suspensa, quando huiusmodi praecepta spectant ad forum externum, at probabilius (ut videtur) contrarium sustinent cum communiore quando agitur de praeceptis fori interni, quod idem a fortiori sustinendum quando agitur de praeceptis latis ex potestate dominativa.

Tandem notandum contingere posse, ut praecepta data ex potestate tum iurisdictionis fori interni, quum ex potestate dominativa etiam cessante auctoritate praecipientis perdurent, si nempe — ut in religiosis Institutis nonnumquam fit — a competente auctoritate le-

[1] Tom. I, n. 135 (Ed. 2.).
[2] *Iuris canonici privati institutiones*, tom. I, p. 82 sqq.
[3] *Praelectiones*, tom. III, nn. 65-67.

gislativa ita fuerit statutum; contra nihil obstare, quominus etiam in foro externo dentur praecepta duratura tantum durante munere superioris praecipientis.

### § 2. — De legis ecclesiasticae auctore.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: potestas legislativa 1) universalis; 2) particularis; 3) autonomia in Ecclesia.

**28. Qu. I. Quinam possint in Ecclesia ferre leges universales.**

**Resp. 1.** Imprimis **Rom. Pontifex,** utpote cui Christus Dñus commisit in B. Petro Apostolo omnium ovium suarum curam, dicens ei: *pasce oves meas,* non distinguens inter has oves et alias, cum potestate ligandi et solvendi *quodcumque,* et hinc nihil excipiens, ut proinde nec censeatur excepta potestas legislativa, qua oves sibi commissas constitutionibus ecclesiasticis, ad spiritualem earum salutem provide factis, ligare valeat (1). Quae quidem potestas Rom. Pontifici competit non ex hominibus, sed immediate a Deo, ex textu c. 1 *de maior. et obed.* in Extrav. comm. I, 8: « Est autem haec auctoritas (etsi data sit ho-« mini et exerceatur per hominem) non humana, sed potius « divina, ore divino Petro data, sibique suisque successo-« ribus in ipso quem confessus fuit petra firmata: dicente « Domino ipsi Petro: *Quodcumque ligaveris* etc. »; ex quo consequitur, ut, celebrata semel canonica electione praestitoque in eam suo consensu, Rom. Pontifex absque ulla confirmatione, imo etiam ante suam consecrationem statim habeat auctoritatem regendi Ecclesiam universalem (2).

---

(1) Cfr. c. 6 X, *de maior. et obed.*, I, 33.
(2) Cfr. c. 4 X, *de sent. excomm.*, V. 10.

Porro Rom. Pontificis potestas legislativa est independens, ut per se solum, absque ullo sive Collegii Cardinalium sive episcoporum etiam in concilio generali congregatorum consensu vel consilio, eamdem exercere valeat; necnon plena, ut se extendat ad omnia obiecta, de quibus Ecclesia leges disciplinares condere potest, nec ullis circumscribatur canonibus humana auctoritate constitutis, quos pro circumstantiis abrogare, modificare, quibus derogare et in quibus dispensare potest ipse Pontifex. — Non tamen exinde legislativa Rom. Pontificis potestas illimitata est et arbitraria; limitatur enim — ut notat Wernz [1] — iure divino naturali atque positivo; deinde quum potestas legifera Rom. Pontifici data sit in aedificationem, non in destructionem Ecclesiae, ipse in legibus condendis imprimis rationem habeat necesse est finis Ecclesiae, mansuetudinis Christi supremi legislatoris Ecclesiae, item singularis indolis atque naturae Ecclesiae eiusque constitutionis fundamentalis, denique difficultatum temporum atque indigentiarum nationum.

**Resp. 2. Concilium oecumenicum,** seu generale episcoporum concilium una cum Rom. Pontifice; huiusmodi enim concilium, utpote repraesentans Ecclesiam docentem et regentem, eam habet potestatem, quam Christus Ecclesiae contulit. Hinc concilium generale sine Rom. Pontifice, etsi legitime convocatum vel celebratum tempore schismatis vel Papae dubii, leges pro tota Ecclesiae ferre non potest; nec etiam Sede Apostolica vacante, Collegium Cardinalium, in quod suprema potestas nequaquam transit [2], et quod illam tantum potestatem exercere potest, quae necessaria est pro electione Rom. Pontificis vel pro defensione

---

[1] Tom. I, n. 139.

[2] Cfr. Bouquillon, loc. cit., n. 110, p. 289 in nota. Ed. 3.

Ecclesiae (1). — Notandum tamen in concilio oecumenico episcopos non esse meros Pontificis consiliarios, sed veros fidei iudices et conlegislatores, ita ut concilium oecumenicum constituat vere alterum supremae in Ecclesia auctoritatis subiectum, ast inadaequate tantum a Rom. Pontifice distinctum.

Concilii oecumenici potestas legislativa eodem sensu plena est ac potestas Rom. Pontificis, atque ad eadem se extendit obiecta.

**Resp. 3.** Nonnullae **Congregationes Cardinalium** ex delegatione Rom. Pontificis, in determinatis quibusdam materiis et cum dependentia a suprema Rom. Pontificis auctoritate: quae res indubia est de S. R. C. ex decreto 23 Maii (17 Iul.) 1846, quod sic habet: « Decreta a S. C. [intelligitur S. R. C.] emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae, eamdem habent auctoritatem ac si immediate a Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae »; — item de S. C. de Propag. Fide ex hoc quod sequitur decreto 30 Iul. 1652: « Referente Emo Card. Cesio litteras Fr. Antonii a S. Maria strictioris observantiae S. Francisci et Praefecti Missionis Sinarum Ordinis eiusdem scribentis ab insulis Philippinis, esse ibi aliquos religiosos, qui parvipendentes decreta praefatae S. C. de Propag. Fide cum maximo animarum praeiudicio spargunt per illas partes, resolutiones et decreta praefatae S. C. facere tantum opinionem probabilem, uti puram et simplicem Cardinalium declarationem, unde posse etiam contrarium defendi: SSmus D. N. (Innocentius X) confirmavit decretum s. m. Urbani VIII, videlicet quod Decreta S. Congr. Generalis de Propag. Fide, quotiescumque sint a Praefecto eiusdem firmata, a Secre-

(1) Cfr. c. 3, *de elect.* in 6° I, 6; c. 2, *de elect.*, Clement. I, 3; Reiffenstuel, loc. cit. n. 91.

tario subscripta et sigillo munita, vim et valorem habeant Constitutionis Apostolicae ac ab omnibus et singulis inviolabiliter serventur »; — idem affirmandum de S. C. C. ex Sixti V Const. *Immensa,* ex qua haec S. C. « in his quae ad morum reformationem concernunt auctoritatem habet pro iustitia et aequitate decernendi quaecumque sibi visa fuerint in universo orbe » [1].

Nec contra hanc doctrinam valet ratio quam affert Suarez apud Wernz [2], scil. ad potestatem legislativam in Ecclesia universalem requiri infallibilitatem, quae est incommunicabilis. « Nam — ut habet Van den Berghe [3] — quemadmodum, non obstante infallibilitatis incommunicabilitate, Rom. Pontifex conferre potest et de facto confert quibusdam Cardinalium Congregationibus potestatem ferendi, sub ipsius dependentia, decreta et decisiones doctrinales, quibus ab universis fidelibus obedientia debetur: similiter et meliore forsan iure valet, salva manente infallibilitatis incommunicabilitate, huiusmodi Congregationibus tribuere iurisdictionem ad condenda decreta et ordinationes disciplinares vim obligandi universalem habentes; hoc autem nihil aliud est quam delegare potestatem ferendi leges universales ». — Ceterum Suarezii doctrina de indelegabilitate potestatis legislativae universalis cum Wernz intelligenda videtur de absoluta huiusmodi potestate v e r e u n i v e r s a l i i. e. pro s u p r e m o gradu et in o m n i b u s materiis exercenda.

**29. Qu. 2. Quinam possint in Ecclesia ferre leges particulares.**

**Resp. 1. Episcopi,** servatis conditionibus a iure communi requisitis, pro s u a d i o e c e s i; hoc enim exigit pastorale officium quod exercent: idque non solum i n s y-

[1] Cfr. Lega, *Praelectiones,* tom. II, n. 293.

[2] Loc. cit. n. 92, sub III. — [3] Loc. cit., n. 53, p. 50 in nota.

nodo dioecesana, sed etiam extra eamdem [1], nec admittendum quod nonnulli docent, constitutiones episcopales extra synodum latas esse tantummodo praecepta, non veras leges [2]. Quae episcoporum legislativa potestas comprehendit leges poenales etiam latae sententiae [3], necnon, exceptis casibus in iure specialiter expressis, leges irritantes, nullus enim in contrarium affertur expressus et generalis canon [4]; et licet episcopi nihil statuere valeant contra ius superius, illud tamen, non solum canonicum, sed et divinum et naturale, urgere possunt per poenae adiectionem [5]. Praedicta potestas condendi leges competit episcopo ante consecrationem, non tamen ante confirmationem et ante praesentatas suae promotionis litteras Capitulo cathedrali [6].

Praeterea eamdem quam episcopi potestatem legislativam habent **Praelati nullius** cum territorio separato, **Vicarii Apostolici,** necnon **Coadiutores episcoporum** cum plena administratione.

Tandem leges ferre possunt **Legati a latere** pro suo territorio [7].

***Nota.*** **Cardinales** in suis titulis et diaconiis licet iurisdictione sua quasiepiscopali etiam nunc non absolute sint privati [8], tamen ipsorum potestas legislativa quam olim

---

[1] Cfr. c. 2 et 9 X *de maior. et obed.*, I, 33.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. n. 70.

[3] Arg. ex c. 2, *de constit.*, in 6°, I, 2.

[4] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 93, III.

[5] Arg. ex c. 2, *de constit.*, in 6°, I, 2; cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 75 et 76. — De effatu DD.: *Potest episcopus in sua dioecesi, quod potest Papa in tota Ecclesia,* cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 77 et 78.

[6] Cfr. c. 1, *de elect.*, Extrav. commun. I, 3.

[7] Cfr. c. 10 X *de officio legati,* I, 30.

[8] Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. XI, p. 511 sq.

in clerum et populum exercuerunt [1] per Innocentium XII Const. *Rom. Pontifex* 17 Sept. 1692 reducta est ad potestatem quamdam oeconomicam in clerum suum [2].

**Resp. 2. Capitulum cathedrale, sede vacante,** intra octo dies et ante electionem Vicarii capitularis, dein electus **Vicarius capitularis** solus. Ratio est quia sede vacante Capitulum et dein Vicarius capitularis succedunt episcopo in his quae sunt iurisdictionis [3]: sed potestas condendi leges pertinet ad potestatem iurisdictionis. Ergo. — **Sede autem plena** Capitulum leges pro populo vel clero dioecesano ferre non potest, quia vivente episcopo iurisdictionem in dioecesanos non habet, sed tantum consilio suo concurrit ad legislationem dioecesanam iuxta sanctiones iuris communis [4].

***Nota.*** **Vicarius generalis** absque speciali mandato leges dari nequit, ne in iis quidem quae per generale mandatum sibi sunt commissa [5].

**Resp. 3. Concilia particularia,** sive nationalia seu plenaria sive provincialia, pro respectivo territorio seu respectiva natione vel provincia [6]; constat ex recepta praxi Ecclesiae ac pluribus conciliis hactenus celebratis propriasque constitutiones facientibus. — In hisce conciliis potestas legislativa exercetur per pluralitatem votorum, etiam contra voluntatem respectivi praesidis, scil. Patriarchae, Primatis, vel Archiepiscopi, qui per se solos, sine consensu ma-

---

[1] Cfr. c. 11 X *de maior. et obed.*, I, 33.

[2] Cfr. Wernz, loc. cit. n. 93 in nota (30).

[3] Cfr. c. 11 et 14 X *de maior. et obed.*, I, 33; c. unic. eodem tit. in 6° I, 17 coll. Trident. Sess. XXIV, cap. 16, *de reform.*

[4] Cfr. c. 3 X *de his quae fiunt a prael.* III, 10; Benedictus XIV, *de synodo*, lib. XIII, cap. 1, n. 9 sq.

[5] Cfr. S. C. C., 4 Dec. 1655 in edit. Richter Conc. Trident. p. 328; Benedictus XIV, *de synodo*, lib. II, cap. 8, n. 3.

[6] Cfr. Conc. Trident. Sess. XXIV, cap. *de reform.*

ioris partis conciliorum, ordinarie saltem ferre non possunt leges patriarchatui vel provinciae quibus praesunt [1]. — Compara doctrinam hoc num. Resp. 1 et 2 datam de episcopis et capitulo cathedrali sede plena.

**30. Qu. 3. Num et quatenus in Ecclesia admittenda sit autonomia.**

**Resp. 1.** Autonomia, quatenus ad potestatem legislativam spectat, **intelligitur** facultas ordinationis vel legislationis propriae institutis ecclesiasticis tamquam personis moralibus competens; aliis verbis est potestas, qua instituta huiusmodi propriis a se latis ordinationibus vel legibus membra ad finem praestitum dirigere possunt; constituit proinde ius singulare vel peculiare, quod scil. vim suam nonnisi intra respectivum institutum exerit.

**Resp. 2.** Certum est apud omnes, **Capitula ordinum religiosorum virorum exemptorum** gaudere iure autonomiae, quo possint condere statuta, etiam quae habent vim et naturam verarum legum ecclesiasticarum [2], servatis tamen normis in respectivo ordine ex approbatione apostolica vigentibus: ex quibus normis etiam colligendum erit, penes quos in quolibet ordine praedictum ius resideat. — Huiusmodi normae pro **Ordine nostro** constitutae habentur quoad novas Constitutiones generales Constit. Geñlium Art. 437, quoad ordinationes provinciales Constit. Geñlium Art. 470-472, 489.

Praedicto autonomiae iure, quatenus complectitur potestatem legislativam proprie dictam, plerumque destituuntur praelati et superiores ordinum praedictorum singuli; possunt tamen praecepta dare etiam ex potestate iurisdictionis, habent enim regendae suae

---

[1] Cfr. c. 7, caus. XI, qu. 3; c. 25 X *de accusat.*, V, 1.
[2] Cfr. c. 7, X *de statu monach.*, III. 35.

communitatis potestatem quasi-episcopalem. — Neque competit potestas legislativa Capitulis religiosarum mulierum, etiam exemptarum, neque (ut videtur) Capitulis religiosorum virorum non exemptorum, multo minus praedictorum superioribus ac superiorissis singulis, qui tamen praecepta dare possunt ex potestate dominativa et domestica.

**Resp. 3. Capitula canonicorum, universitates, confraternitates,** aliaeque communitates inferiores eatenus fruuntur iure autonomiae, quatenus, servatis normis iuris communis et proprii, valent condere ordinationes seu statuta, quae obligant membra vi pacti vel iuramenti praestiti, et quidem ad poenam tantum vel etiam ad culpam iuxta naturam pacti vel praestiti iuramenti (1); et licet ad hoc ex sententia veterum (2), in iure antiquo satis fundata, non requiratur, saltem in levioribus, episcopi consensus vel approbatio, tamen ex disciplina nunc communiter recepta necessitas huiusmodi approbationis omnino est affirmanda (3). — At huiusmodi instituta iure autonomiae gaudere etiam in tantum, ut ferre possint veras leges, ex plurium contra alios sententia negandum videtur, nisi huiusmodi potestatem habeant ex speciali pontificio indulto vel ex legitima consuetudine; ratio est quia huiusmodi iurisdictio legifera nullo certo iure probatur (4). — Fieri etiam potest, ut ordinationes conventionales a competente auctoritate episcopali vel papali specialiter approbatae fuerint tamquam verae leges ecclesiasticae.

---

1) Cfr. c. 8 et 11 X *de constit.*, I, 2; c. 11 X *de praeb.*, III, 5.

2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 87 et 94.

3) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 94 III in fine cum nota (37).

4) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 96; Wernz, loc. cit., n. 94, III et IV circa finem.

§ 3. — De legis ecclesiasticae obiecto seu materia.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) legis ecclesiasticae obiectum generatim; 2) actus interni; 3) actus praeteriti.

**31. Qu. 1. Quodnam sit generatim legis ecclesiasticae obiectum.**

**Resp. 1.** Generale legis ecclesiasticae obiectum est **id** quod **ad finem Ecclesiae convenienter prosequendum** postulatur. — Porro quum finis Ecclesiae sit supernaturalis, proprium et directum legum ecclesiasticarum obiectum sunt res spirituales, sive tales illae sint natura sua sive propter causam ad quam referuntur [1]; obiectum vero indirectum etiam res temporales et mixtae sub respectu temporali, in quantum hoc a fine Ecclesiae exigitur: circa quod obiectum varii in Ecclesia legislatores disponere tantum possunt « *secundum rationem superioritatis* » [2], i. e. ea tantum quae in ambitu suae iurisdictionis continentur. — In controversiis cum potestate civili de limitibus obiectorum res componenda est aut ex mutua conventione, prout communiter fieri solet, aut etiam, quod iure fieri potest, dirimenda ex infallibili definitione vel imperio solius potestatis ecclesiasticae.

**Resp. 2.** Quum, sicuti quaelibet lex humana, ita et lex ecclesiastica ex dictis n. 26 debeat esse de re moraliter possibili universalitati membrorum, hinc **non omnia** omnino, **quae ad praedictum obiectum spectant,** ab

---

[1] Cfr. Leonis XIII, Encycl. *Immortale Dei*; Bouquillon, loc. cit., nn. 111 et 113.

[2] S. Thomas, 2-2, qu. 104, art. 5.

eadem praecipi vel prohiberi possunt. Et quidem, docente D. Thoma [1],

1) non omnium praeceptorum divinorum et naturalium, sed graviorum tantum observantia sanctione ecclesiastica urgeri potest, plus enim non patitur humana fragilitas, proindeque conveniens est, ut plura ex iis, quae lege naturali vel divina prohibentur, lege ecclesiastica permittantur, non quidem permissione qua licita fiant, sed qua fiant libere et non impediantur; similiter lege ecclesiastica

2) non omnia indeterminata aut libera praecipiendo aut prohibendo determinari possunt, sed ea tantum quae sunt multitudini accommodata, et exinde

3) actus heroici, i. e. qui pro universitate sociorum cum arduitate vel nimia difficultate coniuncti sunt, ordinarie et per se absolute praescribi nequeunt; possunt autem per accidens quando bonum commune praevalens id exigit, vel etiam sub hypothesi, quae a libera subditorum voluntate dependet, amplectendo v. g. statum cui talis lex est adnexa [2].

**32. Qu. 2. Num et quatenus lege ecclesiastica praecipi vel prohiberi possunt actus interni.**

**Resp. 1.** Certum est apud omnes lege ecclesiastica praecipi vel prohiberi posse, praeter actus simpliciter externos (etiam occultos), **actus mixtos,** actus scil. internos, qui cum actu externo coniunguntur aut essentialiter, i. e. tamquam eius forma qua redditur actus externus humanus, vel moraliter, i. e. tamquam conditio vel complementum ad moralem actus externi substantiam; ratio habetur ex necessario et intrinseco unius cum altero nexu.

**Resp. 2.** Quod vero spectat ad **actus internos** cum

---

[1] 1-2, qu. 96, art. 2 et 3.

[2] Cfr. Bouquillon, loc. cit., n. 112.

actu externo **coniunctos accidentaliter,** v. g. intentio impetrandi pluviam coniuncta cum precibus, et **actus mere internos,** DD. graves ab utraque parte decertant. Quaestione intellecta de ecclesiasticae iurisdictionis **socialis** (a qua distinguenda Ecclesiae potestas qua agit aut instrumentum Dei et Christi, ut in foro poenitentiali, aut legis divinae interpretem, ut in fidei definitionibus) **obiecto proprie dicto** (non de conditione sub qua, vel causa ob quam lex aliqua actum externum attingit, v. g. poenalis dispositio in eum qui scienter aliquid fecerit) sententia communior negans saltem probabilior dicenda videtur. Ratio habetur ex iuridico conceptu iurisdictionis socialis ad quam spectat potestas legislativa; iurisdictio enim socialis est gubernativa communitatis qua talis; atqui huiusmodi gubernationis materia proportionata non sunt nisi actus qui constituunt externam sociorum activitatem; ergo. Confirmatur iuris textibus: c. 34 X *de simonia*, V, 3 legitur: « Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare », et Conc. Trid. Sess. XXIV c. 1 *de reform. matrim.* habetur: « Ecclesia de occultis non iudicat »; imprimis enim hi textus ex contextu, qui est respective de interna intentione simoniaca et de praestito consensu matrimoniali in matrimonio clandestino, intelligendi sunt de actu mere interno; deinde ex eodem contextu verbum *iudicare* interpretandum videtur, non de sola potestate iudiciali stricte dicta, sed de exercitio cuiusvis iurisdictionis socialis qua comprehenditur etiam potestas legislativa: quae interpretatio suadetur ex eo, quod leges latae de actibus internis inutiles forent dicendae, quum earumdem observantia per se humano et efficaci modo urgeri non possit [1]. — Accedit conformis Ecclesiae praxis, ex qua nullum indubium exemplum in contrarium afferri potest. — Quum igitur ex sententia inter

[1] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 98.

DD. communiore, et intrinseca ratione vere probabili, imo (ut videtur) probabiliore potestas Ecclesiae legislativa non extendatur ad actus internos, hinc in interpretandis legibus et maxime poenis ecclesiasticis ab ea non est recedendum.

**Resp. 3. Argumenta in contrarium** desumuntur

1) ex fine supernaturali procurando ab ecclesiastica potestate, ad quem finem potior ratio habetur actuum internorum quam externorum. — Finis supernaturalis ab ecclesiastica potestate est procurandus modo eiusdem potestatis indoli consentaneo, et hinc a potestate Dei vicaria, potius divina quam humana, utique etiam immediate et per actus internos, a potestate vero iurisdictionis sociali solum media honestate actuum externorum. Potestatem vero Ecclesiae omnem modo omni finem praedictum operari debere in proposita difficultate supponitur, sed non probatur.

2) ex potestate universali Ecclesiae data per verba Christi: « *Quaecumque alligaveritis* etc. »; ergo respicit etiam actus internos. — Praefata Christi verba ita universaliter intelligenda esse, ut Ecclesiae potestas nullo omnino limite restringatur, ex absurdis refutatur; nullo nisi rationabili constringi concedendum est, at vere rationabilis videtur limes positus relate ad socialem iurisdictionem, quippe qui eiusdem potestatis indoli vere est consentaneus.

3) ex facto exercitae potestatis ecclesiasticae in actus internos: v. g. irritando vota privata et in iisdem dispensando, imponendo internum assensum in materia fidei, praescribendo missae applicationem, imponendo preces ad certum finem, praescribendo in missae celebratione meditationem post sumptionem S. Hostiae. — Huiusmodi autem exempla vel spectant ad potestatem Dei vicariam, vel respiciunt actus mixtos, vel innituntur falso supposito.

**33. Qu. 3. Num materia legis ecclesiasticae esse possit actus praeteritus.**

**Resp.** Lex **proprie dicta,** i. e. quatenus novum ius constituit, **natura sua** non extenditur ad praeterita (1), imo quatenus est moralis extendi omnino non potest; aliter res se habet in legislatoris dispositione, quae est mera legis praeexistentis declaratio.

Verum ex **expressa legislatoris voluntate** extendi potest lex quoad aliquos effectus (2) nempe *a*) quatenus statuit poenam in actum iure praeexistente, saltem naturali vel divino, iam prohibitum, *b*) quatenus est inhabilitans vel irritans, nisi forte negotii rescissio iuri divino repugnet: generatim autem non fit nisi in actibus aliquo modo infirmis, utpote aliqua parte contra legem factis, aut in poenam alicuius delicti, aut propter tantam necessitatem boni communis ut ad subveniendum illi possit quis suis bonis privari (3).

## § 4. — Legis ecclesiasticae promulgatio, vacatio, et acceptatio.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) promulgationis necessitas et modus; 2) legis ecclesiasticae vacatio; 3) legis ecclesiasticae acceptatio.

**34. Qu. 1. Num et qualis requiratur in lege ecclesiastica promulgatio.**

**Resp. 1.** Promulgatio **intelligitur** voluntatis legislatoris ad aliquid obligantis signum authenticum et publicum. Dicitur signum, nempe externum aliquid (verba vel scri-

---

(1) Cfr. c. 2 X *de constit.*, I, 2.
(2) Cfr. c. ult. X *de constit.*, I, 2.
(3) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 97; Suarez, loc. cit. lib. III, cap. 14

ptura) quo dicta legislatoris voluntas fit manifesta, authenticum, procedens scil. ab ipso legislatore vel saltem eius nomine et auctoritate, publicum, ita nempe propositum ut ex eo de legislatoris voluntate obligante communitati constare possit. — Hinc a promulgatione distinguatur necesse est tum legis divulgatio, qua intelliguntur media, sive a legislatore sive ab aliis adhibita, quibus factae promulgationis, i. e. propositi praefati signi, notitia facilius diffundatur in communitatem, tum ipsa legis cognitio actualis, quae esse potest sine promulgatione, sicut et promulgatio esse potest sine legis cognitione; proinde legis promulgatio respicit solum factum latae legis, non vero eiusdem sensum, ita ut lex in se possit esse sufficienter promulgata, et tamen vere dubia et obscura quoad sensum: exemplum habetur in lege Benedicti XIV de non absolvendo complicem. Hinc quando scribit Ojetti [1] de promulgatione in genere: « Sufficienter autem lex est promulgata, quando est certa quoad eius existentiam, et manifesta quoad eius sententiam, seu quoad id quod praecipit vel prohibet »: posterior affirmatio, quatenus exprimere intendit alterum requisitum ad sufficientem promulgationem stricte necessarium, nullimode videtur admittenda.

**Resp. 2. Necessitas promulgationis** in lege ecclesiastica proinde importat, ut requiratur latae a superiore competente legis signum authenticum et publicum sensu explicato, et quidem ad hoc ut lex lata habeat valorem et obligationem inducat. Ratio est quia lex est norma qua diriguntur actus humani; sed actus humani norma aliqua dirigi non possunt, nisi habeatur scientia ipsius normae; haec autem scientia requirit signum, quo norma data fit manifesta; quod signum dicitur promulgatio; ergo. Et

[1] Loc. cit., verb. *Lex* p. 156. col. 2.

quia lex est norma communis, i. e. data communitati qua tali, non singulis personis, signum requiritur et sufficit tale, quo data norma fit manifesta ipsi communitati, non singulis personis: concordat textus iuris [1], qui sic habet: « .... Nec sit necessarium, cum Constitutio solemniter editur aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcare, sed id solum sufficiat, ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam aut publice promulgatam.... ». — Porro quum promulgatio, utpote signum datae legis, hanc ipsam suo esse iam constitutam supponat, promulgatio verius (ut videtur) non est dicenda legis pars constitutiva, sed potius conditio sine qua non habetur legis effectus qui est obligatio, quae quum spectet ad legis rationem iuridicam, huius etiam pars constitutiva dici debet promulgatio.

Quae contra necessitatem promulgationis profert Bouix *de Curia Romana* p. 307, praesertim ex Regulis Cancellariae, nihil omnino probant [2].

**Resp. 3. Modus promulgationis** positivus, seu determinata quaedam in promulgando solemnitas, arbitrio legislatoris statuendus relinquitur intra limites tamen iuris naturae, ex quo requiritur et sufficit propositio legis talis, ut lex morali ac humano modo, mediate vel immediate, simul vel successive in subditorum notitiam venire possit.

1) De modo promulgationis **in constitutionibus pontificiis** olim inter DD. viguit controversia, utrum nempe sufficeret promulgatio Romae facta, an requireretur promulgatio in singulis provinciis vel dioecesibus [3]. — At

---

[1] c. 1, *de postulat.*, I, 5.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn., 107-109; Wernz, loc. cit., n. 100; Lega, *Praelectiones*, tom. II, n. 294.

[3] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 117-134; Sanguineti, (Ed. 4) p. 62 III.

iam dudum invaluit praxis, ut constitutiones pontificiae Romae tantum publicentur, quae praxis introducta videtur eam praesertim ob causam, ne leges pontificiae ab episcopis pendere viderentur, neve principes earumdem promulgationem impedire possent. Porro promulgationem Romae tantum factam ex mente Rom. Pontificum legitimam esse habendam probatur

**a**) ex formula a Rom. Pontificibus in suis constitutionibus apponi solita, qua declarant se intendere, eas « sic [i. e. Romae tantum] publicatas ab omnibus ad quos spectant perinde habendas esse ac si unicuique illorum personaliter intimatae fuissent vel exhibitae » ;

**b**) a contrario, ex exceptionali nempe quarumdam constitutionum clausula, qua earumdem promulgatio in singulis dioecesibus vel provinciis expresse praescribitur;

**c**) ex recepta consuetudine seu stylo curiae Romanae, quo omnes orbis christiani lites iudicantur et dignoscuntur iuxta leges etiam Romae tantum divulgatas.

Neque opponi potest dictum promulgandi modum praescripto legis naturalis non satisfacere; contrarium enim luculenter patet ex facto, praesertim hac nostra aetate qua tot sunt legis promulgatae divulgandae media, ex multiplici episcoporum cum Sede Apostolica relatione, ex facili exemplarium multiplicatione per typos eorumdemque diffusione per ephemerides, quibus consideratis moraliter fieri non potest, ut citius vel serius pro locorum distantia, lex Romae tantum promulgata universo orbi christiano non innotescat. — Neque dicatur acquisitam exinde legis tenoris notitiam non esse sufficienter certam; imprimis enim habemus ephemerides Romanas quibus titulus *Acta S. Sedis,* quas (uti supra iam notatum est) Pius X ex S. C. de Propag. Fide rescripto 23 Maii 1904 « authenticas et officiales Apostolicae Sedis Actis publice evulgandis declaravit » ; deinde dubia etiam legis latae notitia hoc saltem effi-

cit, ut episcopi ex officio teneantur consulendo S. Sedem dubium amovere.

Certa proinde, et quidem ita ut — iudice Maschat [1] — sententia opposita non videatur satis tuta pro foro conscientiae, hodie dicenda est sententia, quae, nisi Pontifex in nova lege alium promulgandi modum determinet, iure tum naturali tum canonico sufficientem statuit promulgationem Romae tantum factam. — Quod vero spectat exceptionem de lege irritante a nonnullis traditam [2], tenenda videtur sententia quam docet Suarez [3], ex qua leges irritantes statim post legitimam promulgationem suum habent effectum, si habuerint clausulam *ex nunc,* quae tamen clausula regulariter non apponitur, nisi in rebus vel actionibus, in quibus Pontifex potest libere disponere et dispensare; « at vero in aliis rebus — ita subdit n. 8 — quae non ita pendent ex voluntaria institutione Pontificum, sed supponunt aliquod naturale ius, quod per humanam legem interdum modificatur, id numquam fit sine concessione sufficientis temporis, ut lex ad notitiam perveniat ».

Determinata in promulgando solemnitas haec a DD. communiter assignatur, ut constitutiones pontificiae affigantur « in locis quae sunt populo frequentiora, nempe in acie campi Florae, ad valvas Curiae Innocentianae, [hodie tamen omittitur ob immutatam loci conditionem] et Cancellariae Apostolicae, necnon ad valvas Basilicae SS. Apostolorum » i. e. basilicae Vaticanae [4]; ast ex vigenti praxi nec haec solemnitas in pluribus observatur, sed simpliciter legis latae documentum authenticum, sive ipsius Pontificis sive ab aliqua Congregatione mandante Pontifice editum,

---

[1] Lib. I, tit. 2, n. 14. — [2] Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 96. *Quaer.* I° in fine. — [3] Loc. cit., lib. V, cap. 33. — [4] Santi, lib. I, tit. 2, n. 23.

publicatur; ex quo quum habeatur « voluntatis superioris ad aliquid obligantis signum authenticum et publicum », huiusmodi authentica editio recte dicitur sufficiens promulgatio.

2) In **legibus episcopalibus** ex doctrina Benedicti XIV [1] sufficit, ut « aut publice legantur in ecclesia cathedrali, aut voce preconis in platea civitatis adstantibus significentur, aut scriptae affigantur in loco publico ad hoc designato. Quinimmo si statuta synodalia non populum, sed solum respiciunt dioecesis clerum, alia non indigent publicatione ab ea distincta, quae fit in ipsa synodo, cui interest praecipua pars eiusdem cleri ».

3) Tandem notandum promulgationis legitimae defectum suppleri posse per **promulgationem aequivalentem.** quae facto habetur, usu scil. et relatione auctorum. S. Alphonsus [2], de obligatione declarationum SS. CC. scribit: « Addendum tamen est, quod huiusmodi declarationes, quae iam in Ecclesia universaliter divulgatae, et facto sic promulgatae fuerint usu plurium annorum, vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hae satis omnes fideles obstringunt ».

### 35. Qu. 2. Num et quatenus necessaria sit promulgatio in interpretatione authentica.

**Resp. 1.** Certum est apud omnes formalem interpretationis promulgationem requiri, quando interpretando primitivus sensus legis mutatur vel eidem aliquid additur, quia eatenus constituitur nova lex, quae absque promulgatione non obligat. — Ast quando interpretatio continet meram primitivi sensus legis expositionem, formalis eiusdem promulgatio, ex sententia inter recentiores

---

[1] *De synodo,* lib. XIII, cap. 4, n. 1.

[2] Lib. 1, n. 106, qu. 2° coll. *In Elencho Quaest. reform.* qu. 2.

iam communiore, non requiritur; ex supposito enim sensus declaratus iam ab initio inerat legi, sicque una cum ipsamet lege sufficienter censetur promulgatus; nec aliter res se habet, etiamsi legislator primitivus personaliter intenderit sensum diversum a sensu per authenticam interpretationem determinato; nam in lege non agitur de sensu personae legem ferentis, sed de sensu legislatoris qua talis seu de sensu, quem persona legem ferens verbis legis promulgatae expressit. « Non magis — ita Bouquillon [1] — requiritur formalis promulgatio, quando agitur de lege humana quam quando agitur de lege divina; satis est si constet decisivam interpretationem a competente auctoritate prodiisse » [2].

**Resp. 2.** Praefatae sententiae refragatur cum nonnullis Wernz [3] docens, necessariam esse promulgationem etiam pro casu, quo per authenticam interpretationem mere declaratur lex vere dubia seu sensus legis obscurus: cuius rei practicum signum est exstans inter DD. lis seu disputatio; nam — ita argumentantur — in isto casu legis declaratio est vere nova lex, utpote quae inducit novam obligationem, quae antea non existebat, quum lex dubia non obliget; accedit quod in casu lex dici non potest suffi-

---

[1] Loc. cit. n. 127.

[2] Cfr. Reiffenstuel. loc. cit. nn. 373-377 coll. *Prooemium* nn. 132 et 133. — Priori loco videri possit hic auctor contrarius traditae sententiae; at attentius considerata ipsius doctrina concludendum, ipsum intelligendum esse de interpretatione ex legis mente extrinseca et accidentali.

Cum tradita sententia concordat illa plurium DD. doctrina, quae in hac quaestione distinguens inter interpretationes ex obiecto comprehensivas et extensivas necessitatem promulgationis negat de prioribus, affirmat de posterioribus, a qua tamen distinctione hac in quaestione potius abstinendum videtur, quia diverso modo a diversis explicatur. Cfr. dicta n. 21 II 2) *Nota*.

[3] Tom. I nn. 100 et 127.

cienter promulgata: insufficiens autem promulgatio est promulgatio nulla.

At confundunt hi auctores obligationem quoad sufficientiam seu vim obligandi cum obligatione quoad efficaciam seu in actu: porro habetur in casu nova obligatio quoad efficaciam, at minime nova obligatio quoad sufficientiam, quae sola ad legis notionem spectat, dum obligatio quoad efficaciam potius dicendus est effectus legis; licet igitur in casu habeatur nova obligatio in actu seu in ordine ad subditos, non tamen exinde habetur nova vis obligandi seu nova lex in se. — Deinde confundunt publicationem ipsius legis in se (quae sola est proprie dicta promulgatio) cum publicatione sensus legis, quae ad promulgationem non spectat; hinc licet in casu dici possit non sufficienter publicatus sensus legis, non tamen exinde ipsa lex dici debet non sufficienter promulgata. Proinde concludendum legem, licet vere dubiam et obscuram, ex facta promulgatione habere vim obligandi secundum totum sensum inclusum; verum ratione ignorantiae seu insufficientis cognitionis sensus illius, de quo controvertitur, excusari subditos illam transgredientes; facta autem declaratione authentica, istud impedimentum aufertur, et fit ut deinceps iuris ignorantia allegari nequeat, nihil vero novi accedit ipsi legi, sed quod prius obscure continebatur in ea, nunc manifeste apparet. Dummodo igitur quavis via habeatur certa notitia interpretationis factae, omnia requisita adsunt, ut teneantur subditi servare legem iuxta sensum authentice declaratum [1].

Nec admittendum videtur quod docet S. Alphonsus [2],

---

[1] Cfr. Bouquillon, loc. cit. n. 127 in nota 1; Van den Berghe, loc. cit. n. 118.

[2] Lib. I. n. 260.

semper requiri promulgationem interpretationis, quae non fit ab ipso legislatore, eo quod mens legislatoris aliis non potest esse ita cognita, ut dici possit mera declaratio. Confunditur enim in hac sententia mens legislatoris interna cum eiusdem mente quatenus est per legem expressa, necnon attenditur potius ad scientiam interpretantis quam ad eiusdem auctoritatem, cui tamen principaliter innititur vis authenticae interpretationis, ita ut interpretatio authentica, iuxta DD., aeque valeat sive interpretans sensum a primitivo legislatore prae oculis habitum assecutus sit, sive fortasse per accidens illum sensum assecutus non sit.

**36. Qu. 3. Num et quatenus in legibus ecclesiasticis admittenda sit vacatio.**

**Resp. 1. Legis vacatio** in hoc **consistit**, ut promulgatione facta initium obligationis nonnisi post certum tempus in subditis oriatur. Qua in re non agitur de obligatione quoad sufficientiam, qua lex in se habet vim obligandi subditos; quum enim promulgatione facta lex in sua ratione iuridica perfecte sit constituta, indubium est, statim post promulgationem adesse huiusmodi obligationem; sed agitur de obligatione quoad efficaciam, qua lex vim suam obligandi in subditos operatur, et quidem non tam subiectiva seu in actu secundo, quam potius obiectiva seu in actu primo.

**Resp. 2. Plures** graves DD. (contra alios) recte (ut videtur) **admittunt,** in legibus ecclesiasticis **vacationem hoc sensu,** ut legis obligatio quoad efficaciam, etiam obiective seu in actu primo tantum, non oriatur nisi post tempus moraliter sufficiens ad hoc ut promulgatio mediis ordinariis inter talis regionis incolas communiter divulgetur; ratio habetur ex eo, « quia — ita

Suarez [1] — ad actualem obligationem legis per se est necessaria notitia eius; ergo ut possit obligare necessarium saltem est, ut per se loquendo possit ad notitiam devenire: nam ubi non est potestas ad media neque etiam ad finem erit. Sed fieri non potest ut, facta promulgatione in uno loco, lex statim sciatur ab omnibus subditis et in toto loco iurisdictionis; ergo impossibile est ut lex statim obliget ». Confirmatur ex Pii IV Const. *Sicut ad sacrorum*, in qua habetur: « Iure communi sancitum est, ut constitutiones novae non nisi post certum tempus obtineant », et c. 1 *de concess. praebend.* in 6° III. 7 legitur: « Lex seu constitutio et mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus intra quod ignorari minime debuissent ». — Porro tempus, quo elapso lex actualiter ligat omnes subditos, saltem obiective, relinquitur iudicio prudenti determinandum, nisi ipse legislator obligationis tempus expresse designaverit, quo casu ab illo termino obligatio incipiet in toto territorio, pro quo illud tempus est sufficiens ad divulgationem legis, secus extendendum quantum ad dictum effectum necesse est. Si quis tempore sufficiente nondum elapso medio extraordinario seu communitati qua tali non accommodato promulgationis factae notitiam haberet, lege non obligaretur. — Nullimode approbanda videtur sententia, qua tempus illud universaliter ad duos menses extendi possit [2], iuxta iuris Romani statutum, ex quo leges non obligant nisi post duos menses ab earum promulgatione elapsos; adversatur enim haec sententia manifestae praxi Curiae Romanae, quae transgressores legis pontificiae etiam ante duos menses a promulgatione reos

---

[1] Loc. cit., lib. III cap. 17 n. 3.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 123 sqq.; Wernz, loc. cit. n. 101 in fine.

declarat; accedit quod praefatum iuris Romani statutum supponit promulgationem in singulis provinciis [1].

**37. Qu. 4. Num in legibus ecclesiasticis obligatio dependeat ab acceptatione subditorum, sive populi sive episcoporum.**

**Resp. 1.** Intelligenda est acceptatio proprie dicta seu approbativa, quatenus nempe significat consensum in legis latae et promulgatae observantiam seu executionem. Alia distinguitur approbatio, quae dicitur constitutiva, et intelligitur consensus in ipsam legislationem, qualis requiritur in regimine stricte democratico vel constitutionali. — Porro proprie dicta acceptatio in legibus pontificiis **non requiritur ex natura rei** seu ex defectu potestatis, **neque ex benignitate legislatoris** seu ex defectu voluntatis, quatenus nempe Pontifex nonnisi dependenter a subditorum acceptatione obligare velit. Imprimis enim tantum abest ut ad legis obligationem requiratur subditorum acceptatio, ut lex, ceteroquin iusta, rite promulgata suapte indole ad ipsam acceptandam populum obliget; ex doctrina autem fidei Rom. Pontificis iurisdictio est plena, suprema, immediata, « erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subiectionis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent » [2]. — Deinde Rom. Pontificis voluntas non obligandi nisi dependenter a secuta acceptatione, non solum nullo argumento demonstratur, sed et indubie excluditur ex eo, quod Pontifices legibus absolute praecipiunt,

[1] Cfr. Van den Berghe, loc. cit., nn. 70 et 71; Suarez, loc. cit., lib. III cap. 17, et lib. IV cap. 15 n. 9 sqq.

[2] Conc. Vatic. Sess. IV Const. *Pastor aeternus*, cap. 3.

et etiam latae sententiae-poenis ac suppliciis subditos cogunt ad leges observandas; confirmatur ex damnata Pistoriensium propositione, qua statuebant, ab apostolicis usque temporibus in Ecclesia receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones aut sententiae etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a synodo dioecesana:* damnata autem est haec propositio, tamquam « falsa, temeraria, *derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis* » etc. (1). — Eodem modo ob easdem rationes **leges episcopales** obligant independenter a subditorum, sive populi sive cleri, acceptatione, salvo tamen iuris statuto de petendo capituli consilio vel consensu.

Haec tamen nihil impediunt quominus, si lex aliqua **pontificia** ex peculiaribus adiunctis aequo durior vel moribus minus accommodata videatur, fiat ad Pontificem **recursus** et **supplicatio** cum debita reverentia exponendo rationes **contra legem,** ita ut ex probabili saltem plurium sententia interim legis obligatio suspendatur, donec Pontifex mentem suam de lege aut abroganda aut exequenda manifestaverit (2). Quae facultas supplicandi videtur admittenda sine limitatione a Benedicto XIV (3) apposita quoad leges disciplinares de ritibus, caeremoniis, sacramentis, clericorum vita; nam, ut scribit Wernz (4), ratio, quam Benedictus XIV l. c. suis limitationibus addit, videtur esse adeo rigida ut omnem supplicandi facultatem excludere adeoque nimium probare videatur. Deniqne ipse Benedictus XIV (5) videtur admittere principia et afferre exempla

---

(1) Pii VI Const. Auctorem fidei Prop. XI.

(2) Arg. c. 5 X *de rescriptis* l. 3; Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 143-146; Suarez, loc. cit., lib. IV cap. 16 nn. 5-8.

(3) *De synodo*, lib. IX cap. 8 n. 3.

(4) Loc. cit., n. 102 in nota (77).

(5) Ibid. lib. XII cap. 7 n. 7.

quae cum ipsius limitationibus difficulter conciliantur. — In legibus seu statutis **praelatorum inferiorum** etiam intervenire potest appellatio seu **recursus ad S. Sedem**, quo interposito obligatio legis seu statuti de iure suspenditur.

**Resp. 2.** Extra casum supplicationis vel appellationis **populus non acceptando** legem iustam et rite sibi publicatam non solum potest in foro externo puniri poenis a lege taxatis, sed etiam **per se peccat coram Deo;** sequitur ex dictis et confirmatur ex damnata ab Alexandro VII propositione 28, quae statuit: « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam ». — Nihilominus, posito facto non acceptationis peccaminosae a maiore saltem parte communitatis. (in casu non requiritur tota communitas ad quam lex dirigitur, sed sufficit communitas particularis quae per se legis capax est), fieri potest ut lex cesset, idque non solum sciente sed etiam ignorante legislatore. Quam cessationem alii explicant et determinant ex praesumpta legislatoris voluntate, se nolle cum maximo animarum dispendio suae legis vinculo diu irritatam tenere communitatem, quae numquam passa est se eo constringi; hinc in casu nullum requirunt tempus determinatum, sed prudenti iudicio determinandum docent. quandonam ex hac causa lex censeatur revocata: qua de re ita scribet Suarez [1]: « Quando princeps a principio scit repugnantiam et non observantiam subditorum, et dissimulat, statim post nonnullos actus contrarios toleratos censetur prudenter revocata lex. At vero quando princeps ignorat, oportet ut longior sit consuetudo, ita ut iam prudenter iudicetur non esse utilem tali populo, et ideo iuste praesumatur a Pontifice vel Principe revocata ». — Alii cessationem legis

---

[1] Loc. cit., lib. IV cap. 16 n. 12; Cfr. Benedictus XIV, *de synodo*, lib. XIII cap. 5, qui tamen sententiam Suarezii non recte interpretatur.

declarant et determinant ex iure consuetudinario, ita ut cum praefatis auctoribus sentiant in casu scientiae ex parte legislatoris, ipso autem ignorante requirant elapsum tantum tempus quantum necessarium est ad veram consuetudinem (1).

### § 3. — De legis ecclesiasticae vi obligatoria.

***Summarium.*** Quinque sunt huius paragraphi quaestiones: 1) Legis ecclesiasticae vis obligatoria generatim; speciatim vis obligatoria 2) legis moralis, 3) legis poenalis, 4) legis irritantis, 5) legis fundatae in praesumptione, vel iuris fictione.

**38. Qu. 1. Qualis et quanta sit vis obligatoria in lege ecclesiastica.**

**Resp. 1.** Lex ecclesiastica non solum obligat iudices ut in causis examinandis ac decidendis eamdem observent, ac iuxta ipsam iudicent, sed et, si quidpiam vere et absolute praecipit vel prohibet, **obligat in conscientia,** ita ut qui eidem non obtemperet revera peccet, sitque divino iudicio culpabilis et a Deo exspectare debeat punitionem, ut explicat Sylvius (2). Probatur imprimis ex iure naturali, cuius auctor Deus iubet obedire legitimis superioribus iusta praecipientibus; hinc qui eisdem non obedit, agit contra voluntatem Dei, et ideo coram Ipso seu in conscientia culpae fit reus; deinde ex S. Scriptura (Matth. XVI, 19 et XVIII, 17-18) quod potestas ecclesiastica ligat super terram, ligatum est in coelis i. e. coram Deo et in conscientia; tandem si ex doctrina S. Pauli (Rom. XIII 1-5) damnationem sibi acquirit qui resistit potestati naturali, et huic debetur subiectio non solum propter iram seu punitionem tempo-

---

(1) Cfr. Van den Berghe, loc. cit., n. 75 in fine.
(2) In 1-2 qu. 96 art. 4.

ralem, sed etiam propter conscientiam, a fortiori idem dicendum de potestate supernaturaliter constituta. Hinc merito a Conc. Trid. Sess. VII can. 8 sancitum est: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis...., ita ut ea servare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit ».

Ex dictis patet huiusmodi **obligationis rationem** esse ex eo quod lex humana omnis nititur voluntate Dei et dictamine rationis naturalis (1). Exinde tamen « non sequitur — ita Suarez (2) — vel culpam illam proprie esse contra legem naturae, vel obligationem ad actum praeceptum esse naturale; quia lex humana se habet ut causa proxima et secunda, quae nititur in lege aeterna tamquam in causa prima: effectus autem qui proxime est a causa secunda, ita ut a prima non fieret nisi per illam, secundae simpliciter tribuitur; et ideo obligatio haec, etiamsi sit in conscientia, simpliciter est a lege humana »; proinde lex humana, sive ecclesiastica sive civilis in conscientia obligat qua talis, et non solum quatenus continet et applicat legem divinam (3).

**Resp. 2.** Obligatio in conscientia est **sub gravi vel sub levi.** — Obligationem esse posse etiam sub gravi, constat ex eo quod lex ex se inducit obligationem materiae proportionatam, proindeque in materia gravi ex se etiam sub gravi est obligatio; praeterea « constat ex communi sensu totius Ecclesiae et ex communi doctrina Patrum, leges ecclesiasticas de ieiuniis et servandis festis et similes ita obligare, ut transgressio earum sit peccatum necessario in confessione aperiendum, et qui hoc negaret plane esset haereticus; ergo tales leges obligant de se sub mortali, quum

---

(1) Cfr. S. Thomas, 1-2 qu. 96 art. 4.

(2) Loc. cit., lib. III cap. 21 n. 7.

(3) Cfr. Bouquillon, loc. cit., n. 133; Van den Berghe, loc. cit., n. 77.

earum transgressiones voluntariae tamquam mortalia peccata in confessione aperiendae sint » (1). Quam doctrinam ita explicat S. Thomas (2) : « Peccatum mortale est quod contrariatur charitati per quam est spiritualis vita. Charitate autem diligitur Deus et proximus. Exigit autem charitas Dei, ut eius mandatis obediatur. Et ideo inobedientem esse divinis praeceptis est peccatum mortale quasi divinae dilectioni contrarium. In praeceptis autem divinis continetur, quod etiam superioribus obediatur. Et ideo etiam inobedientia, qua quis inobediens est praeceptis superiorum, est peccatum mortale quasi divinae dilectioni contrarium secundum illud ad Rom.: *Qui potestati resistit Dei ordinationi resitit.* Contrariatur insuper dilectioni proximi, in quantum superiori proximo subtrahit obedientiam, quam ei debet » (3).

Ad **gravem** autem obligationem **requiritur**

**a**) materia gravis; quum enim obligationis quantitas essentialiter dependeat a materia, ipsa obligatio ultra capacitatem materiae esse non potest, et consequenter legislatoris voluntas obligandi sub gravi in materia undequaque (i. e. spectatis obiecto, fine et circumstantiis) levi non solum illicita sed etiam invalida est: porro gravis dicenda est materia, quando finis aliquis specialis per legem obtinendus est magni momenti, valde utilis, moraliter necessarius, et simul id quod lege praescribitur multum conducit ad hunc finem obtinendum (4);

**b**) voluntas legislatoris obligandi iuxta omnem materiae capacitatem; legis enim sicuti ipsa obligatio ita et obligationis gravitas vel levitas dependet a superioris

---

(1) Suarez, loc. cit., lib. IV cap. 7 n. 4.

(2) 2-2 qu. 105 art. 1 coll. qu. 104 art. 5 et 6 et qu. 177 art. 3.

(3) Cfr. Bolquillon, loc. cit., n. 134.

(4) Cfr. Bolquillon, loc. cit., n. 135; Van den Berghe, loc. cit., n. 83.

voluntate; si ergo in materia gravi superior non intendit obligare iuxta omnem capacitatem materiae, obligatio erit tantum sub levi; nec in tali modo praecipiendi — ita Suarez [1] — ulla intrinseca indecentia ostendi potest vel transgressio obligationis, quia superior non tenetur praecipere semper quantum potest, neque etiam tenetur abstinere a praecipiendo leviori modo, quando non vult toto rigore praecipere [2], imo licet superior peccet ita praecipiendo, non exinde obligatio ultra ipsius voluntatem extenditur. — Quando autem legislator absolute praecipit vel prohibet, censeri debet velle obligare iuxta omnem materiae capacitatem, nisi de contrario ex circumstantiis constet.

**Resp. 3.** Obligationem **gravem** in lege ecclesiastica indicare censenda sunt:

**a**) Verba graviter comminatoria, qualia sunt: *sub interminatione divini iudicii, qui hoc fecerit incurrat divinam maledictionem* vel *indignationem Petri et Pauli* etc. [3]. — Verba simplicia, uti *praecipimus, mandamus, interdicimus, prohibemus,* indicant obligationem gravem vel levem iuxta materiae capacitatem.

**b**) Poena gravis spiritualis transgressoribus imposita, qualis ex omnium sententia est excommunicatio latae sententiae; talis etiam dicenda videtur excommunicatio ferendae sententiae sine ulteriore monitione infligenda, item suspensio totalis vel gravis, ac eiusmodi interdictum; item irregularitas [4].

**c**) Consuetudo et communis sensus, quae legem in sensum gravis obligationis interpretantur.

---

[1] Loc. cit., lib. III cap. 27.

[2] Aliter Bouquillon, loc. cit., n. 135 circa finem.

[3] Cfr. Suarez, loc. cit., lib. IV cap. 18 n. 3.

[4] Cfr. Suarez, loc. cit., lib. IV cap. 18 nn. 4-7; S. Alphonsus, lib. I n. 146.

**39. Qu. 2. Quaenam sit vis obligatoria legis moralis.**

**Resp. 1.** Primaria et generalis, in qua aliae obligationes implicite et virtute continentur, vis legis moralis est, ut obliget ad **sui observationem**, et exinde obligat

**a**) ad sui cognitionem, utpote sine qua lex observari non potest; hinc ordinariam diligentiam adhibere debet subditus, ut legis scientiam acquirat;

**b**) ad adhibenda media ordinaria, quae intrinsece vel saltem proxime necessaria sunt ad legis observationem;

**c**) ad removenda vel praecavenda impedimenta, quae legis observantioni ex natura rei vel saltem proxime obstant, necnon ad vitandum periculum proximum legem infringendi.

Ratio in his omnibus habetur ex intimo eorumdem nexu cum lege observanda.

**Resp. 2.** Legis observantia requirit **obedientiam materialem**, ut scil. ponatur legis obiectum secundum suam substantiam non solum physicam sed etiam moralem. Hinc consequitur:

**a**) in implenda lege affirmativa praecipiente actionem personalem, requiri actum humanum seu actionis praeceptae positionem voluntariam, non vero in implenda lege negativa vel etiam affirmativa praecipiente debitum reale;

**b**) legi satisfieri (hoc saltem sensu ut contra eam non peccetur) [1] ab eo qui ex coactione, metu aliave causa reluctans compellitur ad legis observantiam, dummodo legis substantiam praestet; at nolendo rem ut lege praeceptam peccat prava sua voluntate;

**c**) in lege implenda non requiri statum gratiae,

---

[1] Cfr. Bouquillon, loc. cit. n. 138.

nisi forte res ipsa praecepta talis sit, quae ut rite fiat statum gratiae postulet; imo et legem impleri per actum ex fine vel circumstantiis peccaminosum.

Praeterea huiusmodi obedientia materialis praestanda est **debito tempore**, nempe tempore in lege determinato, vel si non est determinatum tempore non nimis dilato. — Quod si tempore in lege determinato lex non est impleta, extincta est obligatio, si tempus fuit assignatum ad finiendam obligationem; sin autem ad obligationem urgendam, eadem remanet implenda quamprimum commode fieri potest: porro utro modo tempus sit determinatum tum ex verbis legis, tum ex eius fine et circumstantiis est discernendum.

**Resp. 3.** Legis observatio non requirit obedientiam formalem; hinc

**a**) non requiritur intentio satisfaciendi legi, seu ut res praescripta fiat quia praecipitur, ita ut legi satisfiat ab eo qui non attendens ad legem vel eam ignorans eiusdem obiectum ponit;

**b**) neque necesse est, ut intendatur finis in lege ferenda a legislatore intentus, sive legi internus seu ut agatur ex motivo specialis virtutis ad quam res lege praescripta pertinet, sive externus quem attendere ipsius legislatoris est non subditi [1], hinc principium: finis legis non cadit sub praeceptum; ratio habetur ex eo quod per ipsam legem res praescripta ordinatur uti medium ad obtinendum bonum, quod legislator per legem intendit;

**c**) imo obligationi legali satisfit, ex communiore contra alios sententia, etiam cum expressa intentione non satisfaciendi per opus scil. quod ponitur; quum enim obligatio legis pendeat ex voluntate legislatoris et non subditi, non potest subditus impedire,

---

[1] Cfr. Suarez, loc. cit., lib. III cap. 29 nn. 9 et 12.

quominus posito opere praescripto lex impleatur; excipiunt tamen communiter qui hanc doctrinam sequuntur obligationem ex voto vel promissione; huiusmodi enim obligatio, utpote libera voluntate suscepta, sicut ab initio dependebat, ita etiam dependens manere videtur ab eadem libera voluntate. — Quam exceptionem non probat Sanchez (1) ex eo « quia — ita scribit — quum [vota scil.] instar praeceptorum obligent, solum ad substantiam actus promissi exequendam actu quodam humano obligant, ac proinde non est in voventis potestate voto non satisfacere, posito quod id opus exequi velit ».

***Nota.*** Quae de implenda obligatione cum expressa intentione non satisfaciendi sunt dicta, intelligenda sunt de solis debitis legalibus seu de obligationibus actus ponendi vel omittendi; nam debitis realibus seu obligationibus rei materialis praestandae (quacumque demum ex causa ortis) non satisfit cum praedicta intentione; siquidem intentio non satisfaciendi in casu includit liberalem donandi animum: ex donatione autem ab altero acceptata huic creatur novus titulus rem habendi, sed in debitis realibus, in quibus servanda est aequalitas rei ad rem, duplici rem habendi titulo non satisfit per unicam rei praestationem (2).

**Resp. 4.** Ab obligatione legis ecclesiasticae morali **excusat** (praeter ignorantiam iuxta principia in Theol. morali exposita) incommodum grave legis observationi per accidens etiam individualiter coniunctum; quum enim attenta fragilitate humana plerumque lex non servaretur cum tanto incommodo, obligatio in casu in destructionem potius vergeret quam in aedificationem, ideoque videtur

---

(1) *De praec. decal.*, lib. I cap. 13 n. 18.

(2) Sanchez, loc. cit., superius n. 13; Salmanticenses, *de legibus* cap. 2 n. 146.

excedere legislatoris potestatem, vel saltem censetur esse praeter legislatoris voluntatem. — Excipitur tamen quando agitur de avertendo damno communi vel etiam particularis hominis damno supremo spirituali, aut legis laesio implicat fidei negationem, turpem cooperationem, scandalum vel aliud quidpiam intrinsece malum; siquidem in huiusmodi casibus ratione principii superioris lex observari debet non obstante gravissimo periculo vitae. — Incommodi gravitas sumi debet relative, et quidem imprimis ad legis naturam, quo maioris enim momenti est lex, eo gravius exposcit incommodum; deinde attendendum est ad personarum qualitatem aliasque circumstantias (1).

Tandem notandum eousque tantum ab obligatione legis excusare grave incommodum, quousque se extendit; hinc ex communi sententia, qui non potest totum opus praescriptum implere tenetur ad partem, dummodo materia sit divisibilis, ita ut in parte salvetur ratio praecepti; spectat huc damnata ab Innocentio XI propositio: « qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem ». — Quandonam autem materia sit sensu exposito divisibilis, in singulis casibus morali iudicio definiendum (2).

**40. Qu. 3. Quaenam sit vis obligatoria legis poenalis.**

**Resp.** 1. Pro huius quaestionis resolutione distinguenda:

1) Lex **pure poenalis,** quae per se sub solo reatu poenae obligat, et poenalis **mixta** quae directe obligat sub utroque reatu culpae et poenae simul. — Porro **dari posse**

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., lib. III cap. 30.

(2) Cfr. Sanchez. *de praec. decal.* lib. I cap. 19, n. 4 sqq.

leges **pure poenales** facile intelligitur ex eo, quod ex una parte obligationis extensio intra materiae capacitatem pendet a voluntate legislatoris, ex altera vero huiusmodi suavior obligandi voluntas irrationabilis dici non potest. At, exceptis statutis institutorum religiosorum, de facto vix dari leges mere poenales in disciplina ecclesiastica communis est DD. sententia; hinc poenales in iure canonico dispositiones mixtas esse ac sub perfecta obligatione latas praesumi debet, donec contrarium probetur. — Lex pure poenalis **dignoscenda** non ex sola adiectione poenae, utpote quae aliquando sua indole, uti censura, supponit culpam, sed ex legislatoris intentione, quae tum ex verbis legis, tum ex subiecta materia aliisque circumstantiis prudenti iudicio desumenda est; plurimum hac in re iuvat recepta praxis et communis timoratorum sensus (1).

2) Poena **latae** et **ferendae sententiae**, prout statuitur aut ipso facto seu criminis commissione incurrenda, aut per iudicis sententiam infligenda. — Poena latae et ferendae sententiae **dignoscitur** ex formulis legis vel praecepti quibus statuitur: quae formulae si iudicis actionem vel ministerium excludunt, poena erit latae sententiae, si vero includunt, poena erit ferendae sententiae. Quam regulam explicans Reiffenstuel (2) statuit,

**a**) ferendae sententiae esse poenam, quae fertur per verba comminatoria, vel per verba futuri temporis, vel per verba imperativi modi quae afficiunt vel reatum poenae vel ipsam actionem iudicis; — controversia est non modica inter DD. de casu, quo verba imperativi modi afficiunt immediate ipsam poenam;

**b**) latae sententiae esse poenam, quae fertur per verba indicativi modi praesentis vel praeteriti temporis, vel ad-

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 204-206.
(2) Loc. cit., nn. 209-220.

dita particula *ipso iure, ipso facto,* vel etiam additis dictionibus: *mox, ex tunc, extemplo, illico,* tandem quando legislator sibi vel legi suae vim poenae attribuit.

Ceterum in dubio lex censenda est ferendae sententiae ex R. I. 49 in 6°: *In poenis benignior interpretatio est facienda.*

**Resp. 2.** Lex poenalis qua talis

1) non solum obligat **iudices,** ut poenam lege statutam decernant, sed et obligat **reum**, ut, saltem post iudicis sententiam quatenus est necessaria, exequatur poenam si non est nimis gravis et acerba, vel secus eamdem sustineat sine positiva resistentia; et si est lex poenalis mixta obligat etiam directe ad actum ponendum vel omittendum; imo etiam **ceteros** indirecte obligat, ut in suis cum reo relationibus poenae impositae rationem habeant, v. g. excommunicatum non eligendo ad beneficium, vel non admittendo ad sacramenta (1).

2) Poena **ferendae sententiae** non obligat, nisi per sententiam iudicis, servatis servandis, reus ad eam subeundam fuerit condemnatus; in casu enim lex ipsa non imponit poenam, sed eamdem determinatam infligendam praescribit mediante iudicis sententia condemnatoria, per quam et a qua tantum vis poenae incipit, ita ut reus criminis, propter quod commissum per legem v. g. excommunicandus vel officio privandus quis decernitur, ante latam a iudice sententiam possit valide et licite sese gerere tanquam non excommunicatum et non privatum, sicque exercere omnes actus sui officii vel beneficii.

3) Poena **latae sententiae,** quae

a) executionem externam non requirit, ipsa criminis commissione ante omnem iudicis sententiam in conscientia locum habet suumque sortitur effectum: tales poenae sunt censurae, irregularitates, aliaeque inhabilitates,

(1) Cfr. Bouquillon, loc. cit., n. 146 p. 359.

necnon privationes iuris acquirendi. Ratio est quia huiusmodi poena tali modo intellecta nihil durum continet, ac ex manifesta legislatoris voluntate tali modo intelligi debet; accedit praxis quae huiusmodi poenas ita interpretatur. — Poena vero latae sententiae, quae

b) executionem externam requirit, generatim non obligat nisi post latam sententiam criminis commissi vel poenae incursae declaratoriam: tales poenae sunt privatio beneficii, officii vel alterius iuris plene iam acquisiti. Ratio habetur ex eo quod huiusmodi poena aliter intellecta non foret humanae naturae accommodata, nec proinde observatu moraliter possibilis; confirmatur ex praxi, quae in huiusmodi poenis sententiam declaratoriam requirit. — Dictum est generatim; nam praeter poenas leviores ex plurium sententia probabilius excipiendus videtur casus quo additur clausula: *alia etiam declaratione non secuta* vel simili, contra alios, qui etiam in hoc casu, nisi delictum sit notorium, sententiam declaratoriam requirunt; « insuper observetur — ita Van den Berghe [1] — minime requiri sententiam iudicis ut executioni mandari debeant poenae *conditionales* seu *conventionales*, quae non sunt poenae proprie dictae, sed potius consequentiae necessariae non adimpletae conditionis, sub qua aliquid conceditur: conditione neglecta amittitur conditionatum ipso facto et ante omnem sententiam; exemplum praebet Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 2 *de reform.* ».

Notandum huiusmodi sententiam declaratoriam vim exercere in praeteritum, nempe usque ad diem patrati delicti, ita ut qui beneficio privatur per sententiam declaratoriam teneatur restituere fructus a die commissi delicti, et in hoc sententia declaratoria differt a condemnatoria [2].

---

[1] Loc. cit. n. 91 in fine.

[2] Cfr. Reiffenstuel loc. cit. nn. 230 sqq. ubi proponit et solvit difficultates contra doctrinam traditam.

*Nota.* Quaenam excusent a lege poenali explicatur, ubi *de poenis* in genere.

**41. Qu. 4. Quaenam sit vis obligatoria legis irritantis.**

**Resp. 1.** Leges **irritantes ferri posse** a potestate humana, sive ecclesiastica sive civili, patet imprimis ex utroque iure huiusmodi constitutiones et leges quamplures continente. Accedit ratio, quia haec potestas aeque necessaria est in legislatoribus ad bonum gubernium reipublicae ac potestas prohibendi subditosque obligandi, ut scil. sic impiorum malitiae eo potentius obviari, cassatisque ipsorum perniciosis actibus proborum indemnitas et tranquillus reipublicae status conservari valeat. — Statuitur autem irritatio aut actum aliquem in se directe annullando, aut personas inhabiles reddendo, aut formam sive solemnitatem ad actus valorem praescribendo.

**Distinguitur** irritatio

**a**) in directivam seu legalem, statutam videlicet intuito boni communis, — poenalem, latam nempe in odium criminis, — et directivam et poenalem simul;

**b**) in latam ipso iure, quando nempe lex per seipsam et non exspectata iudicis sententia contractum aliumve actum irritat, — et in latam per sententiam iudicis, quando scil lex non irritat per seipsum, sed irritationem per iudicem pronuntiandam decernit.

**Resp. 2.** Lex irritans qua talis

1) obligat **iudices**, ut actum habeant invalidum, ac proinde non agnoscant ut fontem emolumentorum et iurium; praeterea obligat **ceteros quorum interest** ad ea omnia quae intrinsece ex irritatione sequuntur. — Non tamen omnis actus a lege irritatus eo ipso est prohibitus et malus, ita ut semper peccet qui talem actum ponit: quod ut sit requiritur, ut ex legis verbis, vel ex addita poena speciali,

aul ex legis materia, fine, vel circumstantiis sufficienter manifesta sit legislatoris distincta a voluntate annullandi voluntas prohibendi, aut saltem actus irritatus ex materia vel natura talis sit, ut velle eumdem facere, quando valida fieri non potest, turpe sit et contra rectam rationem, uti contingit in materia sacramentorum, religionis, iurisdictionis (1).

2) Quando lex irritat non ipso iure, sed **per sententiam iudicis,** actus validus remanet donec a iudice rescindatur; hinc huiusmodi lex nonnisi post iudicis sententiam annullatoriam obligat ad ea, quae ex actus irritatione consequuntur. — Nec obstat R. I. 64 in 6°: *Quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi* », nam ex communissima DD. cit. regula intelligenda est de iis tantum, quae fiunt contra leges irritantes vel praescribentes formam substantialem, non item de iis quae fiunt contra leges simpliciter prohibentes vel praecipientes (2).

3) Quando lex irritat **ipso iure**

a) in ordine ad **forum externum** actus ita annullantur, ut non solum nulla ex eis actio in foro externo tribuatur, sed et ipso facto et iam ab initio fuerint irriti et invalidi: adeo quidem ut post declaratam a iudice irritationem omnis eorum effectus una cum fructibus, quos inde quis iam perceperat, penitus rescindatur, ac si nullum umquam valorem habuissent;

b) in ordine ad **forum internum,** si actus ipso iure naturali est irritus, vel saltem per positivam legem plenissime infirmatur (tollendo scil. obligationem ipsius non solum civilem sed etiam naturalem), tunc ex huiusmodi actu nullus effectus nullaque obligatio oritur;

---

(1) Cfr. Suarez, loc. cit. lib. V cap. 20.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 245-250 et tom. VI in cit. Regulam.

hinc ex eo acquisita, etiam in conscientia et ante iudicis sententiam, restitui debent; — si vero actus iure naturali est validus, neque per positivam legem plenissime infirmatur, tunc nemine sese opponente actusque rescissionem petente, in conscientia actus valet ita ut tutus esse possit, qui virtute ipsius aliquid possidet: ratio habetur ex eo quod obligatio naturalis, quae ex supposito subsistit, saltem donec haec per iudicis sententiam in foro externo rescindatur, creditori tribuit ius accipiendi et retinendi illud, quod ipsi naturaliter debitum est et solvitur; post iudicis sententiam huic semper standum est, modo ne sit iniusta (1).

**Resp. 3.** A lege irritante **non excusat ignorantia,** si irritatio est legalis seu statuta in bonum commune sive totaliter sive partialiter, quum semper maneat ratio legis, quae est communis utilitas. — Si vero irritatio est poenalis tantum seu unice in criminis vindictam statuta, **ignorantia** eamdem **impedit,** in quantum excusat a criminis culpa. Verum non desunt DD. qui ex eo quod irritationem poenalem per se exorbitantem habent, etiam per solius irritationis ignorantiam eamdem semper impediri doceant (2): quae sententia sic generaliter proposita admittenda vix videtur (3).

Ex communi sententia a lege irritante etiam **non excusat** generatim loquendo **incommodum etiam gravissimum,** ita exigente bono communi ut plurima damna vitentur, nisi incommodum sit, saltem pro aliquo loco,

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 231 sqq., ubi nn. 260-262 solvuntur difficultates.

(2) Cfr. Genicot, Theol. moralis *de legibus* n. 144.

(3) Cfr. Suarez, loc. cit. lib. V capp. 12 et 22 nn. 4-8; D'Annibale, cit. *Summula* tom. I n. 214 in nota 13.

commune [1] — **Neque** etiam **epicheia** in legibus irritantibus Ecclesiae saltem ordinarie adhiberi potest [2].

**42. Q. 5. Num et quatenus obliget lex fundata in praesumptione, vel iuris fictione.**

**Resp. 1.** Lex **fundata in praesumptione** ea **intelligitur** quae ex rationabili coniectura alicuius circumstantiae aliquid praecipit vel prohibet.

**Duplex** distinguitur **praesumptio**, facti scil. et periculi, prout circumstantia coniecturata est aut factum particulare, v. g. fraudis, damni, incommodi etc., quod in casu particulari contigisse legislator supponit, aut periculum commune fraudis, damni, incommodi etc., quod ex certo opere vel ex certo operandi modo ordinarie sequi existimatur [3]: utri vero praesumptioni lex innitatur, generali regula definiri non potest, sed ex natura et verbis legis, adiunctis usu et interpretatione DD. est colligenda.

**Fictio iuris** est legis adversus veritatem in re possibili ex iusta causa dispositio, sic, e. g. canonici propter infirmitatem a choro absentes legis dispositione praesentes reputantur, ut quotidianas distributiones percipiant. — A praesumptione differt in pluribus, praecipue vero in hoc, quod fictio iuris assumitur in casu certo contra veritatem, praesumptio autem desumitur in casu dubio secundum verisimilem veritatem.

---

[1] Cfr. Bouquillon, loc. cit., n. 171.

[2] Wernz, loc. cit. n. 110 in fine citans Suarez loc. cit. lib. V cap. 23, et D'Annibale cit. *Summula* tom. I n. 216; Sanguineti, n. 82 IV.

[3] Patet igitur praesumptionem in solo casu priore stricte sumi pro probabili coniectura, in posteriore vero casu sumi latius, quum proprie loquendo illa ratio periculi habeatur non tam ex praesumptione quam ex vero et certo iudicio de tali periculo, et forsan exinde est, quod Reiffenstuel in hac quaestione tractanda negligit hanc distinctionem, intelligens nomine praesumptionis solam praesumptionem stricte dictam seu facti.

**Resp.** 2. Lex fundata

1) in **praesumptione generatim** obligat **iudices,** ut in causis discutiendis ferendisque sententiis iuxta eamdem procedant, donec probetur falsitas praesumptionis (si et in quantum huiusmodi probatio admittitur). Licet enim — ita Reiffenstuel (1) — eiusmodi leges, una cum sententia iudiciali inde sequente, pro uno vel altero particulari casu ob defectum veritatis praesumptae materialiter iniustae esse possint...., formaliter tamen et in genere sunt iustae, quum deserviant ad praecavendum innumeris fraudibus et malitiis perversorum hominum, ceteroquin liberius negantium ea quae sunt difficilioris probationis, sicque iuvent ad conservandum tranquillum statum communeque bonum reipublicae. — Lex fundata

2) in **praesumptione periculi** obligat **subditos in conscientia,** etiamsi in particulari casu praesumptum periculum non adsit. Ratio est — ita Van den Berghe (2), — quia motivum legis subsistit; non enim lata est lex quia praesumpsit legislator in quolibet casu adesse periculum, sed quia consideravit ut plurimum seu communiter ita esse: hoc autem verum manet, quamvis in peculiaribus quibusdam casibus periculum desit. Ceterum bonum commune exigit, ut eiusmodi legi non fiat exceptio pro his qui sese periculi expertes existimarent; nam secus finis a legislatore intentus magna ex parte frustraretur, seu malum non evitaretur efficaciter, siquidem subditi nimis facile sibi persuaderent respectu sui non adesse periculum; ideoque ad cavendam hallucinationem oportet ut obligatio sit universalis. — Lex fundata

3) in **praesumptione facti**

**a**) quando **subsistit praesumptio** seu veritas facti, absque dubio obligat **subditos in conscientia,** et patet

---

(1) Loc. cit. n. 165. — (2) Loc. cit. n. 99 2.°

ex ipsamet legis natura; accedit quod quando factum praesumptum a parte rei existit, alia probatione in ordine ad forum conscientiae, utpote talem veritatem cognoscentis, opus non est (1);

b) quando autem **non subsistit praesumptio** seu rei veritas, **lis est** inter DD. Quidam affirmant etiam in casu legem obligare subditos in conscientia (2); negat vero generatim cum aliis Reiffenstuel (3): quae posterior sententia omnino admittenda videtur, quando nulla intervenit iudicis sententia; quum enim ex supposito talis lex unice et totaliter fundetur in praesumpti facti veritate, hac deficiente omnino tollitur fundamentum legis, ideoque eiusdem obligatio corruat necesse est; sententiae autem iuxta legem latae etiam in conscientia obediendum est, quoties nempe absque peccato ita fieri possit, siquidem ex dictis hoc Resp. 2 sub 1) huiusmodi leges, etiam facto praesumpto non subsistente, formaliter et in genere sunt iustae, ideoque et iusta sententia iuxta easdem lata, sed iustae iudicis sententiae in conscientia est obediendum (4).

**Resp. 3.** Lex fundata **in fictione iuris** ex communi DD. sententia locum habet non solum in foro externo, verum etiam in foro conscientiae; quum enim huiusmodi lex innitatur naturali aequitate, propter quam disponit aliquid in casu ficto quod observaretur in casu vero, eadem iusta dicenda est: iustae autem legi etiam in conscientia est obediendum. — Notandum tamen iuris fictionem non valere nisi in casibus a iure expressis, nec umquam, saltem in materia odiosa, de casu ad casum extendi; solius enim legislatoris est concedere in casu ficto, quod ex se non con-

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. n. 167.
(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 168 et 169.
(3) Loc. cit. nn. 170-173.
(4) Cfr. Reiffestuel loc. cit. nn. 174 et 175.

ceditur nisi in casu vero. — Praeterea quum fictio imitetur naturam in quantum potest, non debet trahi ad ea, quae secundum naturam sunt impossibilia. Sic v. g. ratihabitio quidem comparatur mandato expresso; at nequit hoc principium applicari pro tempore, quo ratihabens non potuit dare expressum mandatum, v. g. tempore infantiae.

### § 6. — De subiecto per legem ecclesiasticam obligato.

***Summarium:*** Septem sunt huius paragraphi quaestiones: 1) principium generale; subiectio 2) puerorum et impuberum, 3) haereticorum, 4) peregrinorum et vagorum, 5) regularium relate ad leges episcopales, 6) clericorum relate ad leges civiles, 7) legislatoris relate ad proprias leges.

**43. Qu. 1. Quinam generatim subiiciantur legibus ecclesiasticis.**

**Resp.** In iure canonico subiectionis fundamentum est baptismus, per quem quis Ecclesiam ingreditur eiusque fit membrum; hinc **soli baptizati** (1), ceteroquin obligationis capaces, legibus ecclesiasticis subiiciuntur: ut quis autem sit obligationis capax requiritur usus rationis; nam obligatio, quae est vinculum morale supponit agendi libertatem, quae sine usu rationis esse non potest; sufficit tamen rationis usus habitualis, quia obligatio adaptatur communi hominum capacitati (2).

(1) Hinc iudaei, infideles, et ipsi catechumeni non tenentur legibus ecclesiasticis, nisi quatenus contineant ius naturale vel divinum; cfr. Reiffenstuel loc. cit. nn. 280-288, ubi solvit difficultates a nonnullis AA. veteribus propositas. — Catechumenatus autem disciplina ministros quidem Ecclesiae obligat per modum legis, non autem ipsos catechumenos nisi per modum conditionis. Ita Bouquillon loc. cit. n. 151 in fine, citans Suarez *de baptismo* disp. xxxi S. 2 n. 9.

(2) Hinc patet non esse idem legi subiacere et contra legem subiective peccare posse, ad hoc enim requiritur, ut actualis ad legem advertentia sit possibilis.

Porro tenentur legibus ecclesiasticis communibus (generalibus) baptizati ubique terrarum [1], vel ad unum omnes, vel omnes ad quos spectant, prout leges sunt absolute vel respective communes, nullis siquidem terreni territorii limitibus Ecclesia circumscribitur; — particularibus (territorialibus) vero tenentur baptizati omnes et soli, qui sunt de territorio, i. e. illius particularis societatis membra, et simul in territorio, in casu enim legislatoris potestas respectivi sui territorii limitibus circumscribitur.

**44. Qu. 2. Quanam ratione legibus ecclesiasticis subiiciantur pueri et impuberes.**

**Resp.** Quum septennium completum habeatur discretionis aetas, qua scil. pueri ad sufficientem rationis usum pervenisse ex communiter contingentibus praesumuntur, hinc ex **praesumpto** sufficienti rationis usu generatim loquendo nonnisi **post septennium completum** pueri censendi sunt obligati legibus ecclesiasticis, quae eorum aetati congruunt, et quidem earumdem vi directiva tantum, siquidem earumdem vi coactiva ante pubertatem [2] ex communi sententia, propter maturioris iudicii defectum, non tenentur, nisi de ipsis expressa fiat mentio [3].

---

[1] Exceptio est pro catholicis rituum orientalium, qui ecclesiasticis legibus disciplinaribus pro universa Ecclesia datis non ligantur, nisi in lege expressa ipsorum fiat mentio, aut implicite lex ad ipsos quoque extendatur pro subiecta materia, quatenus declaratur lex divina vel naturalis; imo constitutio apostolica data uni ex ritibus orientalibus ceteros non obligat, nisi S. Sedes huiusmodi extensionem exprimat. Cfr. *Acta S. Sedis* vol. I p. 408; *Collectanea S. C. de Prop. Fide* n. 113; Benedictus XIV Const. *Etsi pastoralis* 26 Maii 1742 § 8 n. 24.

[2] Intelligitur aetas completorum 14 annorum in masculis, 12 in puellis.

[3] Cfr. dicenda ubi de poenis et censuris.

Praesumptio autem **veritati cedat** necesse est, quando constat puerum, etiam completo septennio, sufficientem usum rationis non habere, quum deficiat obligationis capacitas. — Num idem dicendum casu quo ante septennium completum sufficiens rationis usus moraliter certo adest, disputant DD.: affirmandum videtur ex eo quod nullo argumento convincente demonstratur, Ecclesiam in sua legislatione ita stricte attendere ad communiter contingentia, ut iisdem innitatur etiam contra veritatem; hinc ratione intrinseca magis placet sententia, quae iuxta principium generale docet, pueros ante completum septennium sufficientem rationis usum habentes legi ecclesiasticae subiacere. Verum in praxi, saltem ob auctoritatem plurium DD. aliter sentientium, certa obligatio affirmari non potest (1).

### 45. Qu. 3. Num haeretici obligentur legibus ecclesiasticis.

**Resp. 1.** Indubium est, haereticos quoscumque **subiacere ecclesiasticae iurisdictioni,** proindeque Ecclesiae legibus **obligari posse;** retinent enim characterem baptismalem, qui est ex dictis fundamentum subiectionis; et licet haeretici non sint in Ecclesia simpliciter et fructuose, manent tamen cum Ecclesia coniuncti secundum quid, vinculo scil. indelebilis characteris baptismalis, vi cuius iure divino manent Ecclesiae subiecti, licet a communione Ecclesiae excludantur; patet proinde debitum subiectionis ecclesiasticae potestati latius extendi quam rationem membri perfecti Ecclesiae (2). — Confirmatur ex Pii VII Brevi ad Archiep. Moguntin. 8 Oct. 1803: « Quid — ait — dicendum erit de illorum sententia, qui iactant haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici....? Adversus illam clamant Scrip-

(1) Cfr. Bouquillon loc. cit. n. 153; Van den Berghe loc. cit. n. 104.
(2) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 103, in nota (78).

turae, concilia, traditio denique universa. Omnium instar sit Tridentina Synodus quae Sess. XIV cap. 2 non baptizatos a baptizatis distinguens, illos tantum Ecclesiae iudicio proindeque legibus non subiici affirmat, quum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Hi baptizati Ecclesiae filii, quamquam rebelles et transfugae, eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur ».

**Resp. 2.** Licet Ecclesia possit et generatim etiam velit haereticos obligare legibus suis, maxime quae directe tendunt ad tuendam honestam conversationem in societate christiana et publicum ordinem (v. g. leges irritantes de matrimonio), plures tamen inter recentiores [1] **ex praesumpta Ecclesiae voluntate** haereticos [2] exemptos docent ab illis legibus, quae directe tendunt ad animarum sanctificationem, puta leges de ieiunio et abstinentia, de festorum sanctificatione, de receptione sacramentorum; rationem afferunt, quod in huiusmodi casibus exercitium ecclesiasticae iurisdictionis in haereticos est in destructionem et non in aedificationem. — Quae sententia spectata auctoritate intrinseca et extrinseca improbabilis dicenda non videtur.

### 46. Qu. 4. Qua ratione peregrini et vagi obligentur legibus ecclesiasticis communibus et particularibus.

*Praenotandum.* Dicuntur peregrini qui accidentaliter commorantur extra locum domicilii vel quasidomicilii, vagi intelliguntur qui nullibi domicilium vel quasidomicilium habent.

---

[1] Cfr. De Angelis, loc. cit, n. 13; Santi, loc. cit., n. 31; Van den Berghe, loc. cit, n. 105; Bouquillon, loc. cit., n. 154 aliique contra Wernz, loc cit., n. 103 in nota (80).

[2] Intelligendi videntur non tam qui contumaci voluntate a fide deficiunt, quam qui in secta iam diu constituta infeliciter nascuntur.

**Resp. 1.** Peregrini et vagi leges Ecclesiae **communes** observare tenentur prout ex iure communi vigent in loco, in quo versantur; ratio habetur ex principio generali superius n. 43 exposito. Hinc in usu privilegiorum et consuetudinum contra ius commune, necnon dispensationum in lege communi peregrini et vagi servare debent normam territorii, in quo versantur, non proprii territorii; huiusmodi enim privilegia, consuetudines et dispensationes, utpote pro tali loco generalia (uti supponitur), merito habentur determinationes iuris communis, quae proinde pro tali loco constituunt ius commune, et tamquam localia cum loco amittuntur et acquiruntur.

Dictum est: « prout ex iure communi vigent etc. »; nam ex dicendis Resp. 2 patebit, peregrinos et vagos non obligari iis praescriptis loci, quae lex vel consuetudo particularis obligationi communi praeter ius forsan addidit, quippe quae ex legislatione particulari oriuntur.

**Resp. 2.** Peregrini et vagi ex sententia saltem valde probabili, contra plures [1], non obligantur legibus **particularibus loci,** nisi (praeter rationem scandali vitandi) id exigat bonum commune; ratio est ex eo quod non sunt de territorio, ideoque talis particularis legislatoris iurisdictioni non sunt subiecti. — Posita exceptio (cuius ratio per se patet) verificatur in iis quae respiciunt publicam tranquillitatem vel damnum a tali communitate avertendum, vindictam criminum, bona immobilia in tali territorio sita, formas et solemnitates contractuum, iudiciorum aliorumque actuum legitimorum [2]; neque putandum est, ex huiusmodi exceptionibus infirmari expositam sententiae rationem, quum demonstrent peregrinorum et vagorum aliqualem subiectionem legislatori territoriali; huiusmodi enim sub-

[1] Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 156.
[2] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 107.

iectio non est vi iurisdictionis territorialis, sed vi iuris superioris naturalis vel communis; similiter speciali iuris communis dispositioni tribuendum est, quod vagis, quoad matrimonium contrahendum, proprius parochus est, in cuius parochia hic et nunc versantur (1). — Praeterea admittenda non videtur alia limitatio, quam cum aliis addit S. Alphonsus (2), in casu quo eadem lex viget in patria; parum enim cohaeret cum principio generali exposito in n. 43; siquidem peregrinus (de vagis casus non verificatur) non subiicitur tali legi prout est lex patriae, quum non sit in territorio, neque prout est lex loci, in quo versatur, quum non sit de territorio.

**Resp. 3.** Peregrini non obligantur legibus **particularibus proprii territorii**, nisi fictione iuris in proprio territorio moraliter praesentes reputentur — aut ratione rei quam directe afficit lex (3), vel circa quam versatur actio physice absentis (4), aut ratione ipsius actionis vel omissionis, quae fieri censetur in ipso territorio (5) — vel nisi lex aliqua particularis immediate liget ratione personae (6). Ratio habetur ex eo quod lex particularis affixa est certo territorio, extra cuius limites vim suam obligatoriam non exserit; confirmatur ex cap. 2 de constit. in 6° l. 2, quod sic habet: « .... Statuto episcopi, quo in omnes qui fur-

---

(1) Aliae difficultates a Bouquillon, loc. cit. n. 161, propositae solvuntur a Van den Berghe, loc. cit. n. 110.

(2) Cit. n. 156, lib. I.

(3) Sic physice absens tenetur solvere tributum ratione praedii in proprio territorio ab ipso possessi.

(4) Sic beneficiarius illegitime absens incurrit censuras latas ab episcopo loci, in quo beneficium existit.

(5) Exemplum habetur in clerico illegitime absente, dum obligatione tenetur adesse.

(6) Sic praelati religiosi tum praeceptis ac sententiis, tum statutis subditos ubicumque terrarum existentes obligare possunt. Cfr. Ballerini-Palmieri, *Opus theol. morale* tom. I, tract. III, n. 194.

tum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes minime ligari noscuntur: cum extra territorium ius dicenti non paretur impune ».

Imo — extra duplicem casum, quo quis a territorio exit, ut a reservatis absolvatur, vel ut matrimonium ineat in loco, ubi lex Trident. de forma substantiali servanda non viget — ex sententia sin minus certa saltem valde probabili peregrini, tum physice tum moraliter absentes, non tenentur proprii territorii legibus particularibus, etiamsi abierint animo sese subducendi earumdem obligationi; etenim vis legis haec tantum est, ut obliget subditos in territorio existentes, minime vero ut impediat, quominus subditus a territorio exeundo legis obligationi se subducat; nec dicatur fraudem tunc ei patrocinari, siquidem iure suo utitur, et non fraus seu dolus ei patrocinatur, sed loci conditio. — Neque valide arguitur ex cit. duplici casu, quasi exinde deduci possit generalis quaedam supremi legislatoris dispositio in contrarium; nihil enim continent, quo demonstretur praetensae dispositionis generalis applicatio, imo a pluribus in alium sensum explicantur, ad summum sunt exceptio, quae firmat regulam in contrarium.

**47. Qu. 5. Num et quanam ratione regulares subdantur legibus episcopalibus.**

**Resp**. Regulares ceterosque religiosos a iurisdictione episcopali exemptos legibus episcopalibus (praeter casus in iure expressos) ex earumdem **vi propria non subiici** evidens est; eo ipso enim quod ab episcoporum iurisdictione eximuntur, etiam liberantur ab eorumdem potestate legislativa. — Solum **ex causa accidentali** ad earumdem observantiam **tenentur,** quando nempe scandali vitandi vel boni communis obtinendi ratio id exigit, vel usu et consuetu-

dine easdem acceptantes suo iure cesserunt ipsi regulares (1).

**Quaestio specialis** hac de re inter DD. agitur, num scil. regularium **monasteria** inter loca **exempta** reponenda sint etiam **hoc sensu,** ut et personae non exemptae, dum in iis versantur, legibus episcopalibus non subsint. — Affirmativam sententiam valde probabilem dicit S. Alphonsus (2), contrariam doctrinam tenent Suarez aliique apud S. Alphonsum ibidem. Probabilior saltem et practice tenenda videtur sententia negans ex eo quod, licet loca regularium ipsorum ratione sint exempta, tamen ex iure non aequiparantur locis *Nullius*, nec constituunt territorium separatum a territorio dioecesis; hinc docet Suarez (3) personas episcopo subditas, quae intra loca regularium frangunt eiusdem statuta, eius censuras sine dubio incurrere.

**48. Qu. 6. Num et quali obligatione clerici teneantur legibus civilibus.**

**Resp.** Clericorum nomine hic intelliguntur non solum qui saltem tonsura sunt initiati, sed et omnes, qui clericorum privilegiis fruuntur, ac personae ecclesiasticae dicuntur: qui omnes

1) **non obligantur** legibus civilibus quae nominatim et specifice disponunt de personis rebusque ecclesiasticis, nisi approbentur ab Ecclesia; idque non solum quando disponunt in eorumdem praeiudicium, sed etiam quando disponunt in eorumdem commodum et favorem, ex textu claro c. 7 et 10 X *de constit.*. I. 2; ratio est quia obligandi vim non habet lex lata in non

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., lib. IV, cap. 20.
(2) Lib. I n. 157; cfr. et lib. VII n. 24.
(3) *De censuris*. disp. V, sect. IV, n. 6.

subditos, sed personae resque ecclesiasticae qua tales non subsunt potestati civili: ergo.

2) **obligantur** vero (excepto Rom. Pontifice, qui iure divino in omnibus et per omnia exemptus est a quavis lege civili) [1] iis legibus civilibus, quae ob publicam utilitatem seu necessitatem in materia clericis et laicis communi quidpiam statuunt, simulque neutiquam repugnant statui clericali eiusque dignitati et officiis; ratio habetur ex eo, quod non solum non demonstretur ex iure, sive divino sive ecclesiastico, clericorum quoad huiusmodi leges a potestate civili exemptio, sed et ex naturali aequitate rationabilissimum est, ut clerici tales leges observent.

3) Si autem quaeratur **de fonte** seu causa efficienti **praefatae obligationis** non una est DD. sententia, quum alii eam repetant ex sola aequitate naturali, alii ex sola approbatione et voluntate Ecclesiae, alii tandem etiam directe ex ipsa efficacia legum civilium [2].

### 49. Qu. 7. Qua ratione legislator teneatur propriis legibus.

**Resp. 1.** Quaestio haec agitur *a*) de legislatore singulari et absoluto, qui scil. solus totam legislativam potestatem exercet; nam legibus a collegio latis subsunt singuli socii conlegislatores, utpote vere subditi integro collegio (excepto tamen Rom. Pontifice in concilio oecumenico), et *b*) de legibus, quae habent rationem et materiam de se universalem; nullimode enim legislator ligatur legibus suae dignitati vel personae non accommodatis. Quo sensu intellectam quaestionem DD. communiter resolvunt, ut legislator

---

[1] Cfr. Palmieri, *de Rom. Pontifice*, thes. XXIV; Lehmkuhl *Theol. moralis*, tom. I, nn. 139 et 140.

[1] Cfr. Molina, *de iustitia*, tract. II, disp. 31, n. 19; Suarez, loc. cit. lib. III, cap. 34.

1) **non teneatur** quidem legis **vi coactiva;** « nullus enim — ita D. Thomas [1] — cogitur a se ipso: lex autem non habet vim coactivam nisi ex principis potestate » ;

2) **teneatur** autem eiusdem **vi directiva,** ita ut sub peccato obligetur ad eamdem servandam [2]; ratio habetur ex ipso legislatoris officio, quod est procurare communinitatis cui praeest bonum publicum: lex autem ex suapte natura est ad bonum publicum; hinc Conc. Trident [3] observat: « Totius familiae Domini status et ordo nutabit, si quod requiritur in corpore non inveniatur in capite ».

**Resp. 2.** Legislatoris obligatio servandi propriam legem **non** videtur esse **directa,** quae oriatur immediate a voluntate et potestate principis legem ferentis, quatenus nempe ut persona publica seipsum ut personam privatam et membrum communitatis ligare possit et liget, ut cum Caietano vult Bouquillon [4] et alii, **sed indirecta** seu consecutiva, quatenus nimirum, posita semel lege pro bono totius communitatis, ipse pariter hanc observare tenetur ex iure naturali ac divino, dĕrivato a lege aeterna, ne pars a toto discrepet neque subditi scandalizentur [5]. Ita communis DD. qui tamen discrepant in hac doctrina explicanda: licet enim omnes hi fundamentum et vim obligationis non repetant ex ipsa voluntate legislatoris, sed ex voluntate divina, quae occasione legis humanae ipsum legislatorem proxime et immediate liget, attamen alii putant ipsum legis latae obiectum non materialiter solum a lege naturali praecipi, sed etiam formaliter seu ex eiusdem virtutis motivo, ex quo ipsius legislatoris lex

---

(1) 1-2 qu. 96, art. 5 ad 3.
(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. n. 269.
(3) Sess. XXIV, cap. 1, *de reform.*
(4) Loc. cit. n. 156.
(5) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 272;

obligat (1), aliis e contra opinantibus ipsa legislatoris lege solum ostendi materiale obiectum, ad quod ipse etiam teneatur (2). Hinc iuxta explicationis modum priorem species obligationis in legislatore eadem est quae in subditis, ita ut pro diversa materia per legis violationem legislator committat peccatum specie distinctum, quod ex genere suo grave habet Suarez et alii, per se leve Lessius cum aliis (3); ast iuxta explicationis modum posteriorem in quibuslibet legibus pro superiore una eademque honestas debita inest, honestas nempe sese reliquis conformandi, ac legis violatio levis tantum est; gravem autem legis suae violationem a superiore habent omnes, praeter casum scandali vitandi, in materia iustitiae commutativae gravi (4).

Tandem notandum pro legislatore legis suae servandae obligationem cessare per se, quando adest iusta causa subditum dispensandi, quum tunc desinat ratio, ob quam se subditis conformare debeat.

## § 7. — De legis ecclesiasticae dispensatione.

***Summarium:*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) dispensationis notio et interpretatio; 2) dispensationis auctor et subiectum; 3) dispensationis concedendae causa; 4) dispensationis concessae cessatio.

### 50. Qu. 1. Quid sit dispensatio, et quomodo interpretanda.

**Resp. 1.** Dispensatio **intelligitur** iuris relaxatio in casibus particularibus facta cum causae cognitione ab eo qui

---

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., lib. III, cap. 35.
(2) Cfr. Salmanticenses, *de legibus*, cap. 3, puncto 3.
(3) Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 154
(4) Cfr. Lehmkuhl, *Theol. moralis*, tom. I, n. 144.

ius habet dispensandi: dicitur « *cum causae cognitione* », i. e. ex existente et cognita speciali et proportionata causa, secus ex S. Bernardo [1] « non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est » [2]. — **Differt a privilegio** contra ius (cum quo in pluribus convenit) ex eo quod est quid minus stabile et minus permanens.

A dispensatione distinguenda est **commutatio,** quae intelligitur pro opere praescripto alterius operis substitutio, quod opus debet esse saltem (fere) aequale, quando habetur facultas commutandi vel etiam dispensandi commutando; si vero habetur facultas commutandi dispensando, substitutio fieri potest cum inaequalitate moderata iuxta circumstantias. — Ab utraque distinguenda **declaratio exemptionis,** quae a quolibet privato rei perito legitime fieri potest.

Dispensatio quum sit recessus a iure et vulnus legis, et hinc odiosa, **stricte est interpretanda,** ita tamen ut non excludat necessaria ad valorem et effectum dispensationis, vel necessario cum ipsa connexa seu ad eam necessaria, ne scil. dispensatio inutilis seu frustranea reddatur [3].

**51. Qu. 2. A quonam et quibusnam concedi possit dispensatio.**

**Resp. 1.** Dispensandi **potestas duplex** distinguitur: propria, quae oritur ex ipsius muneris in se spectati natura, aut derivata, quae oritur ex alterius concessione.

1) Potestate **propria,** quae ex se est ordinaria, dispen-

---

[1] *De consideratione*, lib. III.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 449 et 450; Suarez, loc. cit., lib. IV, cap. 10, n. 9 sq., et cap. 12; lib. VIII cap. 2 n. 10.

[3] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. n. 451, et n. 454 ubi affert et solvit difficultatem ex c. 13 X *Qui filii sint legitimi* IV. 17.

sat omnis et solus legislator in legibus tum suis quum praedecessorum et inferiorum;

a) **Rom. Pontifex** ex plenitudine potestatis [1], quam ratione primatus habet, potest dispensare in quibusvis legibus ecclesiasticis, etiam in concilio oecumenico latis, imo et in institutis stricte apostolicis at non in iure divino vel naturali. — Constat quidem de facto, Rom. Pontificem aliquando relaxare ius naturale in iis quae pendent in sua obligatione praeceptiva a priore consensu voluntatis humanae et ab efficacia illius ad aliquid agendum; ast huiusmodi relaxatio fit vi potestatis suae vicariae a Deo speciatim concessae, non quidem directe ac praecise auferendo obligationem legis naturalis, sed mediante aliqua remissione, quae fit ex parte materiae, atque exinde consequenter cessat obligatio iuris naturalis; proindeque huiusmodi relaxatio licet vocetur, tamen in rigore non est dispensatio [2].

b) **Episcopus** dispensare potest in legibus tum suis quum praedecessorum, sive in synodo sive extra eamdem latis, non in legibus iuris communis. — Docuerunt quidem « antiquiores nonnulli, quibus postea consenserunt Gallicani et Febroniani, posse episcopos potestate subordinata quidem potestati pontificiae, propria tamen et ordinaria in legibus universalibus dispensare pro suis dioecesanis. At haec sententia prorsus reiicienda est: ab una enim parte manifeste repugnat tum inconcusso principio quod inferior non possit superioris voluntatem impedire, tum Sedis Apostolicae constanti doctrinae et praxi; — ab altera vero parte nulli solido fundamento innititur; frustra

---

[1] Cfr c. 4 X, *de concess. praeb.* III, 8.

[2] Ita Wernz, loc. cit, n. 122; cfr. Suarez, loc. cit., lib. II, cap. 14; Lehmkuhl *Theol. moralis*, tom. I, n. 163; Ballerini-Palmieri, *Opus theol. morale, de legibus*, nn. 290-307.

enim in eius favorem allegatur, quod episcopi positi sunt regere Ecclesiam Dei, quod primis saeculis in omnibus passim legibus dispensare solerent, quod citra specialem reservationem possint dispensare in votis et absolvere a censuris: sane ecclesiae particularis regimen non postulat generalem dispensandi in iure communi facultatem; dispensationes primorum saeculorum facile explicari possunt per ampliorem facultatem olim episcopis ratione temporum relictam; a dispensatione in votis et absolutione censurarum minime concludere licet ad dispensationem in lege.... » (1).

2) Potestate **derivata** in lege superioris dispensat, qui ad hoc obtinuit specialem facultatem aut a iure, quando nempe huiusmodi facultas lege lata vel legitima consuetudine alicui muneri stabiliter est adnexa, et haec est ordinaria (quasi-ordinaria), — aut ab homine, quando scil. a competente auctoritate transeunter est concessa, et haec est delegata. — Facultas delegata conceditur vel dignitati, v. g. talis dioecesis episcopo, vicario generali quisquis est, vel personae, v. g. Iacobo, Paulo; et quidem aliquando in favorem ipsius delegati, aliquando in favorem certae causae vel personae; ac in posteriore casu vel per modum gratiae factae, quo casu, si preces veritati nitantur, delegatus dispensationem dare seu (uti dicunt) fulminare debet, vel per modum gratiae faciendae, ita ut dispensationis concessio relinquatur prudenti delegati arbitrio.

3) Potestas dispensandi **ordinaria,** utpote favorabilis, est **late interpretanda:** quod idem alii contra alios affirmant de potestate delegata generali, ast hoc in casu saltem intra certos limites latam interpretationem contineri, et ex praxi potius ac mente Sedis Apostolicae, quam ex

---

(1) Cfr. Bouquillon, loc. cit., n. 179; cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 463-465.

solo illo generali principio, limites indultorum esse determinandos docet Feye [1]. — Potestas autem **delegata** per modum commissionis erga determinatam personam exequendae **stricte interpretanda** est.

**Resp. 2.** Dispensatio **concedi tantum** potest illis, qui sunt subditi, hoc saltem sensu, ut aliquatenus sub dispensantis iurisdictione contineantur; quum enim dispensatio sit actus iurisdictionis, restringatur necesse est ad eos, in quos iurisdictio habetur.

Speciatim notandum:

1) Omnibus consentientibus nihil obstat, quominus quis, quam habet dispensandi potestatem, sive ordinariam, sive delegatam, **in seipsum** exerceat. Porro huiusmodi dispensatio, iuxta alios, fieri tantum potest indirecte et mediate, alteri scil., v. g. confessario, dispensandi facultatem tribuendo; quem procedendi modum magis prudentem et discretum dicit Bouquillon [2]; verum alii docent, dispensandi potestatem in seipsum exerceri posse etiam directe et immediate: ratio est — ita Van den Berghe [3] — quia dispensatio est actus iurisdictionis gratiosae, quae de se non requirit distinctionem personarum; et dum superior, puta Rom. Pontifex, ipsi dedit potestatem dispensandi, censetur etiam illam concessisse quoad seipsum.

2) Quoad **peregrinos** valde dissentiunt DD. [4]. Ex sententia Feye [5] melius fundata videtur sententia, iuxta quam episcopus cum iis dispensare nequit, nisi quando

---

[1] Tractatu autographo *de legibus*, n. 233.

[2] Loc. cit., n. 183 in fine.

[3] Loc. cit., n. 147 in fine ex Biner, *de legibus*, cap. V, n. 11.

[4] Cfr. S. Alphonsus, *de legibus*, n. 158; Ballerini-Palmieri, *Opus theol. morale*, nn. 196-201.

[5] Tract. autogr. *de legibus*, n. 206 4.°

certo constat de consuetudine vel de episcoporum conniventia pro negotiis in quibus ordinaria potestate dispensare possunt. — At satis probabilis est aliorum sententia, ex qua episcopus cum peregrinis dispensare possit, saltem in communibus Ecclesiae legibus, nisi forte usus potestatis expressa S. Sedis voluntate restringatur ad dispensantis subditos stricto sensu (1); ratio habetur ex eo quod, quum episcopus vindex sit legum communium etiam respectu peregrinorum, iure merito ipsi ab eodem obtinere valent earumdem legum relaxationem (2). Notat autem D'Annibale (3), quod, « si dispensatio habet tractum successivum, cum sit multiplex, cessat statim ac dispensatus subditus esse desiit, quod adeo est manifestum, ut probatione non egeat »; contra Lehmkuhl (4) docet, episcopum si causa est personalis et durans, probabiliter dispensare posse pro quocumque loco, modo ne causa ad externum forum spectet.

**Vagis** quascumque dispensationes concedi posse ab episcopo loci, in quo hic et nunc commorantur, communis est DD. sententia; sicuti enim ex iure communi subditi censentur vagi ad effectum suscipiendi parochialia, ita et subditi censendi ad hoc, ut possint liberari ab obligatione legis communis etc.

3) In **regulares,** utpote exemptos a iurisdictione episcoporum, ipsi suam dispensandi potestatem per se exercere non possunt. At ne privilegium sit in odium privilegiatorum, neque regularibus occurrente necessitate non sit satis provisum, affirmandum videtur, posse episcopos, saltem ex Rom. Pontificis consensu rationabiliter praesumpto, regularibus in sua respective dioecesi degentibus favores

---

(1) Cfr. Feye, *de imped. et dispens. matrim.*, n. 629 sq.
(2) Cfr. Van den Berghe, loc. cit., n. 148.
(3) *Summula Theol. moralis*, tom. I, n. 232.
(4) *Theol. moralis*, tom. I, n. 164.

dispensatione concedere, salva tamen debita ad superiores subiectione ac disciplina regulari (1).

**52. Qu. 3. Qua ratione in dispensatione concedenda requiratur causa.**

**Resp 1.** Dispensationis causa **intelligitur** motivum rationabile legis indoli proportionatum eximendi aliquem ab obligatione communi. — Huiusmodi causa **distinguitur,** ut sit alia motiva, quae revera inducit superiorem ad dispensandum, alia impulsiva, quae dispensationem tantum faciliorem reddit, — alia intrinseca, difficultas scil. per accidens adnexa legis observationi, cuiusmodi est asperitas viarum relate ad missam ex praecepto audiendam, alia extrinseca, bonum nempe ex legis non observatione vel saltem ex eius relaxatione obtinendum, v. g. meritorum compensatio, pacis et unionis conciliatio.

**Resp. 2.** Ad dispensationem concedendam **iustam requiri causam** habetur ex Conc. Trident. statuente (2): « Quod si urgens iustaque causa et maior quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita ac summa maturitate atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum.... »; ex quibus verbis manifestum est, ad legitimam dispensationem requiri non tantum causae existentiam, sed etiam cognitionem. — Notandum tamen ex S. Alphonso (3), in dubio an casus indigeat dispensatione, sive dubium sit positivum sive negativum, posse subditum uti sua libertate; consultius tamen esse tunc adire praelatum, qui declaret vel dispenset, quum in tali dubio bene possit praelatus

(1) Cfr. Lehmkuhl *Theologia moralis,* tom. I, n. 165, citans inter alias Layman, *conclusiones canon., de iurisdict.,* cap. 2, n. 35, et S. Officium 20 Dec. 1871.

(2) Sess XXV, cap. 18, *de reform.*

(3) Lib. I, n. 192, coll. *Hom. apost.,* tract. II, n. 31.

inferior dispensare sine concessione legislatoris. — Porro iusta causa requiritur

1) **semper ad liceitatem,** sive agatur de dispensatione ex potestate propria, sive ex potestate derivata, quia secus dispensans inordinate ageret, et rectam gubernationis regulam violaret, et quidem, excepto gravis scandali vel alterius notabilis damni periculo, **sub levi** tantum, ex probabiliore plurium contra alios sententia, si de dispensatione ex potestate propria sermo est, **sub gravi,** si agitur de dispensatione ex potestate derivata [1]. Patet proinde illicitam etiam esse dispensationem, quae sine causae cognitione conceditur;

2) **ad validitatem** in dispensationibus ex potestate derivata, non vero in dispensationibus ex potestate propria [2]. Ratio prioris partis est, quia in casu dispensatur ex facultate a superiore concessa, quam facultatem concessisse non censetur superior, nisi interveniente iusta causa; alioquin enim illa facultas cederet in praeiudicium boni communis, simulque adversaretur fini legis. — Altera pars probatur ex eo, quia tota legis vis obligatoria pendet a voluntate legislatoris, qui proinde, sicuti legem abrogando, ita et in ea dispensando, etiam sine causa, eiusdem obligationem sicuti pro omnibus, ita et pro singulis auferre potest.

Ex hisce deducitur, quid dicendum de validitate

---

[1] Idem respective resolvendum de culpa illius, qui nulla existente iusta causa dispensationem petit vel ea utitur; imo etiam ab omni culpa excusandus videtur, qui utitur dispensatione sine iusta causa ultro data ex potestate propria. In dubio autem de sufficientia causae dispensationem tum concedere quum petere licet. — Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 178; Lehmkuhli *Theol. moralis*, tom. I, n. 162.

[2] Ita communis DD. contra paucos, qui negant validitatem dispensationis a superiore in lege propria sine causa concessae. Cfr. Suarez, loc. cit., lib. VI, cap. 18; Bouquillon, loc. cit., n. 187.

dispensationis concessae sine causae cognitione: valida omnino videtur huiusmodi dispensatio concessa ex potestate propria; concessa vero ex potestate derivata certo invalida est, si causa reipsa non existit, quod idem dicendum videtur, etiam causa existente, si delegans causae examen requisierit tamquam conditionem et formam; extra hos casus res est dubia [1].

**Resp. 3. Quantitas causae** regula aliqua generali statui non potest, sed attentis gravitate legis et materiae, ratione temporum, ac conditione personarum prudenti iudicio est determinanda: certum tamen est, non requiri causam tantam, quae per se saltem probabiliter a legis impletione excuset; « nam si certo constet causam esse talem ut per se excuset; non solum dispensatio vera, sed nec interpretatio praelati necessaria est.... » [2]. — Sufficit iusta causa, sive intrinseca sive extrinseca, sive publica sive privata, siquidem « legislator ita debet bono communi prospicere, ut etiam habeat curam singulorum quoad fieri possit; ergo ita debet etiam dispensare obligationem legis, ut necessitatibus singulorum subveniat salvo bono communi » [3], et hoc sensu explicandum, quod dicitur a DD., dispensandum scil. non esse nisi ob bonum commune.

Communiter **causae triplex species** assignari solet: charitas (pietas) quae respicit causam privatam et intrinsecam, quando praeceptum, quod est generatim conveniens multitudini, non est conveniens hoc in casu vel huic personae; utilitas, quae respicit potius causam extrinsecam et publicam, v. g. pacis et unionis conciliatio inter regna vel familias nobiles; necessitas, quae respicit sub-

---

[1] Cfr. Van den Berghe, loc. cit., n. 154; Bouquillon, loc. cit., n. 188.

[2] Suarez, loc. cit., lib. VI, cap. 18, n. 14.

[3] Suarez, loc. cit., lib. VI, cap. 18, n. 18.

ditorum infirmitatem sive specialem sive praesertim generalem (1).

Tandem notandum, dispensationem esse posse aliquando obligatoriam, sive ex ipsa rei natura, propter bonum scil. publicum vel privatum necessario obtinendum, sive etiam ex iuris vel superioris dispositione (2).

**53. Qu. 4. Quibus modis cesset dispensatio concessa.**

**Resp.** Dispensatio plene obtenta (i. e. iam fulminata (3) et absolute (4) concessa) cessare potest **triplici modo:**

1) Ex parte dispensantis **per revocationem,** quae facta a dispensante ex potestate propria valet, etiam si fiat absque iusta causa (leviter tamen peccabit revocans sine iusta causa); verum facta revocatio a dispensante ex potestate derivata non valet, si fiat absque iusta causa, huiusmodi siquidem dispensatio, data nomine delegantis, legitime revocari nequit, nisi secundum ipsius voluntatem, sed revocatio sine iusta causa, utpote arbitraria et irrationabilis, secundum voluntatem delegantis fieri censeri nequit; imo ne ex iusta quidem causa valide revocari potest dispensatio concessa ex delegatione particulari, quum in tali delegato post usum potestatis haec ipsa omnino est extincta. — Per mortem vero dispensantis non cessat dispensatio, nisi concessa fuerit ad arbitrium suae voluntatis (v. g. donec placuerit) (5).

2) Ex parte dispensati **per renuntiationem** una cum

(1) Cfr. Bouquillon, loc. cit., n. 187.

(2) Cfr. Suarez, loc. cit., lib. VI, cap. 18, nn. 19-22.

(3) De cessatione mandati vel commissionis dispensandi, cfr. ubi *de rescriptis* et *dispens. matrim.*

(4) Dispensationem concessam ad tempus determinatum hoc elapso cessare, per se patet.

(5) Cfr. S. Alphonsus,, lib. I, n. 197; Wernz, loc. cit., n. 126, I.

acceptatione a competente superiore ecclesiastico, qui scil. extinctum per dispensationem obligationis vinculum restituere potest, siquidem obligatio semel extincta sola dispensati voluntate reviviscere non potest [1]. — Sunt auctores [2] qui docent, huiusmodi acceptationem non esse necessariam in obligationibus quae ex voluntate ipsius dispensati initium et statum capiunt; at consideratis quae n. 39 Resp. 3 sub c) notata sunt ex Sanchez, haec sententia non videtur indubia.

Notandum **renuntiationem** intelligendam esse **proprie dictam,** quae scil. fit per actum, quo quis omnino a se abdicat ius dispensatione quaesitum; hinc renuntiationis signum non est dispensationis non usus vel usus contrarius, quorum neuter per se excludit voluntatem postea utendi dispensatione.

3) Ex parte causae **per desitionem causae motivae** moraliter **totalem** et **certam**

**a**) dispensatio **cessat,** sive ante omnem usum sive usu iam incoepto, quando per illam remissa est **obligatio divisibilis et tractum successivum habens,** v. g. recitandi horas canonicas, ieiunii quadragesimalis: ita fere omnes, et merito; talis enim dispensatio ex natura obligationis, quam remittit, est virtute multiplex, et propriam pro suo tempore seu die causam requirit [3]. — Quando vero

**b**) per dispensationem **sublata est inhabilitas,** ita ut tota simul concedatur, v. g. dispensatio in impedimento matrimonii, in irregularitate etc., ex unanimi sententia **non cessat** dispensatio **casu,** quo iam incoepto usu inter

---

[1] Cfr. S. Alphonsus, lib. I, n. 198.

[2] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 126. II; Bucceroni, *Instit. theol. moralis*, tom. I, n. 248, 2.°

[3] Cfr. Suarez, loc. cit., lib. VI, cap. 20, n. 18.

concessae rei partes separatio fieri nequit sine incommodo: sic v. g. irregularis dispensatus ad ss. ordines suscipiendos suscepto iam subdiaconatu non debet propter cessationem causae a reliquis ordinibus arceri; ratio habetur ex incommodis nimis gravibus quae secus sequerentur. — **Extra hunc casum** inter DD. **lis est:** alii opinantur dispensationem perseverare, quia — aiunt — per dispensationem validam absolute extincta est inhabilitas, quae non potest reviviscere nisi per novum actum legislatoris, quo iterum dispensatum subiiciat legi inhabilitanti; alii tenent dispensationem cessare ex praesumpta legislatoris voluntate non dispensandi nisi sub conditione causae existentis eo momento, quo dispensatio executioni mandanda est. Practice proinde sequi licet opinionem, quae dispensationis tuetur validitatem: semper tamen attendendum est ad mentem legislatoris aut expressam aut prudenter intellectam (1).

## § 8 — De legis ecclesiasticae abrogatione et cessatione.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) legis ecclesiasticae mutabilitas; 2) eiusdem abrogatio ex parte legislatoris; 3) eiusdem cessatio propter cessantem finem.

**54. Qu. 1. Num lex ecclesiastica semel iuste lata possit tolli vel mutari.**

**Resp.** Legem humanam, etiam ecclesiasticam, licet iuste et opportune ad bonum publicum latam, nihilominus iuste etiam ac opportune mutari posse, demonstratur ex **triplici** quae habetur **mutationis causa,** et quidem

(1) Cfr. Lehmkuhl, *Theol. moralis*, tom. I, n. 173, praesertim quod ibid. sub 2 resolvit de dispensatione a voto castitatis ad ineundum matrimonium ex causa legitimandae prolis.

1) ex parte **legislatoris,** cui ex imperfectione scientiae et praevisionis humanae naturale (proprium) videtur, « ut gradatim ab imperfecto ad perfectum perveniat. Unde videmus quod, qui primo philosophati sunt, quaedam imperfecta tradiderunt, quae postmodum per posteriores sunt tradita magis perfecte. Ita etiam et in operabilibus; nam primi qui intenderunt invenire aliquid utile communitati hominum, non valentes omnia ex seipsis considerare, instituerunt quaedam imperfecta in multis deficientia, quae posteriores mutaverunt instituentes aliqua, quae in paucioribus deficere possunt a communi utilitate » (1);

2) ex parte ipsius **materiae,** quae licet tempore legis latae convenienter ac valde utiliter, imo necessario ad bonum publicum promovendum fuerit ordinata, tamen postmodum, mutatis rerum circumstantiis desivit esse conveniens et utilis communitati; concordat c. 8 X *de consang. et affinit.* IV. 14, ubi legitur: « Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quae in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.... »;

3) ex parte **subditorum,** « quibus secundum diversas eorum conditiones diversa expediunt, sicut Augustinus ponit exemplum, quod si populus sit bene moderatus et gravis communisque utilitatis diligentissimus custos, recte lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus. Porro si paulatim idem populus depravatus habeat venale suffragium, et regimen flagitiosis sceleratisque committat, recte adimitur populo talis potestas dandi honores, et ad paucorum bonorum redit arbitrium » (2). Hinc c. ult. *de sent.*

---

(1) S. Thomas, 1-2, qu. 97, art. 1.
(2) S. Thomas, loc. proxime cit.

*excomm.* in 6° V. 11 dicitur: « Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat et consulte, quae suadente subiectorum utilitate postmodum consultius et rationabilius revocat in meliusque commutat ».

Legis mutatio generatim fieri non debet, nisi ex speciali ratione, ex qua compensetur malum seu inconveniens quasi naturaliter cum mutatione coniunctum: quod explicans S. Thomas scribit (1): « Lex humana in tantum recte mutatur, in quantum per huius mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo; in tantum quod ea quae contra communem consuetudinem fiunt, etsi sint leviora de se, graviora videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis in quantum tollitur consuetudo. Et ideo numquam debet mutari lex humana, nisi ex alia parte tantum compensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur (2).

### 55. Qu. 2. Quibus modis fiat legis abrogatio.

**Resp**. Abrogatio legis generatim dicitur legis mutatio qualiscumque quae fit ab extrinseco, i. e. a legislatore eiusve successore vel superiore: qua mutatione si tollitur tota lex strictius dicitur abrogatio, si tollitur pars legis derogatio, si adiicitur aliquid legi subrogatio, si modificatur aliquid ex priore lege obrogatio. — Distinguitur et legis irritatio quae est legis ab inferiore legislatore latae annullatio facta a legislatore superiore.

Legis abrogatio fieri potest **duplici modo**: nempe **directe** expressis verbis legis obligationem tollendo, et **in-**

(1) 1-2, qu. 97. art. 2.

(2) Cfr. Bouquillon, loc. cit, nn. 197-200; Reiffenstuel, loc. cit. nn. 486-490.

**directe** novam legi existenti contrariam legem ferendo. — Quoad posteriorem hunc legem abrogandi modum (de quo solum est difficultas) haec est

1) **Regula generalis,** ut legis anterioris obligatio extincta non censeatur per legem posteriorem, nisi in quantum haec illi sit directe contraria; iurium enim correctio, utpote odiosa, quantum fieri potest, est evitanda, et ita quidem ut nisi correctio clare omnino exprimatur, iura contraria etiam verba impropriando, imo et per sensum subauditum ad concordiam reduci debeant (1). — Hinc in correctoriis iurium non fit extensio ultra expressa, nec proinde legis abrogatio seu quaevis mutatio regulariter asserenda est per tacitos et subauditos intellectus, nisi quando per eam reditur ad ius praecedens, et quando intervenit identitas rationis in lege expressa, et generatim quando huiusmodi extensio ex substrata materia demonstratur moraliter necessaria (2).

Notandum in abroganda sive mutanda lege per novam legem contrariam requiri huius legitimam promulgationem ad hoc ut abrogandi vim exerceat; si autem abrogatio fit per directam legis latae revocationem, satis est, ut alio modo voluntatem abrogandi sufficienter manifestet princeps (3).

2) **Regulae speciales** hae communiter dantur:

**a)** Lex generalis anterior abrogatur seu mutatur per legem generalem posteriorem, etiamsi haec illius mentionem non faciat (4); nec etiam in abrogandis decretis conciliorum oecumenicorum per posteriorem legem, sive conciliarem sive pontificiam, requiri specialem clau-

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 491-495.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 500-518.

(3) Cfr. Schmalzgrueber, loc. cit., n. 51; cfr. Suarez, loc. cit. lib. VI, cap. 27, n. 14.

(4) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 491.

sulam derogatoriam (ut volunt plures) ex solidis rationibus docet Reiffenstuel (1).

b) In concursu legis specialis cum generali applicanda est R. I. 34 in 6°: *Generi per speciem derogatur* (2), ita ut legi generali anteriori deroget lex specialis posterior, et per legem specialem anteriorem lex generalis posterior limitetur, nisi aliter exprimatur. Hinc per legem generalem posteriorem non abrogantur rationabiles consuetudines et statuta particularia locorum, nec particularia privilegia, nisi in quantum habeatur in lege posteriore clausula eisdem derogatoria (3).

c) Lex specialis anterior abrogatur seu mutatur per legem specialem posteriorem: « intelligitur autem de legibus specialibus aut in iure communi contentis, aut de statutis quae fiunt a particularibus communitatibus vel legislatoribus, qui scire possunt et debent sua statuta. Secus vero erit de particularibus legibus concessis a Pontifice extra ius commune; nam tunc clausula revocatoria requiritur » (4).

Quae regulae innituntur — ita Bouquillon (5) — duplici principio, quod nimirum ab una parte voluntas superioris debeat aliquid efficere, ab altera vero parte iuris correctio, utpote odiosa, vitanda sit quantum rationabiliter fieri potest; deducuntur autem ex verbis Bonifacii VIII; « Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris sui (6) censetur habere), constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat,

---

(1) Loc. cit. nn. 519-532.

(2) Cfr. supra n. 23 III 3).

(3) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 496-499.

(4) Suarez, loc. cit., lib. VI, cap. 27, n. 12.

(5) Loc. cit., n. 202 in fine.

(6) De sensu horum verborum, cfr. Nilles in opella sub titulo *In scrinio pectoris sui*.

revocare noscatur: quia tamen locorum specialium et personarum singularium consuetudines et statuta (cum sint facti et in facto consistant) potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare » [1].

### 56. Qu. 3. Qua ratione fiat legis cessatio.

**Resp.** Legis cessatio **dicitur** eiusdem obligationis extinctio propter cessantem finem: intelligendus autem finis adaequatus seu totalis, ex cessante enim fine partiali legis obligationem tolli non posse per se patet. Quibus praenotatis resolvendum:

1) Cessante **totius** legis fine adaequato in aliqua **communitate** [2], eiusdem obligatio **cessat** pro **omnibus** talis communitatis membris; nam quum in supposito lex sit inutilis vim obligandi amittit: requiritur autem ut legis finis cesset universaliter seu pro maiore saltem talis communitatis parte, necnon constanter, i. e. non pro limitato aliquo temporis spatio, secus legis obligatio non extingueretur, sed suspenderetur tantum.

Si vero finis adaequatus legis cessat pro **parte legis,** etiam eiusdem obligatio **cessat** pro **ea** parte **tantum,** si haec separari a reliquis possit, secus ne pro ea quidem parte, nisi ob cessantem finem in ea parte tota lex evaderet inutilis vel nociva.

2) Cessante fine legis adaequato **in particulari** seu respectu personarum individuarum tantum, num et in quantum legis obligatio cesset inter DD. **lis est.** Convenit quidem inter omnes, legis obligationem in casu cessare, si

---

[1] c. 1, *de constitut.* in 6, I. 2.

[2] Intelligitur etiam communitas particularis, v, g. dioecesis, provincia religiosa etc.

eiusdem finis cessat positive seu contrarie, i. e. quando legis observatio fit nociva vel aequo difficilior. At si finis cessat negative seu contradictorie, ita ut lex fiat inutilis tantum, saltem probabilius cum communiore negandum videtur, legis obligationem in casu cessare; lex enim directe et immediate respicit communem utilitatem, quae quum ex supposito persistat, etiam legis vis obligandi persistat necesse est pro communitate, et consequenter pro omnibus eiusdem membris. Haec sententia generatim loquendo practice sequenda videtur, « eo quod — ita S. Alphonsus [1] — communiter loquendo fere numquam in particulari cesset omnino periculum hallucinationis. Si vero aliquando casus accideret, quod aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem secundam [praedictae contradictoriam] sententiam improbare, sed huiusmodi casus rarissime poterit evenire ».

### Scholion.

**De legis ecclesiasticae alteriusve iuris confirmatione** [2].

57. **Confirmatio,** quantum ad propositum, **intelligitur** iuris quocumque modo quaesiti per legitimum superiorem facta corroboratio; supponit proinde ius iam aliquatenus, sive vere sive saltem de facto, quaesitum; fieri autem debet per legitimum superiorem, nam quae a per-

[1] Lib. I. n. 199.

[2] Cfr. Reiffenstuel, aliique commentatores iuris decretal. in lib. II, tit. 30; Suarez, *de legibus*, lib. VI, cap. 26, n. 14 sq. lib. VIII, cap. 18. n. 2; Benedictus XIV, *de synodo*, lib. XIII, cap. 3; Wernz, lib. I, nn. 113-116.

sona privata fit corroboratio potius approbatio quam confirmatio est dicenda. — Duplex praecipue **distinguitur:** altera **in forma communi** (simplex, ordinaria), qua superior, habita generica tantum cognitione causae, actum confirmat in eo statu, in quo prius erat — altera **in forma specifica,** quae fit cum perfecta notitia totius negotii, et omnium eius circumstantiarum; haec ab illa dignoscitur imprimis ex eo quod tenor iuris confirmandi ipsi confirmationi inseritur, deinde ex specialibus clausulis, praesertim ex clausulis: *ex plenitudine potestatis, motu proprio et ex certa scientia, supplentes omnes iuris et facti defectus* etc.(1); in dubio praesumendam esse confirmationem datam in forma communi, docent (contra alios) plures, quorum sententia sicut est communior, ita videtur probabilior, meritoque retinenda, saltem ubi agitur de praeiudicio tertii (2).

Confirmationis **valor** seu efficacia varia est pro duplici eiusdem specie. Siquidem confirmatio in forma communi non mutat naturam actus confirmati, neque ullum ius novum tribuit, neque valorem illi cui accedit, sed eumdem in propria sua specie relinquens confirmat, quatenus de iure validus existit, atque extrinsecus tantum eidem conciliat maiorem auctoritatem, quatenus removet dubia et oblocutiones, et faciliorem facit executionem. — Contra confirmatio in forma specifica actum inferioris confirmatum transmutat quodam modo in actum superioris confirmantis, novum ius tribuit actui, eumque, si forsan antea invalidus fuerit, firmum reddit atque validum, nisi in nonnullis casibus necessario excipiendis (3). Hinc

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. c., n. 8.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 10-17.

(3) E. g. si actus laborat defectu indispensabili, puta si esset contra ius divinum; — si defectus est talis in quo dispensari non solet; — defectus non possit suppleri sine praeiudicio alterius. Cfr. Schmalzgrueber in lib. II, tit. 30, n. 7.

a) **lex inferioris** legislatoris, a Rom. Pontifice confirmata in forma specifica, fit quodammodo lex ipsius Pontificis, proindeque ab illo inferiore legislatore mutari vel abrogari non potest, nisi accepta ad hoc speciali facultate; secus vero si lex confirmata fuerit in forma communi. In neutro tamen casu lex per se extenditur ad universam Ecclesiam, sed afficit solummodo territorium vel personas, pro quibus est lata;

b) **privilegii vel alterius iuris** confirmatio in forma communi, licet, uti dictum est, iuri existenti robur quoddam extrinsecum addat, tamen ius vel privilegium infirmum vel ablatum non firmat vel restituit; si vero datur in forma specifica, aequivalet primae concessioni, et ius vel privilegium invalidum vel amissum validum reddit vel restituit.

Ab huiusmodi confirmatione iuridica omnino differt **mera innovatio physica** documentorum, in quibus scripta reperiuntur privilegia aliave iura. Per huiusmodi enim innovationem ius novum non acquiritur, neque antiquum confirmatur, sed tale ius antiquum (si quod erat) dumtaxat conservatur (1). Unde minor est innovatio privilegii quam eiusdem confirmatio: per hanc enim, etiam forma dumtaxat communi factam, maior aliqua firmitas atque auctoritas confertur actui; non sic per innovationem, utpote quae nihil iuris aut maioris firmitatis de novo tribuit, sed solummodo deservit ad faciliorem probationem eius, quod in privilegio olim concesso continebatur (2).

---

(1) Cfr. c. 4 X *de confirm. utili vel inutili*, II, 30, iuncto summario et DD. ibid.

(2) Ita Reiffenstuel, loc. cit., n. 29.

## Titulus II.

## De consuetudine.

(Decret. lib. I tit. 4 *de consuetud.*)

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decretal. in cit. tit.; Suarez *de legibus*, lib. VII; Wernz, tom. I. nn. 184-194; Craisson, tom. I, nn. 104-145; Bargilliat tom. I, nn. 107-121; Van den Berghe *Tract. de legibus*, nn. 185-202; Bauduin, Dissert. *de consuet. in iure canonico.*

***Synopsis tituli.*** Post finitam tractationem de iure ecclesiastico scripto hoc tit. explicatur theoria canonica de iure consuetudinario. Agitur distinctis paragraphis de consuetudinis notione — de requisitis ad ius consuetudinarium constituendum — de consuetudinis effectibus — de consuetudinis probatione — de consuetudinis abrogatione et cessatione.

### § 1. De consuetudinis notione

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) consuetudinis etymologia et notio; 2) consuetudinis divisio; 3) notae historicae.

**58. Qu. 1. Unde derivetur et quid sit consuetudo.**

**Resp. 1.** Ordiendo a nominis **etymologia** consuetudo dicitur a verbo *consuesco*, hoc est simul et saepius facio, quia videlicet non inducitur nisi a maiore parte communitatis simul ac saepius actum frequentantis.

**Resp. 2.** Consuetudo **duplici** praesertim sumitur **sensu,** nempe *a*) materialiter pro ipsomet usu diuturno seu

frequentatis actibus alicuius populi, et dicitur consuetudo facti [1]; formaliter pro iure, quod ex eiusmodi diuturno usu sive frequentatis actibus nascitur, et dicitur consuetudo iuris [2].

**Resp. 3.** Consuetudo iuris, quae sola proprie et absolute dicitur consuetudo, **definitur:** Jus legale diuturnis populi moribus, accedente aliqua legislatoris consensu, introductum; siquidem constituit consuetudo normam moralem actus humanos ordinantem, cui normae actibus populi frequentatis iam constitutae legislator, attendens ad populi morem, tandem suo consensu firmitatem iuris attribuit. Proinde ad constituendam consuetudinem iuris seu ius consuetudinarium **duplex** requiritur **elementum essentiale:** consensus legislatoris, et consuetudo populi praecedens, ita ut quod legislator suo consensu firmat, iam sit de facto inductum moribus populi; secus enim ius constitutum habetur quavis alia ratione, non vero populi moribus. Hinc iuris consuetudinarii causa occasionalis et materialis est consuetudo populi; causa eiusdem efficiens vero consensus legislatioris [3]. — **Differt** proinde consuetudo a lege, quae immediate oritur a sola legislatoris voluntate eiusque actu expresso et publico promulgatur; a praescriptione, qui est modus acquirendi ius dominii vel quasi-dominii, proceditque etiam inter privatos; a traditione usuali, qua norma aliqua agendi proprie non introducitur seu statuitur, sed norma olim a legislatore immediate et expresse intimata ad nos transmittitur, quasi legenda in populi moribus, quibus impressa invenitur [4].

---

[1] Cfr. c. 1, *de constitut.*, in 6, I, 2.

[2] Cfr. c. 50, X. *de elect.* I, 6.

[3] Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 77.

[4] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 1-6 et 19-28; Bauduin, loc. cit., nn. 1-10.

**59. Qu. 2. Quaenam sint variae consuetudinis species.**

**Resp.** Consuetudo **canonica** [1], de qua sola hoc tit. agitur, **dividitur**

1) Ratione **ambitus** seu extensionis territorialis in generalem seu universalem, quae obtinet et servatur in universo orbe christiano [2]; — in particularem seu specialem, quae afficit orbis christiani partem tantum, puta regnum, provinciam, dioecesim, vel etiam minorem aliquam communitatem capacem tamen legis recipiendae.

***Nota.*** Reiffenstuel [3] cum aliis hanc divisionem ita explicat, ut distinguatur consuetudo generalissima, quae viget in tota Ecclesia, generalis, quae certam aliquam provinciam vel dioecesim obstringit [4], specialem, quae habetur in aliqua communitate minore legis tamen suscipiendae capace [5], specialissima quae servatur ab aliqua minima parte populi, puta ab aliqua communitate imperfecta, legis etiam recipiendae non capace, vel etiam a personis privatis; haec autem postrema verum ius legale non constituit, sed dumtaxat praesumptionem inducit, cui statur nisi contrarium probetur [6], vel ad instar privilegii dat iura subiectiva [7].

2) Ratione **modi quo inducitur** in iudicialem,

---

[1] Canonica dicitur consuetudo, quae circa materiam spiritualem seu ecclesiasticam versatur, ut distinguatur a consuetudine civili, quae versatur circa materiam temporalem seu civilem.

[2] Talis est consuetudo, vi cuius audiendo missam extra ecclesiam parochialem fit satis praecepto Ecclesiae; item consuetudo, secundum quam cuivis sacerdoti approbato in paschate confessio fieri potest. Ita Bauduin, loc. cit., n. 12.

[3] Loc. cit., nn. 14-17.

[4] Cfr. c. 31, X. *de elect.*, I, 6.

[5] Cfr. c. 19, X, *de iureiur.*, II, 24.

[6] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 17.

[7] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 187, II a).

quae pluribus (1) sententiis conformibus super eodem causarum genere prolatis obtinuit in iudicio; — in extraiudicialem, quae usu populi extra iudicium inducitur. — Consuetudo iudicialis, quae et usus forensis dicitur, si refertur ad formam procedendi tribunalium in causis ecclesiasticis, vocatur stylus curiae, si vero ad materiam sententiarum iudicialium, appellatur auctoritas rerum similiter iudicatarum.

3) Ratione **effectus** in consuetudinem secundum ius, quae legem iam praeexistentem supponit eamque in usum deducit; — in consuetudinem praeter ius, quae in casibus a iure communi non decisis communem aliquem agendi modum inducit; — in consuetudinem contra ius, quae legi existenti contrarium aliquem communem agendi modum inducit.

4) Ratione **efficaciae** in ordinariam, scil. decem vel quadraginta annorum; — in centenariam seu centum annorum; — in immemorialem, cuius nempe initii in populi memoria non existit (2).

### 60. Qu. 3. Quinam sit iuris consuetudinarii historicus ortus et progressus.

**Resp.** Iam primis Ecclesiae saeculis extitisse consuetudines receptas indubium est: sic in controversia de celebratione paschatis non tantum ex traditione, sed et ex consuetudine argumentatum documenta historica demonstrant. Quae quidem consuetudines ab initio potius con-

(1) Cfr. dicenda infra n. 68, 3).

(2) Hinc de essentia huius consuetudinis non est, ut ne ulla quidem historica investigatione eiusdem initium determinari possit; eamque omnes sufficienter probatam habent, quando testes affirmant neque seipsos, neque concives contrarium vidisse vel audivisse. Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 187, II; Biederlack, Zeitschrift für katholische Theologie (Innsbruck), vol. VI, p. 633, n. 38.

suetudines facti fuerunt; ex iisdem autem non paucas paulatim transiisse in consuetudines iuris patet ex eo quod earumdem observantia urgebatur ab auctoritate ecclesiastica (1).

Huiusmodi consuetudines antiquitus in ecclesia receptae potissimum fuerunt consuetudines secundum ius et praeter ius; nam usque ad Gratiani tempora dispositio Iuris Romani, ex qua consuetudo non poterat vincere legem, in I. C. viguisse videtur in tantum, ut consuetudo, saltem particularis, ss. canonibus contraria non facile admitteretur (2). — Posteriores vero Glossatores admiserunt sub quibusdam conditionibus consuetudinem, etiam particularem, ss. canonibus contrariam: quam Glossatorum doctrinam tandem canonizavit Gregorius IX c. 11 X *de consuet.* I. 4. admittendo consuetudinem etiam contra ss. canones, dummodo sit rationabilis et legitime praescripta. — Quod principium fundamentale etiamnum in Ecclesia viget, etsi circa puncta accidentalia iuris consuetudinarii non paucae existant controversiae nondum authentice resolutae.

### § 2. De requisitis ad ius consuetudinarium constituendum.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: requisita 1) ex parte consuetudinis facti, 2) ex parte legislatoris; 3) conditiones speciales.

**61. Qu. 1. Quaenam ad ius consuetudinarium constituendum requiratur consuetudo facti.**

**Resp. 1.** Ad ius consuetudinarium constituendum requiritur, et sufficit, ut consuetudo facti sit **a communi-**

(1) Cfr. *de lege coelibatus*, c. 1, Conc. Arelat; c. 6 et 7 Conc. Nicaeni.

(2) Cfr. Gratiani dictum c. 4, D. 11, cum dicto c. 3. D. 4, ubi tum leges tum canones generaliter per mores abrogari posse concedit.

**tate legis recipiendae capace,** qualis est relate ad Ecclesiam provincia ecclesiastica, dioecesis, ordo religiosus etiam monialium, relate ad dioecesim civitas (1): requiritur, quia ius consuetudinarium imponitur per modum legis, proindeque habeatur necesse est subiectum legis capax; siquidem forma imponi non potest nisi subiecto capaci; et quidem huius subiecti capacis debet esse consuetudo facti, ut ius quod imponitur sit verum ius consuetudinarium: — sufficit, quia ex dictis ius consuetudinarium non est a communitate tamquam a causa efficiente, sed mere tamquam a causa occasionali et materiali (2). Neque aliter intelligendos esse DD. (3) qui requirunt consuetudinem societatis perfectae, vel etiam legis ferendae capacis, explicando demonstrat Bauduin (4), siquidem loquuntur de societate, non absolute, sed relative perfecta, quae scil. potestatem legis ferendae non quidem habet ex se, sed a communitate perfecta cuius est pars, vel saltem cui huiusmodi potestatem ex concessione superioris societatis inesse non repugnat.

Necesse tamen non est, ut omnia omnino talis communitatis membra in consuetudinem conspirent, sufficit ut observetur a maiore parte; nam — uti habet principium iuris — « refertur ad universos, quod publice fit per maiorem partem », proindeque usus a maiore parte servatus merito dicitur transiisse in mores populi. Quae maior pars intelligenda est eorum solorum et omnium, qui novae legis recipiendae sunt capaces, vel qui lege

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 115; Bouquillon, loc. cit. n. 118.

(2) Aliter res se habet — uti per se patet — in iure consuetudinario speciali, quod oritur ex potestate legislativa ipsi corpori insita. Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 79.

(3) Inter quos et Reiffenstuel, loc. cit., n. 111.

(4) Loc. cit., n. 81 et 82.

existente tenentur [1]; hinc excluduntur infantes et amentes, non autem mulieres, nisi lex unice viros spectet [2].

**Resp. 2.** Requiritur ut consuetudo facti introducatur per **frequentiam actuum,** qui sint **uniformes** et **publici;** ratio clara est ex ipsa consuetudinis indole; siquidem communis populi eiusque maioris partis usus ne cogitari quidem potest, nisi frequenter, uniformiter ac publice idem fiat. — Quanta vero requiratur actuum frequentia regula fixa determinari non potest; dependet enim a numero et frequentia occasionum, quae pro diversitate materiae saepius vel rarius occurrere possunt; hinc pro diversitate circumstantiarum prudenti iudicio diiudicandum, quot in casu actus requirantur vel sufficiant, ut quid in mores populi transiisse usuque receptum esse censeri possit.

**Resp. 3.** Requiritur, ut consuetudo facti procedat

1) **Cum intentione saltem interpretativa sibi constituendi ius,** idque in consuetudine tam contra quam praeter ius. Ita saltem probabilius tenendum cum pluribus, praesertim recentioribus, contra plures alios [3]. — Requiri praedictam intentionem probatur ex iuris consuetudinarii indole, quae talis est, ut legislator in firmando per suum assensum usu a populo introducto sese conformet populi menti seu dispositioni, hoc sensu quod populus moribus suis legislatorem praecedere debeat, et indicando ius constituendum quasi impetrare ipsius con-

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 132; Bauduin, loc. cit., n. 85.

[2] Cfr. Bauduin, loc. cit., 86. Quo sensu etiam intelligendus videtur Reiffenstuel, loc. cit., n. 104, ex iis quae scribit n. 115.

[3] Qui dictae intentionis necessitatem negant praecipue in casu consuetudinis contra ius; quando enim agitur de consuetudine praeter ius DD. fere conveniunt in requirenda praefata intentione. Cfr. Balduin, loc. cit., nn. 103 124, ubi fuse exponit totam hac de re controversiam.

sensum; ius enim consuetudinarium est ius moribus obtentum: sed si ultra id, quod populus intenderit moribusque interpretantibus se desiderare manifestaverit, legislator in iure firmando procederet, nullimode ius constituendum populo tribui posset, nec proinde haberetur verum ius consuetudinarium seu ius moribus obtentum (1). — Exinde plane consequitur sufficere huiusmodi intentionem interpretativam (2), quae consistit in certa quadam tendentia seu animi dispositione, quae, si ad actum deduceretur, plenam suam expressionem inveniret in voluntate legem existentem tollendi vel novam legem introducendi; quum enim in iure consuetudinario ius formaliter constituatur potestate et voluntate legislatoris, huius solius voluntas vera (actualis vel virtualis) necessaria est, non vero populi, utpote qui solo quasi desiderio iuris, moribus indicato, ad ius constituendum confert (3).

Practice sufficere videtur in casu consuetudinis contra ius, ut populus, quando lex urgetur contra consuetudinem, huic nitens dispositionem obligationi contrariam manifestet. — In casu vero consuetudinis praeter ius indicia intentionem obligationis inducendae manifestantia habentur tum rei ipsius gravitas vel difficultas, tum iudicium commune doctorum et timoratorum, tum superioris animadversio in eos, qui consuetudinem negligunt (4).

2) Cum requisita praefatae intentionis necessitate **duplex quaestio** connectitur:

(1) Cfr. Baldus, loc. cit., nn. 126 et 132.

(2) Excipiendus est casus, quo populus ipse est legislator, v. g. membra corporis moralis, cui competit autonomia; quum enim tunc ipsius populi potestate et voluntate formaliter constituatur ius, etiam ipsius voluntas vera et proprie dicta requiritur.

(3) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 125 et 126, 130-132.

(4) Cfr. Suarez, loc. cit., cap. 15, n. 13.

**a) de influxu erroris et metus:** qua de re statuendum, errorem et metum ex parte populi in consuetudine introducenda eatenus obstare, quatenus ex iisdem deficit intentio seu mens obligationis abrogandae aut inducendae; nimirum si error vel metus dat causam substantialem consuetudini, tunc deficit animus sibi constituendi ius, secus vero si error vel metus fuit tantum concomitans, quin proprie det causam consuetudini (1);

**b) de necessitate bonae aut malae fidei:** praenotandum hanc quaestionem agitari de consuetudine contra ius. Qua in re alii propugnant necessitatem bonae fidei ex aequiparatione consuetudinis cum praescriptione, alii contra malam fidem necessariam esse contendunt, ex eo quod opinantur, bonam fidem stare non posse cum requisita intentione interpretativa non subiacendi legis observationi.

At ex una parte essentialiter distinguuntur praescriptio et consuetudo (2); deinde « ratio, — ita Lugo (3) — cur magis requiratur bona fides in aliis praescriptionibus, quam in ista [scil. in consuetudine legali]...., ea esse potest, quia in aliis praescriptionibus si mala fides sufficeret, redundaret in damnum innocentium, quibus saepe auferrentur res suae, ut cum mala fide praescriberentur legitime: debuit ergo lex praescriptionis ita consulere ipsi praescribenti, ut tamen consuleret illi contra quem praescribitur. At vero lex.... tota ordinatur ad bonum subditorum, quorum soli bono consulere debet: ad horum autem bonum expedit magis, ut, quando iam per diuturnam experientiam constat, legem non observari, atque ideo

---

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 134.

(2) Cfr. dicta n. 58, Resp. 3. — Potest autem fieri, ut simul cum consuetudine currat praescriptio proprie dicta iuris tertii, et tunc ex hac parte necessariam esse bonam fidem per se patet.

(3) *De iustitia et iure*, disp. VII, sect. VI. n. 96.

non deservire nisi ad laqueum conscientiae, licet ideo mala fide subditorum proveniat, legislator tamen eorum infirmitati condescendat, et legis obligationem auferat, cum id totum in maius subditorum bonum redundet » (1). — Ex altera vero parte, licet ex consuetudine legi contraria, quae malam fidem habet coniunctam, facilius desumi potest animus legis obligationi oppositus, tamen huiusmodi animus (interpretativus scil. qui ex dictis sufficit) optime conciliari potest cum bona fide, quae in casu provenire debet aut ex legis ignorantia aut ex ratione excusante saltem putative tali; siquidem fieri potest, ut illa ignorantia vel ratio excusans sint tantum concomitantes, quin proprie causam dent consuetudini, quam ex alio motivo observat populus, et observasset etiam illis non existentibus (2). Quare cum pluribus praesertim recentionibus saltem probabilius concludendum, nihil referre utrum bona an mala fide observata fuerit consuetudo.

### 62. Qu. 2. Num et qualis requiratur consensus legislatoris.

*Praenotandum.* Triplex distinguitur hac in re legislatoris consensus: expressus, quando legislator in consuetudinem consentit claris verbis usum vigentem approbando; — tacitus, quando legislator sciens consuetudinem dissimulat seu non contradicit, quum commode contradicere possit (3); — legalis, quando legislator per publicam legis auctoritatem sub quibusdam conditionibus generaliter consentit in populi consuetudines, easque vult

---

1) Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 128.

2) Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 127; Reiffenstuel, loc. cit. nn. 142-145.

3) Non confundendus cum consensu mere praesumpto, nec cum silentio oeconomico, quo legislator aliquem populi usum mere tolerat ad maiora mala praecavenda.

firmas esse ac vim legis habere: hic consensus alio nomine appellatur generalis ac iuridicus, eo quod generaliter praestatur per legem latam, dum praefatus duplex alius consensus communi nomine dicitur specialis vel personalis, eo quod pro hac vel illa determinata consuetudine in specie datur per individualem voluntatis manifestationem (1). Quibus praenotatis

**Resp. 1.** Ad ius consuetudinarium constituendum

1) **requiritur aliquis legislatoris consensus:** ratio est manifesta; ius enim consuetudinarium est vera lex, qua obligatio nova inducitur vel ius existens abrogatur; atqui nulla lex constitui potest nisi ex voluntate rationabili competentis legislatoris; ergo absque competentis legislatoris consensu nulla consuetudo seu populi usus vim legis habere potest. — In hanc doctrinam, ceteroquin inter DD. indubiam et communem, nostra aetate insurgit Schultz (Vetus-catholicus) (2), qui scholae historicae theoriam de iure consuetudinario in foro civili (3) ad ius canonicum transferens ius consuetudinarium in Ecclesia explicat ex communi populi persuasione iuris, i. e. ex communi populi opinione, usu manifestata, medium aliquod esse necessarium ad bonum commune Ecclesiae, independenter a legislatoris consensu (4). At contra: imprimis illa persuasio iuris est actus intellectus, ex quo solo ius quoddam constitui non potest; deinde si illa persuasio ponitur coniuncta cum populi voluntate, ex qua praecise

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 138.

(2) *Kath. Kirchenrecht*, tom. I, p. 209, n. 7 sqq.

(3) Cfr. Cathrein, *Moralphilosophie*, tom. I. p. 537; *Stimmen aus Maria-Laach*, tom. I, 319 sq.

(4) Cfr. Bauduin, loc. ctt., nn. 27-37, ubi hanc theoriam ipsius Schulte verbis latine redditis fuse explicat, et n. 38 ubi paucis exponit conceptum quem dictus auctor sibi efformavit de iure consuetudinario.

ius constituatur, tunc explicatio aperte offendit in doctrinam catholicam de Ecclesiae constitutione hierarchico-monarchica; tandem ex ss. canonibus ad ius consuetudinarium constituendum requiritur frequentia actuum uniformium, necnon (saltem aliquando) tempus determinatum: sed nec unum nec alterum necessarium est in theoria a Schultz propugnata, siquidem praefata persuasio iuris sufficienter manifestari potest etiam unico populi actu (ut ipse Schultz fatetur) et independenter a quavis temporis duratione (1).

Si autem quaeratur

2) **cuiusnam legislatoris consensus** sit necessarius, generale est principium, illius superioris consensum requiri et sufficere, cuius iurisdictioni ius, de quo agitur, est subordinatum. Ex quo principio relate ad consuetudinem canonicam deducitur:

**a**) In constituendo iure consuetudinario communi praeter ius, aut, sive communi sive particulari, contra ius commune requiritur consensus legislatoris in Ecclesia supremi, utpote cui soli ius commune, sive ferendum sive abrogandum subordinatum est.

**b**) In constituendo iure consuetudinario particulari praeter ius, aut contra ius particulare sufficit etiam particularis legislatoris competentis consensus, nisi forte ius particulare abrogandum a supremo legislatore specialiter fuerit confirmatum. Ratio est quia ius particulare et aliis, praeter legislatorem supremum, subordinatum est superioribus ecclesiasticis (2).

***Nota.*** Sunt in Ecclesia « quaedam communitates seu corpora specialia tum clericorum tum laicorum, quibus, sive ex iure communi sive ex privilegio sive ex prae-

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 39-44; Wernz, loc. cit., n. 188 I.

(2) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 45-48; Wernz, loc. cit., n. 188 II in ed. 2ª, p. 281 circa finem.

scriptione, convenit iurisdictio ad ordinanda negotia propria praeter ius ipsis superius. Quarum corporationum membra, quemadmodum suffragiis collegialiter datis in condendis statutis expresso modo utuntur facultate qua gaudent, ita et tacite seu usu ad ea, quae communiter observata volunt, praestare possunt. Quare nullius superioris distincti consensus ad ius consuetudinarium requiritur, sed sufficit consensus membrorum, quae per modum unius coniuncta sibimetipsis singulis superiora sunt » (1).

**Resp. 2.** Ad ius consuetudinarium constituendum **sufficere** legislatoris **consensum** non solum **expressum,** sed etiam **tacitum,** tenet — teste Bauduin (2) — communissima sententia, paucis tantum contradicentibus, qui nonnisi consensum expressum admittunt. — Imo, iuxta sententiam communiter receptam contra nonnullos (3), **sufficit** et consensus **legalis;** et sane non minus efficax est legislatoris voluntas generaliter per legem expressa, quam manifestata specialiter et immediate per verba et signa; confirmatur ex c. I *de constit.* in 6° I, 2, in quo validae habentur consuetudines a legislatore ignoratae, sed in rem ignoratam haberi non potest nisi consensus generalis seu legalis; ex quo manifestum est, convenienter etiam huiusmodi consensum a legislatore de facto dari, quum ad bonum commune expediat, ut exortae consuetudines vim obtineant et observentur. — Neque opponatur, rei ignoratae approbationem carere obiecto saltem determinato, et hinc nihil operari, vel saltem irrationabiliter dari; respondetur enim, approbationem seu consensum in casu carere

(1) Bauduin, loc. cit., n. 47.

(2) Loc. cit., n. 51.

(3) Inter quos ex antiquioribus Fagnanus, in c. 4, *de cognat. spirituali* IV, 11, nn. 17 et 18, inter recentiores Gousset, *Exposition des principes du droit canonique,* n. 385 sq.; et *Analecta iuris pontificii,* serie VIII, coll. 1392 et 1396.

quidem obiecto singulariter determinato, non vero obiecto determinato in specie, quod sunt consuetudines debitis conditionibus insignitae, proindeque ex hisce determinatis et cognitis approbationem seu consensum non irrationabiliter dari (1).

**Resp. 3.** In iure canonico **de facto haberi consensum legalem** pro consuetudinibus tum praeter tum contra ius, quae debitis insignitae sint conditionibus, iure meritoque tradit communissima ac receptissima DD. sententia. Enimvero

1) quoad consuetudines **contra ius** adest iuris textus clarus c. ult. X *de consuet.* I. 4 ubi legitur: « Licet etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime sit praescripta ». Qui textus refertur ad controversiam occasione legis Romanae (2) ante Gregorium IX inter Glossatores olim agitatam de valore consuetudinis contra legem canonicam: quam controversiam praefatus Pontifex hoc textu authentice solvit in hunc sensum, ut iuxta cit. legem Romanam generatim quidem consuetudo non praevaleat iuri positivo, praevaleat tamen si consuetudo sit rationabilis et legitime praescripta. Quo ex textu igitur indubie probatur consensus legalis, quo legem canonicam tollere valeat consuetudo, quae utraque praedicta insignita est conditione (3). — Quod vero spectat

2) consuetudines **praeter ius** dati consensus legalis textum iuris disertum non habemus; at huiusmodi consensus cum requisitis conditionibus ex integra iuris disci-

---

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit., 56-60; Reiffenstuel, loc. cit., nn. 136-141.

(2) L. Codicis lib. 7, tit. 2 a Gratiano, c. 4, D. XI relata, quae sic sonat: « Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento: ut aut rationem vincat aut legem ».

(3) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 61-68.

plina eruitur. Et in primis praefatus consensus datus non obscure insinuatur in cit. cap. ult. *de consuetud.* textu; in eo enim ipsis legis Romanae verbis « consuetudinis non esse vilis auctoritas » dicitur: sed ex lege Romana illa « non vilis consuetudinis auctoritas » haec erat, ut deficiente lege novam constitueret; illud igitur confirmasse recte putatur Pontifex. — Accedit quod haec interpretatio, praeterquam in iure Romano, solide fundatur etiam in Decreto Gratiani et in Decretalibus ante Gregorium IX editis, ex quibus demonstratur admissum generale principium, standum esse consuetudini praeter ius, si sit rationabilis et longa seu diuturna. — Tandem confirmatur ex doctrina, quae iam inde a primordio scientiae canonicae constans et uniformis tenuit et tenet, consensum legislatoris consuetudini rationabili et diuturnae etiam praeter ius ordinatione stabili ex lege esse alligatum [1].

### 63. Qu. 3. Quaenam ad ius consuetudinarium constituendum requirantur speciales consuetudinis conditiones.

**Resp.** Ad ius consuetudinarium constituendum ex cit. c. ult. X *de consuet.* I. 4 **duplex** requiritur **conditio specialis,** ut scil. consuetudo sit rationabilis et legitime praescripta: cui duplici conditioni ex dicto cap. ita alligatus est consensus legalis, ut hic, alterutra deficiente, et ipse deficiat. Consuetudo proinde debet esse

1) **rationabilis:** qua in conditione declaranda contra nonnullos, qui omnem consuetudinem rationabilem censent, quae iuri naturali et divino non adversetur [2], placet regula generalis, quam tradit Suarez scribens [3]: « Ut

---

[1] Cfr. Suarez, loc. cit., cap. 13, n. 7; Bauduin, loc. cit., nn. 69-76.
[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 32.
[3] Loc. cit., cap. 6, n. 16 sq.

consuetudo sit rationabilis in ordine ad inducendam legem, ultra honestatem oportet considerare, an habeat alias conditiones legis iustae, ut quod obligatio sit tolerabilis et communi bono utilis. — Si vero consuetudo spectetur in ordine ad revocationem legis humanae, ut sit rationabilis necesse non est, ut non sit mala, saltem quia prohibita, sed ex ea parte sufficiet, ut per se et seclusa lege prohibente mala non sit; oportet autem ut habeat causam aliquam rationabilem, ob quam contra legem inducatur, quia alias irrationabiliter induceretur contra legem, nam in universum revocatio legis iustae, si absque legitima causa fiat, irrationabilis est.... — Quocirca considerando consuetudinem in ordine ad hos duos effectus obligandi ad similes actus, vel deobligandi ab illis non obstante lege, optima regula mihi esse videtur, ut supposita honestate materiae, saltem quoad non repugnantiam cum divina vel naturali lege, applicentur ad consuetudinem conditiones necessariae ad legem iustam vel ad iustam revocationem legis. Nam si in consuetudine cum proportione inventae fuerint, cum eadem erit rationabilis, si autem defuerint, erit irrationabilis per comparationem ad talem effectum ». — Neque contra est, quod consuetudo contra ius, utpote contraria legi rationabili et iustae, semper irrationabilis dicenda videatur; respondetur enim cum Reiffenstuel (1), nihil impedire, quominus lex secundum unam rationem, et in ordine ad certum finem vel respectum fuerit rationabilis, simulque consuetudo eidem contraria secundum aliam rationem, et sub diverso respectu et fine etiam sit rationabilis: sicut etiam duae oppositae sententiae non raro simul sunt probabiles, atque duae con-

(1) Loc. cit., n. 40.

trariae leges (prout accidit in mutatione et abrogatione legum) solent esse rationabiles [1].

Magis speciatim rationabilis a DD. habetur consuetudo, quae iuri naturali vel divino non repugnans, in iure canonico non est reprobata ut abusus vel corruptela, nec peccandi licentiam vel occasionem praebet, nec disrumpit nervum disciplinae ecclesiasticae, nec cedit in gravamen libertatis et immunitatis ecclesiasticae, nec alia ratione communi utilitati est perniciosa [2].

Ceterum in praxi, num haec vel illa consuetudo sit rationabilis habenda necne, id prudenti iudicio diiudicandum relinquendum est, quo in iudicio maxime attendendum est ad consuetudines illas, quae in iure reperiuntur vel approbatae vel reiectae ac improbatae; praecipuae siquidem partes in diiudicanda consuetudinis rationabilitate spectat ad Sedem Apostolicam, cuius est « iudicare inter sanguinem et sanguinem, inter lepram et lepram, inter causam et causam, atque secernere virtutem a vitio, veritatem ab errore, salubria pascua a noxiis » [3]. — Quodsi vero pensatis omnibus adhuc remaneat dubium de rationabilitate consuetudinis, praesumenda est rationabilis ac bono communi expediens; in dubio enim favor consuetudinis, veluti in possessione existentis, est firmandus iuxta R. I. 65 in 6° [4].

2) **legitime praescripta.** Imprimis certum videtur conditionem esse intelligendam de duratione temporis fixi et determinati; tempore enim quo cit. c. ult. X *de consuetud.* fuit editum, in disciplina iuris receptum erat,

---

[1] Cfr. c. 8 X, *de consang. et affinit.*, IV, 14.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 34-39, 56 et 61 sqq., ubi refert nonnulla exempla consuetudinum irrationabilium.

[3] Reiffenstuel, loc. cit., n. 37; cfr. eumdem loc., cit. nn. 41 et 42.

[4] Ita Reiffenstuel, loc. cit., n. 43.

ut praescriptum diceretur ius, quod per fixum et determinatum tempus induceretur, contra quem usum communem ne minimo quidem valet paucorum sententia contraria, pro qua de cetero nulla affertur ratio efficax (1).

Difficultas in eo est, ut definiatur, quantum tempus determinatum requiratur, utpote quod nullo textu canonico disertis verbis accurate definitur. — Quoad consuetudinem *praeter ius* ex communi sententia sufficit decennium (2); quoad consuetudinem vero contra ius alii requirunt quadraginta annos, — alii distinguentes inter leges iam usu receptas et numquam receptas, in casu priore requirunt quadraginta annos, in posteriore decennium sufficere opinantur, — alii demum docent universim sufficere decennium, nisi cum consuetudine legali concurrat proprie dicta praescriptio iuris alieni (3).

Haec ultima sententia, quae contra communem antiquorum a recentioribus communiter docetur, ceteris probabilior et iuri conformior videtur. Ratio habetur ex eo quod in iure, etiam canonico, valor iuridicus adscribitur consuetudini longaevae seu longi temporis, quae denominatio, deficiente interpretatione canonica, interpretanda est ex iure civili tamquam iuris canonici fonte subsidiario; in iure autem civili longum tempus vocatur de-

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit. nn. 137-141; Suarez, loc. cit., cap. 8, n. 7, ubi scribit: « Haec [requiri scil. determinatum tempus] est communis sententia Doctorum utriusque iuris....; quapropter non videtur tutum in re morali discedere a receptissima sententia, praesertim quum haec materia a iure positivo pendeat, in quo maior fides adhibenda est peritis in illo quam aliis, et quia non potest ratio efficax in contrarium adduci ».

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 91.

(3) Haec enim de iure ecclesiastico expostulat tempus quadraginta annorum, vel etiam centum annos, quando agitur de iure Ecclesiae Romanae praescribendo, vel tempus immemoriale, quando deficit titulus. Van den Berghe, loc. cit., n. 196.

cennium ex lege *Super longi* Cod. *de praescript. longi temp.*, quae sic habet: « Super longi temporis praescriptione quae ex decem annis introducitur » (1). Cui interpretationi favere videtur ipsum cit. c. ult. X *de consuetud.* ex quo requiritur ut consuetudo sit « legitime praescripta »: legitime autem proprio et stricto sensu denotat, quod statutum est lege civili, vel eidem est conforme: qui strictus sensus hic intelligendus suadetur ex eo, quod ss. canonibus certum tempus pro consuetudine mere legali nullum reperitur statutum. — Tandem confirmatur praedicta interpretatio ex eo quod tempore editi cit. c. ult. X *de consuetud.* in iure Romano praevaluerat doctrina exigens ad valorem consuetudinis legalis, etiam contra ius, durationem decem annorum; rationabile igitur ut generica, per verba « *legitime praescripta* » facta, temporis determinatio exponatur iuxta dictam praevalentem inter iuristas doctrinam (2).

Ceterum tempus illud requisitum, ex communi DD., necessario debet esse continuum seu non interruptum; consuetudo enim per aliquod temporis spatium interrupta vere dici non potest durasse decennium, et aliunde tempus ad certum effectum a iure requisitum semper intelligitur continuum: interruptio autem adest, « si — ita Bauduin (3) — aut princeps punierit transgressores legis, ad quam abrogandam consuetudo tendit, aut communitas, vel maior pars, quamvis actu unico, contra consuetudinem egerit ».

Tandem notandum hanc conditionem intelligendam esse de sola consuetudine cum consensu legali, seu in-

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 106, coll. n. 96.

(2) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 151, 152, 153 sqq.

(3) Loc. cit., n. 157 ex Schmalzgrueber, lib. I, tit. 4, § 3. n. 12, et Suarez, loc cit., cap. 8, nn. 14 et 15; cfr. etiam Reiffenstuel, loc. cit., nn. 133-135.

troducta via praescriptionis; nam ad consuetudinem cum legislatoris consensu expresso vel tacito, seu introducta via conniventiae, ex unanimi DD. doctrina, nullum requiritur tempus determinatum, sed eadem ius facit statim ac legislator suum consensum expressis verbis vel non-resistentia sufficienter expresserit (1).

### § 3. — De consuetudinis effectibus.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: generatim 1) effectus consuetudinis iuxta varias eiusdem species; 2) efficacia consuetudinis in iure reprobatae vel prohibitae, et 3) valor iuridicus contra disciplinares Conc. Trident. leges.

**64. Qu. 1. Quinam sint generatim effectus consuetudinis.**

**Resp. 1.** Generales consuetudinis effectus varii sunt pro varia eiusdem specie:

1) **Consuetudo secundum ius** imprimis legem existentem firmat iuxta illud c. 3 D. IV: « Leges instituuntur cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur »: qui effectus est potius consuetudinis facti quam iuris, et intelligendus de firmitate non quidem intrinseca seu auctoritatis ad obligandum, quam lex ex sese iam habet (2), sed de extrinseca et accidentali, quatenus ita comprobata lex non tam facile per legem aut usum contrarium abrogatur (3); — deinde legem interpretatur iuxta illud: « Consuetudo optima legum interpres », et quidem interpretatione authentica et necessario admittenda, quando est consuetudo iuris seu iam

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 136; Reiffenstuel, loc. cit., n. 93-95.
(2) Cfr. n. 36.
(3) Cfr. Van de Berghe, loc. cit., n. 197.

habet omnes conditiones requisitas ad legem inducendam (1), interpretatione doctrinali et probabili tantum, quando consuetudo adhuc continetur intra terminos consuetudinis facti seu meri usus (2).

Tandem notandum ex Suarez (3), posse consuetudinem non solum humanam legem, sed etiam divinam et naturalem interpretari, ut omnes DD. docent: diverso tamen modo, quia legem humanam potest interpretari etiam minuendo vel augendo, divinam autem solum indicando legislatoris mentem, et ideo ut certa sit, oportet, ut consuetudo sit universalis Ecclesiae traditio, vel ut sit per Pontifices approbata.

2) **Consuetudo praeter ius,** quae habet omnes formalis consuetudinis conditiones, praecipiens vel prohibens, habet vim obligandi etiam pro foro conscientiae. Ita communis sententia, et evincit ratio manifesta; nam talis consuetudo constituit verum ius legale: ergo sicut lex iuxta materiae qualitatem obligat in conscientia, ita et consuetudo legitime praescripta, proindeque sicuti lex, ita et consuetudo obligare potest ad culpam simul et ad poenam, vel ad poenam tantum, imo et irritare actum, nisi specialis probetur exceptio (4). Hinc etiam sicuti lex ita et consuetudo non obligat extra territorium, pro quo invaluit, nec obligat nisi qui habent ibidem domicilium vel quasidomicilium, et ex his illos tantum, qui respectu ma-

---

(1) Huc revocari potest, quod in recentioribus concordatis et conciliis *vigens Ecclesiae disciplina a S. Sede approbata* tamquam norma obligatoria sive vera lex proponitur. Ita Wernz, loc. cit., n. 191, I *b*).

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 151-153; Bauduin, loc. cit., 182-184, ex Suarez, loc, cit., cap. 17, n. 2 sq.

(3) Loc. cit., cap. 18, n. 6.

(4) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 158 et 159; Suarez, loc. cit., cap. 16, n. 3.

teriae, de qua agitur, eiusdem sunt conditionis ac introducentes consuetudinem (1).

3) **Consuetudo contra ius** formaliter talis existentem legem abrogat illive derogat, intra limites tamen verae contradictionis seu incompatibilitatis (2). — Tollere autem potest huiusmodi consuetudo legis existentis vim non solum moralem, sed etiam poenalem, et quidem vim poenalem manente vi morali, ac vicissim vim moralem manente vi poenali, dummodo tamen poena non sit talis conditionis, ut culpam necessario praesupponat, v. g. in censuris; imo generatim (nisi specialis probetur exceptio) affirmandum videtur, consuetudinem abrogare posse etiam legem irritantem, sive eadem formam substantialem actui praescribit, sive certas personas ad aliquem actum inhabilitat. Ratio in his omnibus est, quia iura indistincte loquuntur de sublatione legis positivae humanae per contrariam consuetudinem legitime praescriptam (3).

***Nota.*** Ex regula apud veteres tradita **consuetudo immemorialis** illam habet vim singularem, ut inducat praesumptionem privilegii apostolici, quae tamen praesumptio est iuris tantum, ita ut admittat probationem in contrarium. — Haec autem regula intelligenda est « de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset; non vero de illis, quae cum

---

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit., n. 163 sqq.; Reiffenstuel. loc. cit., n. 160 sqq., et specialiter notandum, quod n. 163 addit de recursu faciendo ad consuetudines vicinarum ecclesiarum, id ab ipso intelligi « pro facienda dispositione vel causarum occurrentium decisione ».

(2) Cfr. explicata n. 55.

(3) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 154-157; Bauduin, loc. cit., nn. 167-172; aliter Santi-Leitner et De Angelis, in hunc tit. respective n. 19 et n. 11.

postulantur negari omnino consueverunt: ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas » (1).

**65. Qu. 2. Quid valeat consuetudo in iure reprobata, aut simpliciter prohibita.**

**Resp. 1.** Consuetudo in iure **reprobata,** etiam immemorialis, numquam ullum valorem habere potest, nisi forte nova superveniat causa tollens iniquitatem, quae prius eidem inesse videbatur. — Ratio est, quia consuetudo reprobata eo ipso est iuridice irrationabilis, proindeque caret una ex conditionibus specialibus, quae ex dictis n. 63 ad consuetudinis valorem iuridicum requiruntur (2). — Exceptionis ratio patet ex eo, quod consuetudo non semper reprobatur ex intrinseca malitia, quam habet, sed etiam ex causa accidentali (v. g. ex aliquo speciali periculo vel incommodo), quae cessare potest, ita ut non obstante anteriore reprobatione consuetudo desinat esse irrationabilis (3).

Reprobatio, ex doctrina Suarezii (4), variis fit modis in iure: ut in c. unico *de clericis non resid.* in 6° III. 3 per illa verba: « Consuetudinem illam penitus improbantes », — c. 2 X *de probat.* II. 19 per verba: « Talem consuetudinem reprobamus », — c. 5 hoc tit. quaedam consuetudo irritatur eo quod ex ea « disrumperetur nervus ecclesiasticae disciplinae », — c. 3 hoc tit. tollitur consuetudo quae « minus rationabilis » dicitur, — c. 7 hoc tit. reiicitur consuetudo ex eo quod « corruptela merito sit censenda », — c. 3 X *de institut.* III. 7 per verba: « consuetudinem pravam », et inferius per verba: « a SS. Pa-

---

(1) Benedicti XIV, Const. *Declarasti,* 16 Mart. 1746; cfr. eiusdem Const. *Inter multa,* 4 April. 1747.

(2) Cfr. c. 7 et ult., X, h. t.

(3) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 44-46; Suarez, loc. cit., cap. 19, n. 24.

(4) Loc. cit., cap. 7, n. 7.

trum est institutionibus alienum et ecclesiasticae honestati contrarium », -- item quando consuetudo appellatur abusiva seu abusus, ut c. 10 hoc tit. — Hisce igitur vel similibus modis consuetudo non tantum existens abrogatur et futura prohibetur, sed reprobatur ut irrationabilis.

**Resp. 2.** Consuetudo **simpliciter prohibita** non intelligitur consuetudo abrogata pro praeterito, sed prohibita inducenda in futurum: quae prohibitio tunc tantum habetur, quando expresse vetatur ne introducatur consuetudo, v. g. *non obstante quavis consuetudine etiam in posterum inducenda*, vel etiam quando eadem absolute prohibetur verbis futurum quoque comprehendentibus, v. g. *nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere:* clausula vero « *non obstante quavis consuetudine* », ex sententia hodiedum communiter recepta, tollit tantum consuetudines exstantes.

De valore huiusmodi consuetudinis simpliciter prohibitae lis est inter DD.: De Angelis [1] cum Suarez [2] aliisque generatim negat, simplicem prohibitionem impedire consuetudinem, etiam ordinario tempore inducendam, quia — uti habet Suarez — non obstante prohibitione potest consuetudo subsequens non esse irrationabilis, ideoque et locum habere decisio cit. c. ultimi *de consuetud.* — Plures alii cum Reiffenstuel probabilius (ut videtur) docent, stante etiam simplici prohibitione generatim non valere consuetudinem postea contra legem tempore ordinario inductam, valere autem consuetudinem immemorialem. Ratio 1 partis est, quia valor iuridicus consuetudinis nititur tamquam causa efficiente consensu legislatoris; sed in casu ex clausula prohibitoria deest consensus. — Ratio 2 partis habetur ex speciali, quam habet consuetudo imme-

---

[1] Lib. I, tit. IV, n. 12.
[2] Loc. cit., cap. 19, n. 21.

morialis, vi et auctoritate, propter quam valet nisi expresse ipsi derogatur.

Notandum tamen consuetudinis prohibitionem nihil obstare, quominus eadem introducatur ex legislatoris consensu non solum expresso, sed etiam tacito vere tali, uti per se patet; imo et ex solo consensu legali valebit in casu consuetudo, quando superveniat nova causa, vel innotescat antiqua aliqua, quae si antea extitisset, vel detecta fuisset, verisimiliter princeps talem consuetudinem non prohibuisset (1).

**66. Qu. 3. Num et quatenus admittenda sit consuetudo contra disciplinares leges Tridentinas.**

**Resp.** De hac quaestione acris inter DD. lis est; haec autem lis respicit consuetudinem contra solum concilium Tridentinum; nam quorumdam sententiam, ex qua contra nullum concilium oecumenicum admittitur consuetudo, solidis argumentis non probari, hodiedum concedunt unanimiter auctores. Quo sensu limitatam quaestionem communior sententia resolvit, ut generatim admitti non possit consuetudo Conc. Trid. contraria, nisi sit immemorialis; — alii vero DD., praesertim inter recentissimos, doctrinam canonicam de consuetudine applicandam docent etiam decretis disciplinaribus Tridentinis. Qua de controversia notandum:

1) Nullum habetur documentum authenticum, quo controversia indubie decidatur; siquidem

**a**) constitutiones Pii IV *Benedictus Deus* et *In principis Apostolorum*, quae afferuntur pro sententia communiore, non ostendunt inefficaciam consuetudinis contra Conc. Trident.; nam decretum irritans in Const. *Benedictus Deus* non refertur ad singula decreta Tridentina in se spectata,

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 47 et 48; Bauduin, loc cit., nn. 176-180.

sed tantum ad dispositionem specialem decreto irritanti immediate praecedentem, qua Pontifex decretorum Trident. commentarios edere prohibet, et eorumdem interpretationem S. Sedi exclusive reservat. — Pariter decretum irritans Const. *In principis Apostolorum*, sicuti eiusdem constitutionis clausula *Sublata*, non ad singula Tridentini decreta in se spectata referuntur, sed ad privilegia aliaque decretis Tridentinis contraria, quae in constitutione revocantur. — Tandem utrumque hoc decretum irritans nullimode habet characterem decreti irritantis omne id quod tendit in legis abrogationem, in specie futuras consuetudines legi contrarias, sed tantum decreti decernentis irritos et nullos actus, qui directe et immediate contra legem fiunt; hinc etiamsi illud decretum irritans referretur ad singula decreta Trident., nihil inde in hac quaestione concludi posset (1). — Ex altera vero parte

b) Pii VII epistola ad Archiep. Moguntinum 8 Oct. 1803 argumentum indubium praebere non videtur pro sententia contraria; licet in illa epistola admittatur consuetudo decreto Trident. *Tametsi* (de matrimoniis clandestinis) contraria, vis tamen huius consuetudinis declaranda videtur, potius quam ex consuetudine qua tali, ex mente Patrum Tridentinorum, qui ex ipsa Benedicti XIV (2) sententia supponuntur quibusdam in circumstantiis legem impedimentum clandestinitatis statuentem urgere non voluisse. Ceterum etiamsi in casu admittenda sit vis consuetudinis qua talis, exinde non probatur doctrina generatim statuens valorem consuetudinis Conc. Trident. contrariae (3).

2) Cardo quaestionis esse videlur in interpretanda praxi Curiae Romanae, praesertim S. C. C., quae praxis elucet ex multiplicibus hac de re editis a praedicta S. C. decla-

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 300-317.
(2) Const. *Singulari nobis*, 9 Febr. 1749, § 17.
(3) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 349-357.

rationibus vel decretis. — Apud omnes in confesso est, S. C. C. in suis declarationibus numquam statuisse generale principium, quo valorem consuetudinis Tridentino contrariae diserte aut admiserit aut negaverit. Certum tamen quoque est, ipsam S. C. in diiudicandis causis particularibus generatim loquendo reiecisse consuetudines contra disciplinam Tridentinam, ac eiusdem secretarios saepius directe affirmasse tales consuetudines non posse induci, ita tamen ut non desint exempla, ex quibus pateat, ipsam S. C. saltem in rebus secundariis huiusmodi consuetudines habuisse legitimas, vel saltem tolerandas existimasse. — Quam praxim omnibus consideratis talem iudicant plures, ut inde recte deduci possit generale principium de inefficacia consuetudinis contra leges disciplinares Trident. (1), quod tamen merito negandum opinantur alii (2).

3) Quibus expositis **concludendum:**

**a**) Nihil certi et indubii obstare, quominus theoretice affirmetur valor iuridicus consuetudinis etiam contra Tridentinas leges disciplinares, praesertim quum de facto iam existant huiusmodi consuetudines agnitae ab ipsis adversariis, e. g. consuetudo non celebrandi annuatim synodum dioecesanam, et non auscultandi concionem die dominica in ecclesia parochiali, quas consuetudines ipse admittit Benedictus XIV, — vel quarum legitimitas in dubium vocari nequit, quin sequatur magnum damnum pro Ecclesia, v. g. consuetudo quarumdam regionum conferendi parochias absque concursu, vel constituendi duos vicarios generales (3); at

**b**) difficilius admitti in praxi huiusmodi consuetudines saltem ordinarias, ut uniformiter in universa Ecclesia

---

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 320-343.

(2) Cfr. Biederlack, in period. theol. Oenipontano *Zeitschrift für katholische Theologie*, tom. VI (1882), p. 438-471 et 608-658.

3) Cfr. De Angelis in hunc tit. n. 12.

sarta tecta servetur saltem substantia disciplinae a Conc. Trident. provide stabilitae, ac insuper

c) concedendum, secundum Benedicti XIV doctrinam, disciplinam Trident., salva substantia, contraria consuetudine emolliri et temperari quandoque posse.

### § 4. De consuetudinis probatione.

***Summarium:*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) probationis necessitas, 2) probandi modus.

**67. Qu. 1. Num et quaenam sit consuetudinis probandae necessitas.**

**Resp. 1.** Certum est consuetudinis probationem requiri ad hoc, ut **in foro externo** plene constituta agnoscatur; ratio est, quia consuetudo existit in facto: quae autem consistunt in facto ex utroque iure non praesumuntur, sed probari debent. — Excipitur consuetudo notoria, quam simpliciter allegare propter ipsam notorietatem sufficit (1). — Porro onus probandi incumbit illi, qui consuetudinem allegat.

**Probatio** ut sit **efficax,** se extendat necesse est ad omnes consuetudinis conditiones essentiales, quae in facto consistunt. Hinc probari debent imprimis actuum uniformium frequentia, eaque praeterea totius populi vel saltem maioris partis, ac tandem illorum actuum diuturnitas a iure requisita; nisi tamen consuetudo introducta sit ex legislatoris consensu expresso vel tacito, quem solum probasse sufficit, uti patet: rationabilitas vero, utpote quae non est res facti, sed iuris, ab allegante con-

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 171 et 172.

suetudinem necessario probari non debet, sed iudici diiudicanda relinquitur (1).

**Resp. 2. In foro conscientiae** nulla requiritur stricte dicta probatio consuetudinis, sed sufficit eiusdem legitime existentis certitudo iuxta regulas moralitatis definienda; hinc in consuetudine praeter ius requiritur certitudo moralis saltem late dicta, in consuetudine vero contra ius sufficit vera et solida probabilitas; ratio in utroque casu habetur ex principio: « Lex dubia non obligat » (2).

Sunt quidem DD. antiqui qui contendant, effectum legis constituendae vel abrogandae non prius sortiri consuetudinem, quam de ipsius existentia constiterit in iudicio contradictorio. At semper alii communiter hoc negarunt, et merito quia sententia iudicialis ex dictis non requiritur ex ipsa iuris consuetudinarii natura, nec aliunde ex iure positivo probatur, imo contrarium satis innuitur c. ult. hoc tit., in quo ad consuetudinis effectum obtinendum sufficere dicitur, ut sit rationabilis et legitime praescripta (3).

### 68. Qu. 2. Quibus modis consuetudo probetur.

**Resp. Variis modis** probari potest consuetudo:

1) Per **testes,** qui, ut plena habeatur probatio, generatim loquendo saltem duo sint oportet, ac convenientes seu concordes in affirmandis iis, quae ex dictis requiruntur ad efficacem consuetudinis probationem. — Speciatim quoad consuetudinem immemorialem, ad plenam probationem requiritur, ut testes deponant, se vidisse et simul audivisse a maioribus consuetudinem existentem, quin

---

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit. nn. 198 et 199.

(2) Cfr. Bauduin, loc. cit. nn. 204 et 205; S. Alphonsus, lib. I, n. 107, IV; Suarez, loc. cit., lib. XI.

(3) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 146-148; Bauduin, loc. cit., nn. 188-195.

ipsi vel maiores viderint aut audiverint, fieri aut umquam factum esse aliquid in contrarium.

Huc referri potest **authenticum Ordinarii** de consuetudine in sua dioecesi vigente **testimonium,** quod solum ad consuetudinis probationem sufficit.

2) Per **scripturas** pro vario earumdem valore; sic consuetudo probari potest ex actis synodorum particularium vel dioecesanarum, aut ex concordatis, in quibus de consuetudine fit mentio, — ex collectionibus iuris consuetudinarii, praesertim publica auctoritate factis vel approbatis, — ex scriptis virorum doctorum aliisque documentis publicis vel privatis, in quibus existens consuetudo affirmatur.

3) Per **sententias iudiciales,** et imprimis per sententiam iudicialem, qua in iudicio contradictorio legitima consuetudinis existentia admissa et firmata fuit, et haec est optima consuetudinis probatio; deinde etiam per sententias iudiciales conformiter ad existentem consuetudinem in causis particularibus latas, praesertim si plures sint et longum intervallum inter eas intercedat; nec admittendum videtur quod docet Reiffenstuel (1), sufficere duas sententias iudiciales intra decennium latas (2).

### § 5. — De consuetudinis abrogatione et cessatione.

***Summarium:*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua declaratur iuris consuetudinarii mutabilitas, et exponuntur modi, quibus mutatur vel tollitur.

**69. Qu. Num et quibus modis consuetudo rite introducta tolli vel mutari possit.**

**Resp. 1.** Ius consuetudinarium iuste et opportune **tolli**

(1) Loc. cit. n. 176.

(2) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 89-92. — Cfr. Reiffenstuel loc. cit. nn. 173-180; Bauduin, loc. cit., nn. 200-203.

vel **mutari posse,** evidenter constat ex iisdem considerationibus, quibus legis mutabilitas supra n. 54 fuit demonstrata. — **Duplici** autem **ratione** consuetudo vim suam iuridicam amittere potest: ab intrinseco per cessationem finis (consuetudinis cessatio), ab extrinseco, per competentis superioris expressam revocationem, et per legem vel consuetudinem contrariam (consuetudinis abrogatio).

Quod spectat mutationem ab intrinseco de consuetudine eadem valent, quae supra n. 56 sunt explicata de lege; de expressa revocatione nihil exponendum occurrit; restat igitur, ut specialiter agatur de consuetudinis abrogatione per legem vel consuetudinem contrariam.

**Resp. 2.** Consuetudinis abrogatio per **legem contrariam** fit intra terminos verae oppositionis, et quidem solum in quantum legislator consuetudinem non ignoraverit, vel saltem non ignorare censendus sit, nisi tamen in lege lata expresse, vel per additam clausulam derogatoriam manifestaverit voluntatem abrogandi consuetudinem etiam ignoratam. Ratio 1. partis habetur ex eo quod iurium correctio, quantum rationabiliter fieri potest, est vitanda [1]; ratio 2. et 3. partis deducitur ex Bonifacii VIII decisione in c. 1 *de constit.* in 6 I. 2 [2]. — Sufficit autem clausula generalis: « non obstante (quacumque) consuetudine contraria », qua clausula abrogantur etiam particulares vel speciales consuetudines, excepta consuetudine immemoriali, cuius expressa requiritur mentio per additum « etiam immemorialis » vel quid simile [3].

Ex dictis consequitur:

1) Lege superveniente generali abrogatur consuetudo aeque generalis legi contraria, licet in lege nulla

---

[1] Cfr. dicta n. 22, III, 4).

[2] Cfr. n. 55 in fine.

[3] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 184 et 188-193.

fiat consuetudinis mentio, nec addatur clausula derogatoria; at non abrogatur particularis consuetudo, nisi in lege fiat eiusdem mentio, vel saltem addatur clausula sufficienter derogatoria (1).

2) Lege superveniente speciali pro particulari loco lata a Rom. Pontifice pro eodem loco abrogatur consuetudo generalis contraria, etiam absque eiusdem mentione vel addita clausula derogatoria, non autem abrogatur, saltem ex sententia probabili, consuetudo particularis in eodem loco existens, nisi eiusdem in lege fiat mentio vel addatur clausula sufficienter derogatoria (2). Nec obstare videtur in posteriore casu legem latam carere suo effectu; est enim per accidens ob ignoratam consuetudinem : imo ex sententia Suarezii (3) in casu lex non omnino caret effectu; « nam obligat subditos — ita ipse — ad reverenter illam suscipiendam, et recurrendum ad superiorem consuetudinem suam et rationem eius allegando, cum animo servandi legem, si non obstante consuetudine iam cognita superior voluerit legem observari. Interim vero non tenentur contra consuetudinem agere ».

3) Lege superveniente speciali lata a Praelato inferiore (v. g. episcopo) pro suo territorio abrogatur consuetudo particularis in eodem existens, quin eiusdem mentio fiat vel addatur clausula derogatoria, quia talis superior saltem censendus est non ignorare consuedines in sua ditione vigentes (4).

**Resp. 3.** Consuetudo abrogatur per supervenientem **consuetudinem contrariam,** in quantum haec praeexistenti consuetudini est directe contraria, ut simul observari nequeant, et insuper sit legitima consue-

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 182 et 183.
(2) Schmalzgrueber, in hunc tit. n. 37, 4.
(3) Loc. cit., cap. 20, n. 16.
(4) Cfr. Bauduin, loc. cit., nn. 210-219.

tudo iuris, verificatis scil. omnibus conditionibus ad ius consuetudinarium constituendum requisitis. Assertum ex dictis manifestum est, et in eo habemus DD. consentientes, si excipiatur conditio temporis requisiti, quo in tempore determinando mire dissentiunt.

Praetermissa sententia docente, sicut ad consuetudinem contra ius, ita ad consuetudinem alterius abrogatoriam requiri spatium 40 annorum, utpote quae iam supra n. 63 2) fuit reiecta, speciatim considerandum est quod docet Reiffenstuel (1) cum Navarro et Suarez, nempe ad consuetudinem simpliciter abrogatoriam alterius consuetudinis contra legem (quae stricto sensu *desuetudo* appellatur) nullum tempus determinatum requiri, saltem in casu legis ab initio non acceptatae; ratio affertur, quia in casu lex abrogata non censetur simpliciter abrogata, sed tantum suspensa quamdiu populus insistit in sua consuetudine contraria, a qua si simpliciter recedit populus per aliam consuetudinem, illico lex absque determinati temporis lapsu reviviscit; accedit quod populus potest renuntiare iuri per contrariam consuetudinem sibi competenti quoad exemptionem a lege communiter lata, quod si fecerit populus recedendo a consuetudine legi contraria per subsequentem consuetudinem simpliciter abrogatoriam, eo ipso lex abrogata denuo vigere incipit. — At imprimis falso ponitur differentia inter legem ab initio acceptatam et non acceptatam; deinde sine fundamento asseritur contra communem, legem per consuetudinem abrogatam non penitus extingui sed tantum suspendi; tandem iuris renuntiatio ut valeat in casu, requiritur ex parte legislatoris renuntiationis acceptatio, siquidem lex semel abrogata denuo introduci nequit absque ipsius voluntate (2): acceptatio autem huiusmodi legislatore

---

(1) Loc. cit., n. 198.

(2) Cfr. dicta n. 53, 2).

ignorante non habetur nisi per consuetudinem legitimam, ideoque et legitime praescriptam. — Hinc omnino affirmandum videtur, ad hoc ut consuetudo legitime existens abrogetur per consuetudinem supervenientem contrariam, sufficere et requiri decennium (1).

## Titulus III.

## De rescriptis.

(Decret. lib. I. tit. 3).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decretal. in cit. tit.: Wernz, tom. I nn. 149-156; Craisson, tom. I nn. 51-76; Bargilliat, tom. I n. 411-431.

***Synopsis tituli.*** Exposita theoria constituendi iuris generalis, sive scripti sive consuetudinarii, apte sequitur disputatio de quibusdam iuris dispositionibus, quae magis ad ius particulare vel speciale referuntur, et imprimis de rescriptis. Agitur distinctis paragraphis de rescriptorum natura, — impretatione, — vitiis, — interpretatione et executione, — duratione et cessatione.

### § 1. — De rescriptorum natura.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: rescriptorum 1) notio et forma, 2) divisio, 3) valor.

**70. Qu. 1. Quid sit rescriptum, et quaenam eiusdem forma.**

**Resp. 1.** Rescriptum in iure canonico, sensu latiore (2) acceptum (prout hoc. tit.), **definitur:** Rom. Pontificis re-

(1) Cfr. Bauduin, loc. cit. nn. 220-250, ubi hanc quaestionem fuse explicat.

(2) Rescriptum ita acceptum comprehendit etiam privilegium, be-

sponsum in scriptis datum, ad alicuius consultationem, relationem, vel supplicationem. — Dicitur in definitione: « responsum *Rom. Pontificis* », quia rescriptum absolute nominatum intelligi debet pontificium seu papale, praelatorum inferiorum responsa nonnisi improprie dici possunt; dicitur: « datum *in scriptis* », ut distinguatur a vivae vocis oraculo, quod est Rom. Pontificis responsum oretenus datum, sive fiat motu proprio sive ad alicuius instantiam; dicitur: « ad alicuius *consultationem* » etc., ut distinguatur a Rom. Pontificis dispositione, quae dicitur motus proprius [1], data scil. et publicata sine aliorum relatione, necnon a decreto vel constitutione seu lege, quae non ex causa privata, sed in bonum commune fertur.

**Resp. 2.** Rescripti forma duplex distinguitur: **intrinseca,** qua rescriptum constat tribus partibus, scil. narratione, quae continet speciem facti (uti dicunt) seu obiectum, circa quod rescriptum versatur, supplicatione, qua reassumitur consultatio proposita vel gratia petita, et conclusione, quae exprimit Pontificis decisionem vel concessionem; — **extrinseca,** qua intelligitur solitus rescriptum conscribendi modus, solemnitas scil. ac locutiones, quae ex stylo Curiae in rescriptis adhiberi consueverunt.

---

neficium, et mandatum. — Rescriptum autem strictius acceptum est quod datur ad iuris observantiam, definiendo iuris puncta dubia vel nondum decisa vel delegando iudicem ad causam particularem decidendam, et sic differt a privilegio, quod Pontifex concedit contra communes iuris regulas, a beneficio, quod est gratia a Pontifice concessa praeter ius, a mandato, quo Papa mandat alicui conferendum beneficium ecclesiasticum. Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 15-21.

[1] Aliter Reiffenstuel, loc. cit., n. 7, iuxta quem motus proprius dicitur ex inserta clausula *motu proprio,* licet forsan impetrans pro tali rescripto supplicaverit.

**71. Qu. 2. Quaenam sint variae rescriptorum species.**

**Resp.** Rescripta dividuntur

1) ratione legis: in rescripta **secundum ius,** quae dantur ad iuris observantiam, rescribendo de iure consulentibus, vel delegando iudices, — **praeter ius,** quibus aliquid conceditur extra ordinem iuris, v. g. litterae beneficiales (mandata apostolica de providendo, gratiae exspectativae), concessiones gratiarum quae iuri non adversantur, — **contra ius,** quibus aliquid conceditur contra communes iuris regulas, ut fit in dispensationibus et privilegiis;

2) ratione materiae: in rescripta **iustitiae** seu ad lites, quae expediuntur ad iustitiae administrationem, ferendo scil. sententiam iudicialem, in causa aliqua particulari constituendo iudicem delegatum vel concedendo formam specialem servandam in procedura, interpretando iuris puncta dubia vel nondum decisa definiendo, — **gratiae** seu ad beneficia, quibus extra omnem litem iudicialem conceditur favor praeter vel contra ius, v. g. concessio indulgentiae, collatio beneficii, concessio alicuius facultatis, dispensationis, — **mixta** quae favorem simul et iustitiae administrationem continent, ut si confertur vel conferri mandatur beneficium ecclesiasticum simulque ad hunc effectum constituitur executor cum potestate compellendi contradictores.

Multiplex est discrimen inter rescripta gratiae et iustitiae, sicuti ex dicendis patebit; hic solum notandum, in dubio praesumi rescripta iustitiae, non gratiae, proindeque probatio incumbit illi, qui asserit rescriptum esse gratiosum, continens scil. favorem, et non iustitiae administra tionem (1).

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 22-32.

**72. Qu. 3. Quinam sit rescriptorum valor iuridicus.**

**Resp.** Rescripta habent valorem iuridicum, siquidem manifestant voluntatem legislatoris aliquid statuentis, definientis vel concedentis; at ordinarie et per se constituunt **ius particulare,** seu faciunt ius inter partes tantum, i. e. in casu pro quo et inter personas pro quibus fuit concessum; dantur enim in favorem privatorum et non feruntur pro communitate: nisi tamen rescriptum contineat meram iuris communis existentis interpretationem: quo casu suapte natura constituit ius commune, utpote exhibens authenticam interpretationem.

Dictum est: « ordinarie et per se »; nam per accidens et in consequentiam rescripta constituunt ius commune, si per insertionem in Corpus iuris aut alia signa manifesta probentur universalis obligationis: « sunt haec signa — ita Glossa Io. Andreae (1) — cognoscendae generalis constitutionis, *a*) cum edicti vocabulo nuncupatur, *b*) si mittatur venerabili coetui, *c*) si praecipiatur per omnes populos divulgari scriptura publice procedente, *d*) si dicatur idem in similibus observandum, *e*) si iubeatur expresse ad omnes pertinere ».

## § 2. De rescriptorum impetratione.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) habilitas ad rescriptum obtinendum; 2) effectus inhabilitatis quoad rescripti valorem; 3) rescripti impetratio pro alio.

**73. Qu. 1. Quinam sint habiles vel inhabiles ad rescriptum impetrandum.**

**Resp.** Rescriptum impetrare potest **omnis fidelis,** qui

(1) Apud Aichner, § 10, (p. 24 Ed. 8), in nota 6).

**non** reperitur a **iure expresse prohibitus**; siquidem in materia communiter non prohibita, qualis est haec, valet vulgatum axioma: « Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur ». — Porro **prohibentur** sub poena nullitatis rescripti, praeter haereticos et schismaticos, qui sane propter contumaciam indigni sunt gratiis et auxiliis Ecclesiae, excommunicati, sive vitandi sive tolerati, sive publici sive occulti, nisi in causa excommunicationis vel appellationis ad suam defensionem (1); secluso enim duplici casu excepto iuris prohibitio loquitur generaliter, nec distinctio inter excommunicatos vitandos et toleratos ullatenus intendit posteriores excommunicatos in aliquo relevare, nec iis quomodolibet suffragari. — Ceterum excommunicatus adeo est inhabilis ad impetrandum rescriptum, ut illud ne per procuratorem quidem possit impetrare (2), neque ipse pro alio licet non excommunicato (3).

Excommunicatorum exclusio ab impetrando rescripto respicit tantum rescripta proprie dicta seu papalia, non vero episcopalia vel aliorum praelatorum; ratio est, quia praedicta exclusio, utpote odiosa, potius restringi debet quam extendi; — neque applicanda videtur dispensationibus aliisve gratiis, quae ab episcopis conceduntur vi generalium facultatum a S. Sede acceptarum (4); — imo

(1) Cfr. c. 1 hoc tit., in 6°, I. 3.

(2) Arg. c. ult. X, *de procurat.*, I. 38.

(3) Arg. c. 8, *de sent. excommun.*, in 6°, V. 11; cfr. Reiffenstuel, loc. cit., art. 33-44, coll. 50 et 51.

(4) Aliter res se habet, si agitur de facienda ab episcopis simplici executione rescripti papalis. Cfr. *Monitore Ecclesiastico*, tom. XI, p. 263, in nota; Gennari, *Consultazioni*, tom. II, Cons. XCVI, p. 483, in nota (2). — De dispensationibus ab episcopis vi facultatum concessis contrarium docere videntur Konings-Putzer, n. 47, et Wernz loc. cit., n. 151, II. — Numquam tamen potest episcopus pro acatholicis uti facultatibus sibi a S. Sede datis. Cfr. Feije, *De imped. et dispens. matrim.*, n. 267.

rescripta concessa in negotio individuo duabus personis (uti sunt dispensationes matrimoniales), quarum una tantum est gratiae recipiendae incapax, utrique prodesse videntur (1).

Praeterea ex S. Poenitentiariae responso 9 Sept. 1898 habetur gratias minores (quales intelliguntur facultas legendi libros prohibitos, dispensatio in ieiunio, facultas benedicendi obiecta pia cum applicatione indulgentiarum, facultas benedicendi paramenta et vasa sacra etc.) ab excommunicatis obtentas valere « *pro foro conscientiae tantum* »; hinc pro foro externo, et quoad gratias maiores etiam pro foro conscientiae in vigore manet excommunicatorum exclusio a rescriptis impetrandis (2).

***Nota.*** Innocentii VII decreto *Ut occurratur* 4 Iun. 1692 cavetur sub poena nullitatis, ne quis preces, in materia gratiae vel iustitiae alicui ex Congregationibus Urbis oblatas et ab ipsa reiectas, denuo alii S. Congregationi proponat.

**74. Qu. 2. Utrum rescriptum ab excommunicato impetratum sit ipso iure nullum, an dumtaxat ope exceptionis.**

**Resp.** Rescriptum ab excommunicato impetratum (extra casus exceptos) non tantum ope exceptionis, sed **ipso iure** est nullum (3), idque tum pro foro externo, quum pro foro conscientiae, et ante omnem sententiam iudicis sive condemnatoriam sive declaratoriam, siquidem leges, quae simpliciter inhabilitatem ad aliquem actum inducunt, non requirunt sententiam iudicis, sed statim effectum suum habent et obligant (4). — Qua de causa, ne propter excommunicationem rescriptum effectu careat, ex stylo Curiae

(1) Cfr. De Angelis, in hunc tit. n. 3.
(2) Cfr. *Monitore ecclesiastico*, tom. XV, p. 167.
(3) C. 1 hoc tit. in 6°, I. 3.
(4) Cfr. n. 40, Resp. 2, 3) a).

Romanae ad cautelam oratores ab excommunicatione prius absolvuntur, in ordine tantum ad effectum rescripti consequendum: unde si quis excommunicatus etiam sciens rescriptum obtinuit, in quo inserta habetur huiusmodi absolutio, non solum pro foro conscientiae illo valide et licite utitur, sed nec in foro externo valor rescripti ex causa excommunicationis impugnari potest; secus dicendum, quando absolutio rescripto iam obtento supervenit; quum enim rescriptum ab excommunicato ab initio invalidum fuerit, secuta absolutione reviviscere omnino non potest. — Inserta autem huiusmodi absolutio non prodest haereticis, neque iis qui numerantur in Reg. 66 Cancellariae Apostolicae (1).

**75. Qu. 3. Num quis possit impetrare rescriptum pro alio etiam absque eiusdem speciali mandato.**

**Resp.** Certum est apud omnes, **rescripta gratiae posse** impetrari pro alia persona capace sine eiusdem mandato speciali; at spectato iure decretalium non posse rescripta iustitiae expresse habetur ex c. 33 X hoc tit. Verum ex stylo Curiae Romanae et consuetudine passim recepta **etiam rescripta iustitiae possunt** impetrari extraneis personis nomine alieno et sine speciali mandato; nec solet amplius admitti exceptio defectus mandati (2).

### § 3. De rescriptorum vitiis.

***Summarium:*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) vitium subreptionis vel obreptionis ex parte supplicantis; 2) vitia solemnitatis vel erroris in ipso rescripto.

(1) Cfr. De Angelis, in hunc tit. n. 3, et praesertim *Monitore ecclesiastico*, tom. XI, p. 266 sqq.; Gennari, *Consultazioni*, tom. II, p. 887 sqq.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 56-59.

**76. Qu. 1. Num et quatenus obreptio vel subreptio vitiet rescriptum.**

**Resp. 1.** Obreptio vel subreptio **intelligitur** expressio falsitatis vel reticentia veritatis in re ad obiectum rescripti pertinente; et licet obreptio et subreptio differant in se, tamen quantum ad propositum non differunt, ita ut quidquid dicatur de uno, etiam dictum intelligatur de altero. Potest autem fieri obreptio vel subreptio aut ex dolo, quando scil. scienter allegatur falsum vel reticetur verum, aut bona fide seu ex ignorantia vel simplicitate.

Quoad **effectum** obreptionis vel subreptionis attendendum est c. *Super litteris* 20 X hoc tit., quod ex summario appellatur *clavis totius tituli*, ex quo haec **duplex** statuitur **regula:**

**a**) Obreptio vel subreptio **dolosa** reddit absolute invalidum rescriptum, et quidem « in suae perversitatis poenam », ut addit Pontifex.

**b**) Obreptio vel subreptio commissa **bona fide** reddit invalidum rescriptum, si cognita veritate Pontifex negaturus fuisset rescriptum; contra si cognita etiam veritate Pontifex dedisset rescriptum, valet in forma communi, ita scil. ut secundum consuetas solemnitates processus ordinarii, non secundum formam specialem in rescripto forsitan expressam, procedere debeat iudex. — Quandonam autem in his circumstantiis Pontifex rescriptum dedisset vel non, id a ratione, a praxi, et praesertim a stylo Curiae est petendum: ac generaliter si vitium est in re de iure communi vel stylo Curiae necessario exprimenda, aut in causa motiva et principali, rescriptum est invalidum; si vero vitium est in causa impulsiva et secundaria, rescriptum sustinetur: in dubio rescriptum semper praesumitur validum. — Notandum autem, praefatum caput, licet expresse sit de solis rescriptis iustitiae, etiam rescriptis gratiae applicari a DD., et quidem regula

prior ex sententia unanimi, regula posterior ex sententia longe communiore (1).

**Resp. 2.** Rescriptum **gratiae** obreptitium vel subreptitium est **ipso iure nullum,** ac proinde quidquid praetextu illius factum fuit, nullius prorsus est momenti (2). — Rescriptum **iustitiae** obreptitium vel subreptitium non vitiatur ipso iure, sed **dumtaxat ope exceptionis,** ac proinde processus virtute illius factus est validus, nisi adversarius, contra quem impetratum fuit, de obreptione vel subreptione excipiat (3). — Ratio disparitatis est imprimis ex eo, quod in rescriptis gratiae negotium illico terminatur, et acquiritur ius impetranti; in rescriptis vero iustitiae fit tantum praeparatio ad causam ipsumque negotium expediendum, nec ullum ius tribuitur impetranti; deinde in rescriptis gratiae non est pars quae possit de obreptione vel subreptione excipere, unde necesse fuit ut lex ipsa provideret huiusmodi rescriptum irritando et cassando; in rescriptis vero iustitiae adest pars cuius interest, quae potest opponere obreptionis vel subreptionis exceptionem, quod si non fecerit, censetur in tale rescriptum ultro consensisse (4).

**Resp. 3.** Quando rescriptum **plures** habet **partes** omnino distinctas vel saltem separabiles, ex quibus **una** est **nulla** ob obreptionem vel subreptionem, tunc

**a**) si obreptio vel subreptio est ex bona fide, ex communi DD. non vitiatur totum rescriptum, sed illa dumtaxat pars, in qua est obreptio vel subreptio; ratio habetur ex regula superius hac quaest. Resp. 1 sub **b**) proposita; ast

**b**) si obreptio vel subreptio est dolosa, ex proba-

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 152-169, et 182-210.
(2) Cfr. c. 19 et 31, X hoc tit.; c. 1, *de praebend.* in Clement. III. 2.
(3) Cfr. c. 9 et 23, X hoc. tit.
(4) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 170-173.

biliore plurium contra alios sententia, vitiatur totum rescriptum; ratio habetur ex cit. c. *Super litteris*, in quo de illis, qui per fraudem vel malitiam supprimunt veritatem vel exprimunt falsitatem, expresse habetur statutum, ut « in suae perversitatis poenam nullum ex illis litteris commodum consequantur »: dictio autem *nullum* includit negationem universalem (1).

**77. Qu. 2. Qua ratione vitia solemnitatis vel erroris rescriptum invalidum reddant.**

**Resp.** De hisce vitiis, quae varia esse possunt, haec quae sequuntur notanda:

1) **Defectus solemnitatum,** quae respiciunt formam externam (quae v. g. alia est in bullis, alia in brevibus) aut conscribendi modum, rescriptum reddunt suspectum et dubiae saltem auctoritatis; quum enim huiusmodi solemnitates in rescriptis expediendis a Curia semper observantur, ex earumdem defectu falsificatio commissa merito praesumitur.

2) **Manifestus error latinitatis** vitiat rescriptum (2), dummodo non sit omnino levis (3); huiusmodi enim error rationabilem omnino parit falsificationis praesumptionem: quae tamen praesumptio quum ex probabili saltem sententia sit iuris tantum, vincitur morali certitudine de genuinitate rescripti aliunde habita (4).

3) **Error in nomine vel cognomine impetrantis,** si constat de persona de iure rescriptum vitiare non videtur (5), vitiat autem, iuxta plerosque contra alios, ex stylo

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 174-181, ubi etiam rationes sententiae contrariae refutat.

(2) Cfr. c. 11, X hoc tit.

(3) Cfr. c. 11, X, *de fide instrument.*, II, 22.

(4) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 212-217.

(5) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 220.

Curiae, nisi sit error litterae vel syllabae, vel nominis transpositio, vel unius tantum nominis expressio [1].

4) **Error in nomine dioecesis** invalidum reddit rescriptum, quo tribuitur alicui iurisdictio, sive ad exequendam gratiam, sive ad cognoscendum de aliquo negotio; secus vero, quando ad praeviam supplicationem per rescriptum aliqua gratia directe et immediate conceditur [2].

5) **Rasura vel correctio** in loco substantiali et suspecto, in verbis scil. dispositivis vel in ea parte rescripti unde potissimum ipsius vis in casu dependet, gignit praesumptionem falsitatis, adeoque rescriptum cum tali rasura vel correctione tamquam falsum et invalidum reiici potest [3]; secus si rasura et correctio reperiatur in loco non substantiali, adeoque nec suspecto [4]. — Notandum ex Pyrrho Corrado [5] litteras apostolicas ex praxi Curiae per officiales ad hoc deputatos posse abradi atque immutari; et hinc rescripta ex facta rasura vel correctione, etiam in dispositivis et substantialibus, non facile reiiciuntur, nisi ex circumstantiis habeatur rationabile motivum praesumendi commissam falsificationem [6].

### § 4. De rescriptorum interpretatione et executione.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: rescriptorum 1) interpretatio, 2) executio vel usus, 3) clausulae.

**78. Qu. 1. Qualis interpretatio in rescriptis sit facienda.**

**Resp.** In interpretandis rescriptis

---

[1] Cfr. S. C. de Propag. Fide, Instructio 9 maii 1877, super dispensationibus matrimonialibus.

[2] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 222-223.

[3] Cfr. c. 7 X, *de relig. dom.*, III. 36.

[4] Cfr. c. 3 X, *de fide instrument.*, II. 22.

[5] *Praxis dispensationum apostolicarum*, lib. VII, n. 77.

[6] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 224-231.

1) **generatim** tam in rescriptis iustitiae et beneficialibus quam in mere gratiosis, iuxta interpretationis regulam primariam (1), verba clara intelligenda atque interpretanda sunt iuxta propriam et usu communi receptam significationem, praesertim vero in sensu, quo adhibentur in Curia Romana (2);

2) **speciatim** rescripta

a) **iustitiae** imprimis intelligenda et interpretanda sunt secundum ius commune, ita scil. ut quam minimum ab eo recedatur, nisi de contraria Pontificis voluntate constet (3); ratio habetur ex eo quod conceduntur ad iuris observantiam: ceterum sunt strictae interpretationis, ac proinde ad casum vel personam in rescripto non expressam minime extendenda; quum enim per huiusmodi rescripta detrahatur iurisdictioni iudicum ordinariorum, et simul praebeatur ansa et materia litigandi, merito odiosa censentur.

b) In rescriptis **gratiae,** quatenus sunt mere gratiosa, i. e. concedunt gratiam ex liberalitate concedentis factam sine praeiudicio tertii praeter ius commune, sunt latae, imo latissimae interpretationis, nisi sint beneficialia seu ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quae stricte sunt interpretanda: ratio habetur ex iuris textu expresso (4), qui ita habet: « Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio facienda, litterae tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambitiosae, restringi »; item stricte interpretanda sunt rescripta, quae continent gratias contra ius commune (velut ordinariae dispensationes), quia recessus a iure communi est odiosus,

---

(1) Cfr. n. 22. III.
(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 119.
(3) Cfr. c. 18 X, hoc tit.
(4) Cap. 3, *de praeb.*, in 6°.

vel quae praeiudicant iuri alicuius tertiae personae, siquidem iuri tertii quaesito quam minimum derogare voluisse censeri debet Pontifex (1).

Quodsi **plura rescripta** obtenta fuerunt **circa eamdem materiam,** quae simul effectum habere nequeunt, tunc generatim — ita Wernz (2) — rescriptum speciale praevalet generali (3), et si utrumque est aut generale aut speciale, tunc valet rescriptum posterius obtentum, si prioris faciat mentionem; secus valet primum, et alterum censetur subreptitium (4).

**79. Qu. 2. Quo modo rescripta sint executioni mandanda.**

**Resp.** Ad rescriptorum executionem vel usum quod attinet

1) varia distinguenda est **concessionis forma:**

**a**) Rescriptum in forma gratiosa, quo nempe immediate, i. e. absque executore intermedio, gratia conceditur (5), vim consequitur, et ius quaesitum parit oratori a die datae seu expeditae (6) gratiae, ita ut so-

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 120-129.

(2) Loc. cit. n. 155 I, in fine; cfr. Reiffenstuel. loc. cit. § IV.

(3) Cfr. c. 1 et 14, X, hoc tit.

(4) Cfr. c. 3, X, hoc tit.

(5) Si dicitur: *S. C. petitam gratiam oratori benigne impertita est*, vel quid simile.

(6) In rescriptis non sufficit concessio inchoata, qua nempe Pontifex consentit ut rescriptum fiat; haec enim concessio completa non est, nisi in plenam scripturam sit redacta; hinc [excepto casu oraculi vivae vocis] uti concessione non potest impetrans, antequam in plena forma litterae fuerint datae; pro rescriptis tamen gratiae factae opus non est ut habeat ipsas litteras, sed sufficit scire eas esse confectas, nisi clausula sit adiecta prohibens usum non habito Ordinarii consensu. Ita Feye in foliis litographicis *de rescriptis;* cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 74.

lummodo acceptatio gratiae per concessionarium accedere debeat; exinde consequitur, quod in rescripto gratiae factae causa motiva ipso tempore datae sive expeditae existat necesse est.

b) Rescriptum in forma commissoria, quo scil. gratia non immediate conceditur, sed alteri datur facultas vel mandatum eamdem concedendi, vim consequitur, et gratia obtinetur a momento executionis factae, hinc dicitur attendendus dies praesentatae. — Exinde plures (contra alios) deducunt, non sufficere, ut causa motiva verificetur solo tempore concessionis vel expeditionis in Curia Romana factae, nec requiri, ut verificetur simul utroque tempore expeditionis et executionis, sed sufficere et requiri ut verificetur tempore executionis (1).

Porro executor est aut voluntarius, quando S. Sedes gratiae concessionem remittit omnino voluntati liberae executoris (2), et rescriptum dicitur datum in forma absolute commissoria, — aut mixtus, quando S. Sedes annuit pro gratia, eam tamen absolute non concedit, sed praemissa causae cognitione, i. e. obreptionis vel subreptionis inquisitione, eamdem concedendam committit executori (3), et rescriptum dicitur datum in forma mixta, — aut merus, quando ipsi non committitur causae cognitio, sed nudum exequendi munus (4) a quo nude absti-

(1) Cfr. D'Annibale, *Summula Theol. moralis*, tom. I, n. 239; Reiffenstuel, loc. cit., nn. 69-79, et dicenda ubi *de dispensationibus matrimonialibus*.

(2) Si dicitur v. g.: « S. C. oratoris preces remisit arbitrio et conscientiae episcopi cum facultatibus necessariis et opportunis ».

(3) Si dicitur e. g.: « S. C. benigne annuit, et propterea mandavit committi episcopo, ut veris existentibus narratis, oratori petitam gratiam pro suo arbitrio et conscientia concedat ».

(4) Si dicitur: « S. C. re diligenter perpensa benigne annuit, ac propterea mandavit committi episcopo, ut petitam gratiam oratori concedet ».

nere debet, si evidentem obreptionem vel subreptionem advertit [1].

2) **Executores legitimi** rescriptorum,

a) quae ad sui executionem **requirunt iurisdictionem in foro externo,** ex iure decretalium [2] sunt personae in dignitate ecclesiastica constitutae, quales sunt episcopi eorumque officiales seu vicarii generales, praelati regulares etiam locales, item dignitates, personatus et canonici ecclesiae cathedralis; non vero canonici ecclesiae collegiatae, decani rurales seu foranei, vel parochi. — Quam iuris dispositionem Conc. Trident. [3] aliquatenus modificans statuit, « in singulis conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant [iuxta praedicta], et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur ».

b) Executio rescriptorum, quae ad sui executionem **non requirunt iurisdictionem in foro externo,** ex stylo Curiae regulariter committitur doctoribus S. Theologiae vel SS. Canonum, aut confessariis regularibus privilegiatis, aut etiam aliis personis ecclesiasticis idoneis.

Quae sane iuris dispositiones nihil obstant, quominus Rom. Pontifex etiam aliis personis rescripta exequenda committat; ast tunc in casu sub a) requiritur expressa derogatio dispositioni iuris decretalium et Conc. Tridentini [4].

Tandem notandum, exccutorem suo munere neque licite neque valide fungi posse « antequam exemplar lit-

---

[1] Cfr. Feye, *de rescriptis,* n. 8, ex Bizzarri, *Collectanea,* p. 666.

[2] Cfr. c. 11, hoc tit. in 6° I. 3.

[3] Sess. XXV, cap. 10, *de reform.*

[4] Cfr. Maschat, in hunc tit. n. 13; Santi, ibid, nn. 28 et 29; Wernz, loc. cit., n. 155, II, in fine.

terarum apostolicarum originale exhibitum ei fuerit » (1); nec sufficit etiam certa notitia per telegraphum habita, « nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis » (2).

3) Determinatus in rescripto **exequendi modus,** quatenus ponitur tamquam forma substantialis seu vera conditio, spectat ad validitatem executionis, ita ut eo non observato actus inde sequens ipso iure sit irritus (3); ratio est quia executor in casu non absolutam accepit agendi potestatem, sed limitatam dumtaxat, videlicet iuxta formam in rescripto determinatam et sub tacita conditione si eamdem observaverit. — Si autem determinatus modus ponitur tantum per modum admonitionis seu instructionis, eo non observato actus exsequendi non invalidatur, ut patet (4).

Utra autem ratione appositus censendus sit determinatus in rescripto exequendi modus, maxime dignosci debet ex praxi et stylo Curiae. Certo habetur forma substantialis, si modus praescribitur sub clausula: « non aliter », vel « sic neque alio modo », vel « si secus fiat irritum sit et inane », vel huiusmodi. — Etiam de substantia esse semper praesumitur praefixus ordo inter plures actus ponendos servandus; — item modus qui in rescriptis vel mandatis apostolicis aliter vel in alium finem praescribitur, ac ius commune requirit, dummodo ex subiecta materia, modo loquendi aliisve circumstantiis, vel ex Curiae praxi oppositum sufficienter non deprehendatur (5).

---

(1) S. C. C. 12 Ian. 1606, et S. Poenitentiaria 15 Ian. 1894.

(2) S. Officium, 14 Aug. 1892. Cfr. Santi, (Ed. 3), tom IV, Append. I, n. 49.

(3) Cfr. c. 22, X, hoc tit.

(4) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 144-146.

(5) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 147-151.

**80. Qu. 3. Quaenam sint praecipuae rescriptorum clausulae communes, et quinam sit earumdem valor.**

**Resp.** Clausulae communes intelliguntur, qui in quibuscumque rescriptis apponuntur, vel subintelliguntur, aut saltem apponi possunt. Sunt autem praecipuae hae quae sequuntur:

1) *Si preces veritate nitantur,* vel *si ita est:* haec clausula, etiam non addita, semper subintelligitur [1], eaque non verificata rescriptum est ipso iure nullum, vel saltem fit irritum ope exceptionis iuxta dicta n. 76, Resp. 1 et 2. — Item semper subintelligitur clausula *salvo iure alterius;* nam Pontifex non intendit ullius iuri derogare, sed vult ius suum cuilibet manere, nisi aliud exprimat [2].

2) *Non obstantibus* etc.; haec clausula eam habet vim, ut generatim quae effectum rescripti possint impedire removeat, ac praeterea clausula derogatoria nuncupatur. — Usurpatur duplici locutione, scil.

a) generali quae est: « non obstantibus (constitutionibus et ordinationibus apostolicis aliisque) contrariis quibuscumque »; huiusmodi locutio derogat constitutionibus Rom. Pontificum, necnon decretis Conc. Trident.; non vero derogat, saltem ex recepto sensu et stylo Curiae, decretis aliorum conciliorum, nisi exprimatur, nec specialibus privilegiis, pactis, statutis, consuetudinibus, neque regulis Cancellariae, quibus ex regula 71 numquam derogatum censetur, nisi ipsarum mentio disertis verbis habeatur;

b) speciali, quae est: « non obstantibus privilegiis, pactis, statutis (huius vel illius) ecclesiae », vel « non obstante loci consuetudine aut praescriptione contraria »; haec

---

[1] Cfr. c. 2, X, loc. cit.

[2] Cfr. c. 19, X, *de privileg.*, V. 33; Reiffenstuel, loc. cit., nn. 141-143.

locutio derogat expressis tantum, proindeque eiusdem vis ex verbis diiudicanda; quodsi privilegium etc. tale sit, ut postulet peculiarem mentionem propter concessionem specialem, tunc ad ei derogandum requiritur clausula specialissima, qualis est: non obstantibus privilegiis etc., « quorum tenores pro expressis habentes » etc.

3) *Motu proprio, — ex certa scientia, — de plenitudine potestatis:* hae clausulae, quae etiam coniunctim adhibentur, imprimis tollunt vitium obreptionis vel subreptionis, non tamen contra ius tertii quaesitum, nec circa causam falsam in rescripto expressam (sive allegata fuerit a supplicante, sive a Pontifice sponte addita), neque etiam circa inhabilitates seu defectus personales [1]; — deinde habent vim clausulae derogatoriae generalis, etiam quoad decreta conciliorum oecumenicorum.

Aliquando huic clausulae additur haec alia: *supplentes omnes et singulos tam iuris quam facti defectus*, qua clausula non tolluntur defectus personales, sed tantum concernentes iuris solemnia [2].

### § 4. De rescriptorum duratione et cessatione.

***Summarium:*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) tempus utile rescriptum praesentandi; 2) rescriptorum extinctio.

**81. Qu. 1. Intra quodnam tempus rescripta sint praesentanda.**

**Resp.** In hac quaestione agitur, ut patet, de solis rescriptis, quae requirunt executionem, quibus nempe conceditur iudex delegatus, vel gratia in forma commissoria.

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 203-210.

[2] De hisce et aliis clausulis cfr. Lucius Ferraris. *Bibliotheca* etc. verb. *Clausulae.*

1) Si praesentationis vel executionis **tempus praefinitum,** sive determinate sive indeterminate, habeatur, sub poena nullitatis illud tempus **observandum** est; hinc v. g. cui mandatur per rescriptum apostolicum provideri de praebenda proxime vacatura, eveniente tali vacatione tenetur praesentare rescriptum, alioquin perdet gratiam. — Si nullum fuerit praefixum tempus,

2) rescripta **iustitiae** sunt praesentanda **intra annum hoc sensu,** ut, si impetrator, habita copia iudicis delegati, eiusmodi rescripto intra annum dolo vel negligentia usus non fuerit, valeat posterius rescriptum impetratum ab adversario, licet de priore non faciat mentionem; ita ex iuris textu expresso (1); ad quod notandum post anni lapsum negligentiam vel dolum in casu praesumi, nisi ab impetratore probetur impedimentum. — At non impetrato rescripto posteriore prius est ex sese perpetuum, ita ut duret tantum tempus quantum durat actio, pro qua impetratum fuit. Ita communis sententia ex ea ratione, quia cit. iuris textus statuentes terminum unius anni loquuntur de solo casu impetrati rescripti posterioris (2);

3) rescripta **gratiae** ex sese praesentari possunt **quocumque tempore;** nullum enim in iure determinatur tempus, intra quod praesentari debent; hinc huiusmodi rescripta regulariter sunt perpetua, nisi dolus vel notabilis negligentia cuipiam imputari valeat, quod deducitur ex c. 12 hoc tit. in 6°, ubi ille qui prius litteras beneficiales impetravit, in assecutione praebendae praefertur alteri, qui postea alias litteras beneficiales quoad eamdem ecclesiam obtinuit, licet has prius praesentaverit, cum hac tamen limitatione: « ... dum tamen dolus tibi non possit vel notabilis negligentia imputari ».

---

(1) Cfr. c. 9 et 23, X, hoc tit., et iuxta horum capitum sensum limitanda et intelligenda est dispositio contraria, cap. 3 X, hoc tit.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 60-63.

**82. Qu. 2. Quibus modis rescripta extinguantur.**

**Resp.** Rescripta extinguuntur seu cessant:

1) **Lapsu temporis,** pro quo rescriptum est concessum, vel etiam **impleta conditione resolutoria** (1).

2) **Morte concedentis,** vel alio facto quo iurisdictio in concedente tollitur, si est rescriptum iustitiae (2) vel gratiae faciendae (3), modo res sit adhuc integra: res autem amplius non est integra, quando iudex iam citavit partes (4), aut executor aliquem pro executione actum posuit, vocando v. g. partes ad cognoscendam precum veritatem; nec refert quod delegatus vel executor ignorat mortem, quia ignorantia non tribuit potestatem non habenti, nisi forte accedat error communis, ex quo incoeptus et gestus actus valet. — Non extinguitur in casu rescriptum gratiae iam factae: gratia autem facta dicitur non solum quando rescriptum est in forma gratiosa, sed etiam quando in forma commissoria executor est merus vel mixtus; tunc solum gratia facienda dicitur quando executor est voluntarius.

Morte concedentis etiam extinguitur rescriptum concessum *ad beneplacitum nostrum*, siquidem per obitum concedentis extinguitur ipsius beneplacitum, secus si est *ad beneplacitum S. Sedis*, quia Sedes non moritur (5); similiter non extinguitur rescriptum concessum *ad revocationem*; nam ad revocationem requiritur actus positivus, qui non habetur per solam mortem.

---

(1) Cfr. c. 5, hoc tit. in 6°; c. 4 X, *de offic. et potest. iud. deleg.*, I. 29.

(2) Cfr. c. 30 X, *de offic. et potest. iud. deleg.*, I. 29.

(3) Cfr. c. 36. *de praeb.*, in 6°, III. 4.

(4) Cfr. c. 20 X, *de offic. et potest. iud. deleg.*, I. 29, quo derogatum censetur eiusdem tit. c. 19. Sufficit autem citationem ante obitum concedentis emanatam esse, licet ad partes nondum pervenerit.

(5) Cfr. c. 5, hoc tit. in 6°.

*Nota:* Ex regula 12 Cancellariae convalidantur omnia rescripta tum iustitiae quum gratiae a Rom. Pontifice concessa infra annum ante diem eius obitus, ac temporibus debitis eorumdem iudicibus vel executoribus non praesentata.

3) **Morte impetrantis,** si est rescriptum gratiae continens favorem personalem; rescripta institiae et privilegia realia transeunt ad haeredes.

4) **Morte executoris,** si ipse nominatim constitutus est propter industriam personalem; secus si executio commissa censetur ratione dignitatis, utpote quae non moritur.

5° **Renuntiatione impetrantis,** quatenus rescriptum tendit in ipsius solius favorem, et quidem etiam si emanasset rescriptum motu proprio; nam cuilibet licitum est iuri suo, et iis quae pro se introducta sunt renuntiare [1].

Renuntiari non potest *a*) rescripto dato pro bono publico, licet ad alicuius instantiam datum fuisset; bonum enim publicum non subditur privatorum voluntati [2]: unde si per rescriptum mandatur, ut fiat inquisitio, v. g. de ecclesiis vel personis, ad bonum commune, post receptas huiusmodi litteras iudex procedere potest, etiam invito impetrante, imo hic cogi potest ad exhibendum rescriptum. — *b*) Quando rescriptum continet favorem plurium, eidem ab uno vel altero ex iis renuntiari non potest, quatenus laeditur aliorum ius quaesitum; sic v. g. capitulum metropolitanum, obtento ad ipsius solius instantiam privilegio eligendi metropolitanum una cum suffraganeis, post usum vel saltem post praesentationem privilegii suffraganeis factam absque eorumdem consensu renuntiare non potest. — *c*) Renuntiari, adversario invito, non potest

---

[1] Cfr. tamen dicta de cessatione dispensationis n. 53, 2.

[2] Cfr. c. 12 X, *de foro compet.*, II. 2.

ab impetrante rescripto iustitiae saltem post incoeptum iudicium per citationem (1), quia incoepto iudicio litterae obtentae censentur utriusque partis communes.

6) **Revocatione concedentis** (eiusve successoris vel superioris), sive expressa seu disertis verbis facta, sive tacita per concessionem scil. alterius rescripti, quod priori contrarium eidem est praeferendum iuxta dicta n. 78 in fine (2).

## Titulus IV.

## De privilegiis.

(Decret. lib. V tit. 33 *de privil. et excess. privilegiatorum*).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decretal. in cit. tit.; Suarez *de legibus* lib. VIII; Wernz tom. I nn. 158-162; Bargilliat tom. I nn. 100-106; Van den Berghe *Tract. de legibus* nn. 173-180.

***Synopsis tituli.*** Explicatur hoc tit. theoria generalis de privilegiis, quae est altera species dispositionum ad ius particulare vel speciale pertinentium. Agitur distinctis paragraphis de privilegii natura, — de privilegiorum acquisitione, — interpretatione et usu, — cessatione.

### § 1. De privilegii natura.

***Summarium:*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) privilegii notio; 2) variae privilegiorum species.

**83. Qu. 1. Quid sit privilegium.**

**Resp.** Privilegium **definitur,** ut sit lex privata favorem contra vel praeter ius concedens.

---

(1) Ex sententia probabiliore plurium contra alios, qui facta sola rescripti praesentatione, renuntiationem fieri posse negant.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 232-271.

Dicitur lex, quatenus privilegiato est norma stabiliter operandi, aliis imponens obligationem non turbandi privilegiatum in sequenda norma ipsi concessa; — privata, quatenus huiusmodi norma ob bonum privatum conceditur particulari personae (personis), vel communitati ut sunt partes superioris communitatis; concedens favorem contra vel praeter ius, quia concessus favor secundum ius seu qui iure communi iam competit sensu proprio privilegium dici non potest.

Privilegium **differt** tum a dispensatione tum a beneficio, utpote quae modo transeunte conceduntur, nec normam operandi stabilem constituunt.

**84. Qu. 2. Quaenam sint variae privilegiorum species.**

**Resp.** Variae a variis auctoribus enumerantur privilegiorum species; praecipuae sunt:

1) Privilegium **contra ius** et **praeter ius,** prout derogat iuri existenti, concedendo facultatem ad aliquid agendum vel omittendum, quod lege respective prohibetur vel praecipitur, — aut absque iuris derogatione tribuit facultatem aliquam, quae de iure non competit. Prius est privilegium stricte dictum; posterius minus stricte dicitur privilegium, ac potius beneficium vocatur.

2) Privilegium **personale** et **reale,** prout proxime et immediate confertur personae et ratione ipsius personae, — aut alicui rei, v. g. loco, muneri, dignitati, statui etc., cuius ratione redundat in personam, ad quam res illa pertinet; realia etiam reputantur privilegia quae alicui corpori seu collegio, aut certo personarum generi conceduntur, et mixta vocantur.

Privilegia realia quum rei cohaereant, transeunt ad haeredes et successores in eadem re, personalia vero personam sequuntur, et extinguuntur cum persona, ut

loquitur R. I. 7 in 6°. — In dubio, quod ex tenore, materia et causa solvi nequit, reale censetur privilegium, quod continet merum beneficium, sine praeiudicio iuris communis vel tertiae personae, secus personale praesumitur.

3) Privilegium **gratiosum, remuneratorium** et **onerosum** seu conventionale, prout datur aut ex mera liberalitate, — aut in compensationem meritorum, — aut per modum contractus, etiam cum reciproca obligatione ex iustitia commutativa. Differunt inter se ratione maioris firmitatis.

4) Privilegium **favorabile** et **odiosum,** prout merum favorem continet sine incommodo alterius, — aut favor concessus tertiae personae praeiudicium affert.

5) Privilegium **in corpore iuris clausum** et vagans **extra corpus iuris,** prout concessum est aut lege communi, — aut per speciale rescriptum. Prius non debet iudex ignorare, et si quid contra illud praecipit, non tenetur privilegiatus obtemperare; posterius iudex ignorare potest, ideoque si quid contra illud praecipit, obtemperare tenetur privilegiatus saltem pro reverentia iudicis, et privilegium obtentum demonstrare (1).

### § 2. De privilegiorum acquisitione.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: privilegiorum 1) concessio, 2) communicatio; 3) consuetudinis ve praescriptionis efficacia in privilegiis acquirendis.

**85. Qu. 1. A quonam, et quibusnam privilegia concedi possint.**

**Resp. 1.** Privilegium concedere potest **omnis et solus legislator;** imprimis enim privilegium est lex pri-

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 7-24.

vata, et qua talis imponens ceteris obligationem non turbandi privilegiatum in usu concessi privilegii, quae obligationis impositio requirit potestatem quamdam legislativam; deinde per privilegium contra ius quis eximitur ab obligatione iuris, quod nemo facere potest qui legem condere non valet, proindeque conferendi privilegia potestas restringitur **intra fines competentiae** respectivi legislatoris, i. e. ad materiam et territorium respectivae potestati legislativae subiecta. Hinc

a) **Rom. Pontifex** concedere potest privilegia in universa materia spirituali suae potestati legislativae directe subiecta, tum c o n t r a tum p r a e t e r ius etiam c o m m u n e, in toto orbe christiano;

b) **episcopi** aliique **praelati inferiores** Rom. Pontifice privilegia concedere possunt in s u i s l e g i b u s suorumque praedecessorum, m i n i m e vero c o n t r a i u s c o m m u n e, ne in iis quidem casibus, quibus ex iuris communis vel expressa Rom. Pontificis concessione in iure communi tantum dispensare valent; imo n e c p r a e t e r i u s concedere possunt privilegium in tota Ecclesia servandum [1].

Ad **privilegii concedendi substantiam** generatim loquendo [2] non requiritur scriptura, sed valet etiam privilegium vivae vocis oraculo concessum; ad probationem vero privilegii eiusque firmitatem in foro externo concessionis factae authentica scriptura opus est [3]; imo nisi privilegium concedatur per verum vivae vocis oraculum, ad legitimum eiusdem usum, etiam in foro conscientiae,

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 25 et 26; Wernz, loc. cit., nn. 159. I. cum nota (25) et n. 260, I. citans Suarez, loc. cit., cap. 8 n. 5. Schmalzgrueber in hunc tit., n. 19 et 71 sq., Pirhing, in hunc tit. n. 9.

[2] Exceptiones refert Reiffenstuel, loc. cit., nn. 32-34.

[3] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 28-29.

omnino requiri videtur, ut sit redactum in plenam scripturam (1).

Privilegii concessi **promulgatio** proprie dicta seu solemnis non requiritur, nisi concedatur per modum legis communis in communem et publicam utilitatem latae, vel eiusdem observantia universalis efficaciter sit urgenda, sed sufficit certa intimatio per authentica instrumenta vel aliam aequivalentem probationem a privilegiato facta ei cuius interest. Ratio habetur ex ipsa privilegii natura, quatenus privata est lex.

**Resp. 2.** Privilegium **concedi** potest generatim loquendo **etiam non subditis,** dummodo materia privilegii sit sub privilegiantis iurisdictione, ut proinde subditos obligare possit, ne privilegiatum non subditum ab usu concessi favoris impediant (2); ratio habetur ex generali privilegii conceptu, quo est favoris alicuius concessio; haec enim est actus merae liberalitatis et se habet per modum donationis; sicut ergo etiam non subditus capax est donationis, ita et privilegii. Admittendum quidem videtur cum pluribus, privilegium contra ius concedi posse solis subditis: at hoc non est ex ipsa privilegii indole, sed ex speciali huius privilegii obiecto; quum enim privilegium contra ius contineat exemptionem a legis observantia, se habet per modum dispensationis, quae nonnisi subditis dari potest (3). Ad haec notat Wernz veris subditis merito adnumerari illos, qui in aliquo territorio quoad certas saltem leges ab ipsis observandas subditis aequiparantur.

**Acceptatio privilegii** ex parte privilegiati per se

---

(1) Cfr. notata n. 79 1) **a**) in nota (6); Reiffenstuel, loc. cit., n. 30, nec admittenda videtur contraria quorumdam DD. sententia, quam refert cit. Auctor ibidem, n. 31.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 27.

(3) Cfr. dicta n. 51 Resp. 2; Wernz, loc. cit., n. 159, II., citans Suarez. loc. cit., c. 9, et Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 73-76.

et ex ipsa privilegii natura non est necessaria ad hoc ut privilegium vim et valorem habeat; favor enim concessus in materia alicui subdita unice et totaliter dependet a concedentis voluntate; accedit quod in iure habentur favores ita concessi, ut in suo valore non dependeant ab acceptatione privilegiati (1). — Verum de facto nequaquam generaliter omnia et singula privilegia a Rom. Pontifice absolute conceduntur, sed potius regulariter non habent effectum ante notitiam et acceptationem ex parte privilegiati, saltem si agitur de privilegiis motu proprio et absque ulla praevia supplicatione concessis; in privilegiis autem concessis ad supplicationem ipsius privilegiati vel eius procuratoris privilegiati notitia et acceptatione opus non esse docet cum pluribus Reiffenstuel (2).

***Nota.*** Privilegii concessioni aequiparatur confirmatio in forma specifica (3). Qua in re notandae sunt quaedam **clausulae in litteris confirmatoriis apponi solitae;** sunt autem:

1) *Quatenus sunt* (vel *dummodo sint*) *in usu.* Hac clausula significatur, concessam confirmationem non extendi ad privilegia, quae per non usum, vel per usum contrarium iam cessarunt, et consequenter non amplius sunt in usu. — Verum per hanc clausulam a confirmatione non excluduntur, quae quidem in usu sunt, at aliunde sunt invalida (4).

2) *Dummodo sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non adversentur.* In hac clausula genitivus *concilii*

(1) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXV, cap. 3, *de regul.*, c. *Si quis suadente diabolo*, 29 C. XVII, qu. 4; Suarez, loc. cit., cap. 24, nn. 3 et 4.

(2) Loc. cit., nn. 46-48 sqq.; cfr. Suarez, loc. cit., cap. 24, n. 2; Ballerini-Palmieri, *Opus theol.*, tom I., p. 684.

(3) Cfr. exposita n. 57.

(4) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 108-112; Piatus Montensis, *Praelect. iuris regul.*, tom. II, qu. 161, (Ed. 3, p. 123 sq.).

*Tridentini* referendus est non tantum ad verbum *decretis*, sed etiam ad verbum *sacris canonibus*, ita ut clausula intelligenda sit de solis concilii Tridentini canonibus et decretis, non etiam de aliis generatim sacris canonibus. — Praeterea ex sententia probabiliore et communiore, dicta clausula comprehendit Tridentina decreta dumtaxat illa, quae expresse revocant contraria privilegia (1).

Similiter clausulam: *Dummodo constitutionibus apostolicis non sint contraria*, DD. intelligunt de illis constitutionibus, in quibus expresse revocantur privilegia eisdem contraria (2).

3) *Dummodo non sint revocata* vel *sub aliqua revocatione comprehensa.* Per hanc clausulam a confirmatione excluduntur privilegia, quae per legem, constitutionem, decretum sive generale sive speciale expresse vel tacite fuere revocata, *et* reapse non denuo concessa vel confirmata, siquidem haec clausula non afficit privilegia olim quidem revocata, et postea restituta. Hinc ad ultimam revocationem vel concessionem attendendum, et iuxta illam dicta clausula est intelligenda (3).

**86. Qu. 2. Quid sit et quomodo fiat communicatio privilegiorum.**

**Resp.** Privilegiorum communicatio

1) **intelligitur** concessio quaedam generalis vel specialis, qua privilegium uni concessum ad alium extenditur. Huiusmodi communicationem **de facto existere,** manifeste patet ex variis constitutionibus Rom. Pontificum, praesertim Iulii II, Leonis X et Pii V, quibus conceditur ordinibus

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 113-118.
(2) Cfr. Piatus, loc. cit., qu. 163.
(3) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 119.

mendicantibus inter se amplissima privilegiorum communicatio, quae postea extensa est ad omnes fere ordines regulares; imo et nonnullae simplices congregationes religiosae limitata quadam gaudent privilegiorum communicatione. — Speciatim Ordo noster Seraphicus plenissima, tam cum mendicantibus quam cum non mendicantibus, privilegiorum communicatione fruitur ex Clementis VII Const. *Dum fructus uberes* 30 Maii 1525, et praesertim ex Clementis VIII Const. *Ratio pastoralis officii* 20 Dec. 1597 (1).

2) **Duplex distinguitur** privilegiorum communicatio: absoluta seu aeque principalis, quando privilegium ita alteri communicatur, ut fiat ipsius proprium, ac si ipsi originaliter fuisset concessum; privilegium hoc modo communicatum dicitur *ad instar,* et huiusmodi communicatio generatim viget inter regulares; — relativa seu accessoria, quando privilegium ad alios extenditur dependenter ab iis, quibus originaliter fuit concessum: hac communicatione frui solent moniales secundi ordinis.

Qui duplex communicationis modus differt in eo, quod concessa communicatione relativa privilegium ita communicatum varias fert primarii privilegii variationes, ita scil. ut aucto, imminuto, sublato privilegio in primario privilegiato, per se pariter augeatur, minuatur, tollatur in eo ad quem est extensum; in communicatione vero absoluta privilegium communicatum est omnino independens a privilegio originaliter concesso, ita ut in secundariis privilegiatis non subeat variationes pro primario privilegiato postea inductas. Ita communiter DD. (2); quam tamen doctrinam S. C. Indulg. reprobavit in materia indulgentiarum: interrogata enim « Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit.. nn. 55-57 sqq.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., n. 54; Wernz, loc. cit,, n. 160, II. *b*).

pontificiam sublatis, ceteri, quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur? S. C. respondit: « *Negative, imo falsa* » Die 31 Ian. 1893.

**87. Qu. 3. Qua ratione privilegia acquirantur per consuetudinem vel praescriptionem.**

**Resp.** Privilegia **acquiri posse** per consuetudinem vel praescriptionem, communis affirmat sententia, ac iure meritoque: licet enim consuetudo et praescriptio recenseri non possint inter modos acquirendi privilegium strictissimo sensu sumptum, scil. pro gratia permanente a principe specialiter et expresse data, ex iure tamen constat, utroque modo obtineri posse iura contra vel praeter ius, quae manifeste vim privilegiorum habent (1); sane ex doctrina de iure consuetudinario consequitur per consuetudinem acquiri posse specialem facultatem aliquid agendi contra legem communem (2); deinde per praescriptionem acquiri potest iurisdictio (3), item ius exigendi tributa (4), item exemptio ab iisdem (5). — Sunt tamen nonnulla, quae quidem competere possunt ex privilegio, v. g. apostolico, non tamen acquiri per consuetudinem vel per praescriptionem (6).

Tandem notandum, privilegia consuetudine et praescriptione acquisita in odiosis, v. g. in revocationibus,

---

(1) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 160. II. *c*).

(2) Cfr. etiam cap. 13, X. *de iudiciis*, II. 1 ubi dicitur: « Nisi forte iuri communi per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum »; in quem textum Glossa scribit: « Nota quod consuetudo parificatur privilegio ».

(3) Cfr. c. 9, X. *de officio iud. ordin.*, I. 31; c. 13, X. *de foro compet.*, II. 2,

(4) Cfr. c. 26 X. *de verb. signific.*, V. 40.

(5) Cfr. c. 4 et 18 X. *de praescript.*, II. 26.

(6) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 39 et 40, et lib. I, tit. 4, n. 65 sqq.

non comprehendi nomine privilegiorum; licet enim veri nominis privilegia dici debeant, tamen nomen privilegii communiter sumitur pro privilegio specialiter a principe dato (1).

### § 3. De privilegiorum interpretatione et usu.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones privilegiorum 1) interpretatio, 2) extensio, 3) usus.

**88. Qu. 1. Qualis in privilegiis adhibenda sit interpretatio.**

**Resp.** In privilegiis **doctrinaliter interpretandis,** cum communibus interpretandi normis, hae speciales servandae sunt regulae:

1) **Late** interpretanda sunt privilegia, quae **merum** continent **favorem,** ita ut nec iuri communi derogent, nec in praeiudicium alicuius tertii cedant; ratio habetur ex R. I. 15 in 6°, iuxta quam « favores convenit ampliari ». — Verum in hac lata interpretatione semper servanda est proprietas verborum, nisi verba impropriare cogat specialis necessitas, petita vel ex natura rei (v. g. quia secus privilegium foret inutile), vel ex manifesta mente legislatoris: porro proprietas verborum desumenda est ex usitata significatione seu usu communi, praesertim vero ex significatione qua adhibentur in iure vel ex stylo Curiae (2).

2) **Stricte** interpretanda sunt privilegia, quatenus **odium** continent iuxta cit. R. I. 15 in 6°, ex qua « odia

---

(1) Cfr. Schmalzgrueber in hunc tit. n. 96

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 104-106; Schmalzgruber in hunc tit. nn. 117-121.

sunt restringenda ». — Hinc strictae interpretationis sunt privilegia, quae derogant iuri communi vel particulari, sive scripto sive consuetudinario, praesertim si iniqua temporum necessitate quasi sunt extorta; exceptis vero privilegiis, quae cedunt in bonum commune, praesertim in favorem religionis, vel inserta sunt corpori iuris communis: strictissimae vero interpretationis sunt privilegia, quae derogant iuri tertii quaesito, etiamsi concessa fuerint motu proprio, quia collator privilegii non censetur tollere ius alteri quaesitum, nisi in quantum diserte exprimat [1]. — Etiam in stricta interpretatione verborum proprietas servanda est, quatenus verba impropriari non debent, ut privilegium minuatur, nisi ita expostulet iustitia aut manifesta collatoris voluntas; praeterea privilegium, quantumvis odiosum, ne ita stricte explicetur, ut inutile seu inefficax reddatur [2].

3) Tandem generatim « interpretandum est privilegium, ut **non sit onerosum privilegiato,** sive ut aliquid potius tribuat quam auferat iuxta R. I. 61 in 6°: *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Hinc probabiliter concedunt multi, quod ob privilegium exemptionis non impediantur regulares, quominus ipsi cum praelati consensu subiicere se possint episcopo, ut ab eo absolvantur a peccatis et censuris, vel dispensetur cum eis in voto, iuramento, irregularitate etc. casu quo episcopus, non vero praelatus, tali facultate ex privilegio est praeditus... » [3].

**89. Qu. 2. Qua ratione admitti possit privilegiorum extensio.**

**Resp.** Intelligenda est haec quaestio de solis privi-

[1] Cfr. Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 125-129.

[2] Cfr. Ballerini-Palmieri, *Opus theol. morale*, tom. I. p. 423.

[3] Ita Schmalzgrueber in hunc tit. n. 123.

legiis, quae continent merum favorem, siquidem in quantum continent odium, excludunt quamcumque extensionem ex eo quod sunt strictae interpretationis. Quo sensu intellecta quaestio pro maiore rei claritate resolvenda est cum distinctione;

1) **Non potest** admitti **extensio proprie dicta** seu extensiva, qua scil. privilegia extenduntur ad personas (casus, loca) neque formaliter neque virtualiter expressas, nequidem ex identitate vel etiam maioritate rationis; ratio est, quia privilegii vis et efficacia non consistit in ratione seu causa motiva, sed in collatoris voluntate per verba significata, proindeque illegitima dicenda est extensio, quae fit ultra id quod saltem virtualiter verbis comprehenditur; accedit quod privilegium est lex privata, constituens ius pro determinatis personis, et hinc non valet pro aliis, etiamsi pro his existeret eadem vel etiam maior ratio.

2) **Potest** admitti extensio **improprie dicta** seu comprehensiva, qua scil. privilegium extenditur ad personas (casus, loca) saltem virtualiter eiusdem tenore comprehensas; ratio est, quia in casu non habetur concessionis factae extensio vere talis, sed proprie dicta interpretatio, quae dicitur lata, qua scil. verba sumuntur in proprio, licet ampliore sensu. Sic v. g. sub nomine religiosorum, item filiorum, posito in genere masculino, saepe comprehenduntur etiam respective religiosae feminae, et filiae: aliter autem foret, si diceretur viri religiosi, vel filii masculini. Sic etiam generatim privilegium extenditur ad privilegiati socium, si agitur de re individua, vel si ex non usu socii privilegium privilegiato fierit inutile vel nimis grave (1).

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nu, 92-102; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 130-145.

**90. Qu. 3. Quinam sit legitimus privilegiorum usus.**

**Resp.** De legitimo privilegiorum usu haec sunt notanda:

1) In legitimi usus **initio** determinando consideranda sunt, quae superius n. 85 sunt exposita de privilegii concedendi substantia, necnon de privilegii concessi promulgatione et acceptatione.

2) Servandi sunt usus **limites** definiti per appositas in privilegii tenore conditiones loci, temporis, licentiae obtinendae etc. — Praeterea attendendae sunt etiam conditiones a iure praescriptae in usu quarumdam facultatum, v. g. concionandi, audiendi confessiones infirmorum etc.

3) Legitimi usus **locus** est totum collatoris territorium, nisi obstet specialis aliqua restrictio. — Etiam extra territorium generatim uti licet privilegio praeter ius, imo et privilegio contra ius, quod suapte natura (sicuti v. g. ablatio inhabilitatis) vel ex concessione (v. g. ob infirmitatem) est personale (1).

4) Ad usus **necessitatem** quod spectat, privilegiatus uti tenetur privilegio concesso propter bonum publicum et universale; verum non tenetur uti privilegio, quod directe et immediate intendit privatum quoddam bonum, nisi per accidens ob damnum, quod ex non usu forsan inferretur proximo vel bono communi, aut etiam quando per privilegium aufertur impedimentum alicuius obligationis implendae, v. g. assistendi sacro missae sacrificio (2).

(1) Cfr. Schmalzgrueber, in hunc tit. nn. 106-113; Van den Berghe, loc. cit., n. 176, Quaeritur 2).

(2) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 161 I; Van den Berghe, loc. cit., n. 176, Quaeritur 1).

## § 4. De privilegiorum cessatione.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua exponuntur varii modi, quibus privilegia amittuntur, sive natura sua, sive ex parte collatoris, sive ex parte privilegiati.

**91. Qu. Quibus modis privilegia amittantur.**

**Resp.** Privilegium amittitur:

1) **Natura sua,** et quidem

**a)** Elapso tempore pro quo, vel cessante conditione sub qua fuit concessum; ratio est, quia in utroque casu cessat collatoris voluntas concedendi, a qua totaliter pendet privilegii valor. — Notandum tamen quoad conditionem, datam resolutionem intelligendam esse de conditione apposita ex parte privilegii conservandi, a qua scil. dependet privilegii perduratio; nam si conditio fuerit apposita ex parte ipsius concessionis seu tamquam causa motiva, eadem cessante manet privilegium, quia tunc conditionis existentia requiritur solum ut concedatur, non autem ut concessum conservetur; item si conditio apposita fuit ex parte usus privilegii, privilegium quidem manet cessante illa conditione, sed usus redditur illicitus (1)

**b)** Pereunte subiecto immediato, nempe per mortem privilegiati si est personale, per interitum rei totalem (amissa dignitate etc.) si est reale: quod posterius non est indistincte intelligendum, sed tunc demum procedit, si res destruetur sine spe restaurationis (2).

Per mortem (cessationem ab officio) collatoris per

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 181 et 182; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 159-160.

(2) Cfr. R. J. 7 et 42 in 6°; Reiffenstuel, loc. cit., nn. 166, 171-175; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 147-149.

se non cessat privilegium, nisi concessum fuerit ad dies vitae (pro duratione officii), vel ad ipsius beneplacitum [1].

**c**) Cessante causa finali cessat privilegium, quod est contra legem vel ius tertii, saltem si causa cessat contrarie, ita scil. ut propter mutationem materiae vel circumstantiarum usus privilegii factus sit illicitus; nam quum privilegium de re illicita sit nullum, cessabit quamprimum eiusdem causa contrarie cessat; verum si causa finalis cessat tantummodo negative, ita ut usus privilegii non fiat iniquus, iuxta sententiam probabilem, privilegium non cessat, etiamsi tractum successivum habeat, quia nihil impedire videtur, quominus, existente iusta causa tempore concessionis, privilegium concedatur absolute et sine dependentia a causae perseverantia: quae ratio a fortiori valet in privilegio praeter ius seu continens merum beneficium, quod saltem ad sui conservationem non requirit aliam causam praeter liberalem concessionem. — Nec difficultatem parit data superius n. 53 3) contraria resolutio de dispensatione; nam differentia est ex eo quod « privilegium — ita Suarez [2] — est per modum cuiusdam iuris et potentiae, dispensatio autem per modum actionis, quae non censetur fieri tota simul, quando effectus est successivus et causa dispensationis est etiam successiva, quae non proportionatur actioni, nisi quatenus cum illa extenditur et durat » [3].

2) **Ex parte collatoris** (successoris, superioris) per revocationem.

**a**) Huiusmodi revocatio valide, etiam sine causa, fieri potest in concessis subdito privilegiis mere gratiosis,

---

[1] Cfr. dicta n. 82 2); Reiffenstuel, loc. cit., nn. 167-170; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 150-158.

[2] Loc. cit., cap. 30, n. 19.

[3] Cfr. Van den Berghe, loc. cit., n. 178 C); Reiffenstuel, loc. cit., nn. 183-187; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 166-171.

necnon remuneratoriis ex mera gratitudine; quae revocatio ut licite fiat requiritur causa rationabilis, eaque gravior in privilegiis remuneratoriis. Ratio est, quia ex una parte concessio in casu non habet rationem perfectae donationis, proindeque ius concessum non transit in dominium privilegiati, et ita semper pendet a collatoris voluntate; ex altera vero parte levitatis est mutare voluntatem sine causa, et hinc, iuxta R. I. 16 in 6°, *decet concessum a principe beneficium esse mansurum* (1). —Verum revocatio fieri nequit in privilegiis conventionalibus, remuneratoriis ex iustitia debitis, vel etiam gratiosis per quae confertur dominium iuris, necnon generatim in privilegiis non subdito concessis, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune. Ratio est, quia huiusmodi privilegia induunt rationem contractus, qui servari debet, in quantum cum bono publico conciliari potest (2). — Praeterea notandum ex Wernz (3), in hac revocatione, ubi res est de rebus temporalibus (4), compensationem esse concedendam, si ius fuerit acquisitum ex contractu oneroso; secus dicendum, si agitur de privilegio concesso ex contractu mere lucrativo per liberalem donationem.

b) Privilegiorum revocatio fit aut expresse, aut tacite. Revocatio expressa fit vel disertis verbis privilegium determinatum indicantibus, vel per clausulam derogatoriam cum debita amplitudine et efficacia appositam,

(1) Causae iustae revocationis potissimum recensentur; iusta poena propter abusum privilegii aliaque delicta; nimium praeiudicium tertiae persona ex privilegio ortum; cessatio causae principalis privilegii concessi, quod tractum successivum habet; utilitas publica. Ita Wernz, tom. I. n. 162.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 120-122; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 219-228.

(3) Loc. cit., n. 162, IV. cum nota (81).

(4) In privilegiis spiritualibus, etiam in concordatis concessis, nullus compensationi est locus.

siquidem non sufficit clausula communis (quae est: « non obstantibus quibuscumque privilegiis »), sed requiritur specialis ad revocanda privilegia, quae specialem habent firmitatem: qualia sunt privilegia in Corpore iuris clausa, utpote quae sunt potius leges quam simpliciter privilegia, item privilegia concessa eo tenore, ut revocari non possint, nisi eorumdem fiat expressa et specialis mentio, item privilegia concessa per modum contractus vel in remunerationem meritorum. — Revocatio tacita fit per actum principis directe contrarium, ita ut non possit subsistere simul cum privilegio concesso, in quantum in revocante possit praesumi scientia concessi privilegii; hinc imprimis per legem generalem revocantur omnia privilegia directe contraria in iure communi contenta, etiamsi eorumdem specialis mentis non fiat, non autem specialia et iuri communi non inserta, ex c. 1 *de constitut.* in 6° I, 2 (1); deinde privilegium concessum non revocatur per posterius privilegium vel rescriptum contrarium, nisi in quantum priori privilegio sit praeferendum iuxta dicta n. 78 in fine; tandem per iudicialem sententiam contra privilegium latam illud proprie loquendo non revocatur, sed potius reprobatur, seu tamquam infirmum reiicitur.

c) Quando privilegia revocantur per legem generalem ad revocationis effectum requiritur et sufficit legis revocatoriae legitima promulgatio, ita ut promulgatione peracta nemo, etsi revocationem invincibiliter ignorans, privilegio valide uti possit. — Quodsi revocatio fiat ab homine sive privatim sine lege revocatoria, ad vitanda incommoda de facto privilegium non cessat, antequam revocatio privilegiato specialiter intimata fuerit (2).

3) **Ex parte privilegiati** privilegium amittitur:

(1) Cfr. exposita n. 55.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 120-134; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 219-233.

**a**) Per renuntiationem in privilegiis principaliter in solius privilegiati favorem concessis, non vero in privilegiis principaliter concessis in favorem alicuius communitatis, dignitatis vel loci, et multo minus in privilegiis ob causam publicam per modum legis communis constitutis. — Ut autem huiusmodi renuntiatio habeat vim extinguendi privilegium, necesse est ut fiat voluntate libera, qua scil. quis sponte a se abdicet privilegium, et accedat consensus collatoris, ita ut quis renuntiationem nondum acceptatam revocare ac denuo privilegio uti possit [1].

**b**) Per non usum vel usum contrarium [2] in privilegiis, quae redundant in gravamen aliorum, et quidem vel ex tacita renuntiatione vel per modum praescriptionis: requiritur autem, ut quis, oblata occasione utendi privilegio et potestate non impedita, libere per non usum vel usum contrarium a privilegio recedat, ac praeterea aut tales sint circumstantiae, ex quibus merito admittatur renuntiatio, aut quoad durationem conditiones legitimae praescriptionis fuerint impletae. — Privilegia mere favorabilia per non usum vel usum contrarium, etiam per longum tempus continuatum, non amittuntur, nisi in quantum in illo non usu vel usu contrario includatur tacita renuntiatio [3].

**c**) Per abusum, excedendo scil. limites privilegii, vel sumendo ex illo occasionem liberius peccandi, vel agendo contra finem privilegii; qui modus amittendi privilegia est potius poena, quae regulariter ante iudicis sententiam, saltem declaratoriam, non incurritur [4].

[1] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 188-200; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 176-185.

[2] Non usus attenditur in privilegiis affirmativis, in negativis usus contrarius.

[3] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 201-230; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 186-196; Wernz, loc. cit., n. 162, III.

[4] Cfr. Reiffenstuel, loc. cit., nn. 176-179; Schmalzgrueber in hunc tit. nn. 197-201.

*Scholion.* Cum privilegiis intime connectuntur sic dictae **facultates,** quae interdum etiam vocantur quasi-privilegia vel privilegia personalia.

Facultates strictiore sensu **denotant** potestatem, quam superior ecclesiasticus iurisdictione in foro externo praeditus cuidam sibi quoquomodo subdito concedit, aliquid sive in foro conscientiae tantum, sive etiam in foro externo valide aut licite aut saltem tuto agendi.

Huiusmodi facultates **dividuntur** ratione obiecti in iurisdictionales (etiam facultates simpliciter dictas) absolvendi vel dispensandi, vel gratias sive licentias aliquid faciendi quod secus illicitum foret, vel concessiones ad cautelam, ut tuto procedatur in casibus dubiis; — ratione subiecti concedentis in apostolicas seu papales, concessas a Rom. Pontifice sive per se sive per sacras Congregationes vel tribunalia Romana, vel episcopales, collatas ab episcopo vi potestatis ordinariae, vel regulares seu praelatorum regularium, manantes sive ex potestate ordinaria in subditos, sive ex potestate extraordinaria, v. g. vi specialium privilegiorum a S. Sede obtentorum; — ratione modi et extensionis in generales, concessas pro personis indeterminatis (licet pro certo tempore tantum), vel particulares, datas pro personis determinatis in casibus particularibus.

Facultates **apostolicae** ratione formularum quibus conceduntur sunt aliae ordinariae, aliae extraordinariae. Facultatum ordinariarum habentur formulae decem, quae distinguuntur numeris Romanis; extraordinariarum formulae habentur multiplices, quae regulariter distinguuntur litteris maiusculis vel minusculis.

Notanda hic etiam venit sic dicta **pagella facultatum S. Poenitentiariae,** cuius duplex habetur formula, altera pro episcopis, altera pro simplicibus confessariis. In ea conceduntur variae facultates absolvendi a censuris, commutandi vota et dispensandi in impedimentis matrimonialibus.

# PARS II.

# DE MAGISTRATU IN GENERE

## Titulus V.

## De natura magistratus.

(Decret. lib. III, tit. 5, *de praeb. et dignit.*)

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit., Wernz, tom. II, nn. 240-241; Craisson, tom. I, nn. 249-306; Bargilliat, tom. I, nn. 175-182.

***Synopsis tituli.*** Exponitur hoc tit. quid veniat in iure canonico nomine magistratus, qui et officium ecclesiasticum appellatur, ac explicatur potestatis cum eodem connexae intellectus generalis; agitur proinde distinctis paragraphis de magistratus seu officii ecclesiastici notione — de potestate iurisdictionis ecclesiasticae.

### § 1. De magistratus notione.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua traditur magistratus definitio et divisio.

**92. Qu. Quid sit magistratus seu officium ecclesiasticum, et quomodo dividatur.**

**Resp. 1.** Magistratus ecclesiasticus (de quo solo hic agitur) seu officium ecclesiasticum **generica notione** definitur, ut sit ius cum adnexis obligationibus exercendi de-

terminatam partem functionum ecclesiasticarum: quod ius si ex mera et transitoria deputatione exercetur in amplitudine arbitrio deputantis designanda, habetur magistratus **improprie** dictus; si vero ius illud habet quamdam stabilitatem saltem obiectivam, ita ut recipienti magistratum eo ipso competat exercitium functionum eidem adnexarum, habetur magistratus **proprie** dictus.

Porro functiones ecclesiasticae spectant potestatem ordinis vel meram administrationem, aut potestatem iurisdictionis, et hinc oritur notio magistratus sensu stricto aut minus stricto accepti. — Magistratus **sensu minus stricto** denotat ius perpetuum cum adnexis obligationibus exercendi nomine proprio functiones sacras tantum potestatis ordinis et merae administrationis legibus ecclesiasticis definitas. Magistratus **sensu stricto** est gradus quidam iurisdictionis ecclesiasticae quoad personas, causas, locum, legibus Christi vel Ecclesiae in perpetuum ita institutus, ut iura et onera spiritualia ipsi adnexa nomine proprio et ratione quadam stabili sint exercenda. De r a t i o n e igitur magistratus stricte dicti est o r d i n a r i a quaedam p o t e s t a s ecclesiastica primarie iurisdictionis [1] iure divino vel ecclesiastico definita cum illa o b i e c t i v a p e r p e t u i t a t e institutionis, qua stabilem in Ecclesia habet existentiam.

Cum magistratu semper sustentatio clericorum, qui magistratum gerebant, aliqua ratione coniuncta erat. Haec sustentatio initio habebatur ex fidelium oblationibus, quae quum sub una episcopi administratione essent, ab eodem inter clerum dividebantur, designando singulis illarum partem in sustentationem. Huiusmodi unitas bonorum et

---

[1] Ita scil. ut non excludantur functiones potestatis ordinis et administrationis, saltem si nomen magistratus absolute et simpliciter adhibeatur.

precaria ex iisdem concessio sustentationis retenta fuit etiam, postquam possessiones ecclesiarum ex immobilibus simul et mobilibus constabant; paulatim vero certae possessiones determinatis magistratibus iunctae manebant, et exinde **notio beneficii,** quo nomine generice intelligitur magistratus seu officium una cum iure percipiendi fructus certarum possessionum ecclesiasticarum: quod ius si habeat non solum obiectivam cum officio stabilitatem, sed et et subiectivam, ita ut possessor illo iure per se perpetuo fruatur, habetur beneficium proprie dictum (1).

Magistratus in Ecclesia seu officia ecclesiastica **ratione originis** seu institutionis sunt iuris aut divini aut ecclesiastici. — **Iuris divini** est imprimis officium Rom. Pontificis in his quae ad eiusdem substantiam pertinent; habet enim immutabilem potestatem ex immediata institutione divina tum ex parte subditorum et territorii tum ex parte causarum in ultima specie determinatarum; deinde in genere etiam officium episcoporum ab ipso Christo Domino quoad substantiam institutum esse dici potest, quatenus Ipse generale dedit praeceptum, ut praeter Rom. Pontificem in Ecclesia haberentur episcopi, qui essent ordinarii pastores principales animarum, non mere delegati vel vicarii Papae. — **Iuris ecclesiastici** sunt reliqua officia ecclesiastica, tum praelaturae illae mediae inter Rom. Pontificem et episcopos, tum gradus ecclesiastici infra dignitatem episcopalem, utpote quae sola auctoritate ecclesiastica quoad ambitum iurium et obligationum sunt instituta (2).

**Resp. 2.** Magistratus in Ecclesia (officia et beneficia ecclesiastica) varie a variis **dividuntur:** praecipuae divisiones sunt:

---

(1) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 240, II.
(2) Cfr. Wernz, loc. cit , n. 244.

1) Ratione **potestatis:**

**a**) in maiores, qui cum speciali honoris praeeminentia adnexam habent perfectam sive vere episcopalem iurisdictionem ordinariam in foro externo exercendam; — in minores, quibus praedicta praeeminentia et iurisdictio deest. — Magistratus maiores sunt, praeter papatum et cardinalatum, episcopatus, praelatura *Nullius,* aliique gradus superiores, v. g. archiepiscopatus, patriarchatus, et qui eosdem gerunt sunt praelati simpliciter et stricte dicti, a quibus distinguendi sunt, qui tantum gaudent speciali quadam honoris praeeminentia, vel etiam habent aliquam iurisdictionem ordinariam, quae dicitur quasi-episcopalis, in foro externo, et dicuntur praelati minores.

**b**) In simplices, quibus praeter recitationem horarum canonicarum adnexa est tantum officium seu obligatio chori, missae celebrandae vel servitii altari; — in duplices, qui adnexam habent aliquam iurisdictionem in foro externo, vel curam animarum, vel administrationem, vel honoris praerogativam. — Ex magistratibus duplicibus alii dicuntur dignitates, alii personatus, alii officia, prout adnexam habent aut praecedentiam cum iurisdictione in foro externo, aut praecedentiam sine iurisdictione, aut administrationem sine iurisdictione vel praecedentia.

**c**) In curatos, qui actualem curam animarum adnexam habent; — in non curatos, qui sunt sine ulla cura.

2) Ratione **personarum,** quibus conferuntur:

**a**) in saeculares et regulares, prout natura sua vel ex lege fundationis vel ex statuto canonico vel legitima consuetudine aut solis clericis saecularibus, aut solis clericis regularibus per se conferri possunt;

**b**) in patrimoniales et non patrimoniales, prout aut solis membris determinatae familiae, vel incolis certae regionis vel civitatis, aut generatim cuique clerico patent.

3) Ratione **modi,** quo acquiruntur:

**a**) in electivos, qui acquiruntur per electionem legitime celebratam et confirmatam; — in patronatos qui ad praeviam patroni praesentationem per subsequentem institutionem canonicam conferuntur; — in collativos, qui sine praevia electione vel praesentatione libera superioris voluntate conceduntur;

**b**) in consistoriales, de quibus Rom. Pontifex disponit in consistorio coram cardinalibus; — in reservatos, quorum concessio ad solum Rom. Pontificem spectat.

4) Ratione **specialis obligationis,** vel **mutuae relationis:**

**a**) in residentiales et non residentiales, prout adnexam habent aut non habent obligationem commorandi in loco muneris;

**b**) in compatibiles et incompatibiles, prout in una eadem persona simul stare possunt vel nequeunt.

5) Ratione **possessionis,** qua tenentur: in titulares (titulatos), qui cum perpetuitate obiectiva habent et subiectivam; — in manuales, qui solam habent perpetuitatem obiectivam (1).

## § 2. De potestate iurisdictionis ecclesiasticae.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: iurisdictionis ecclesiasticae 1) definitio, 2) variae species, 3) titulus.

### 93. Qu. 1. Quid intelligatur nomine iurisdictionis ecclesiasticae.

**Resp. 1.** Considerato Ecclesiae fine **duplex** in Ecclesia distinguenda est **potestas;** finis siquidem Ecclesiae proximus est cultus Dei et sanctificatio animarum, qui finis

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 19-42; Wernz, loc. cit.

obtinetur gratia sanctificante, quae confertur per sacramenta, atque hominis per rectam fidem et bonam vitam cooperatione, et exinde duplex potestas, altera quae ordinatur ad administranda sacramenta, et dicitur potestas **ordinis,** — altera quae tendit ad fidelium cooperationem dirigendam et efficaciter urgendam, proindeque spectat ad Ecclesiae regimen, et appellatur potestas **iurisdictionis.**

***Nota.*** Sunt inter recentiores, qui triplicem potestatis ecclesiasticae speciem distinguunt: ministerii scil., regiminis, et magisterii. At sine solido fundamento, si enim nomine magisterii intelligitur magisterium merum, consistens in docendo sola persuasione, dici non potest potestas; si vero intelligitur magisterium cum iure imperandi assensum, pars est potestatis iurisdictionis.

**Resp. 2. Iurisdictio** accepta stricto sensu etymologico est potestas iuris dicendi, iudicandi scil. seu ius ad casus propositos applicandi. Verum in iure canonico sumitur sensu latiore, ut sit potestas publica circa aliorum regimen seu gubernationem: dicitur *potestas publica,* quae est in societatem perfectam; *circa aliorum regimen seu gubernationem,* ut intelligantur huius potestatis actus, qui sunt non solum sententiam ferre ac definire quid ius et aequitas contineat, sed etiam praecipere, prohibere, punire, leges ferre, in iis dispensare; quinimo universim omnis ille actus iurisdictionis esse censetur, qui a superiore ex publico munere ac potestate in subditos, sive quatenus publica persona est, exercetur. — Patet igitur a proprie dicta iurisdictione multum differre simplicem aliquam licentiam seu facultatem ponendi actus qui non requirunt veros subditos, quamquam et haec nonnumquam voce iurisdictionis appellatur, et sensu latissimo sub hac voce comprehenditur.

Iurisdictio **ecclesiastica** accepta sensu proprio **definitur:** Publica potestas regendi fideles directe in ordine

ad salutem supernaturalem. Huiusmodi potestas in Ecclesia duplex distingui potest: alia propria, quae Ecclesiae ut verae societati perfectae connaturaliter competit, proindeque hanc potestatem Ecclesia exercet nomine proprio ut in foro suo; — alia Dei vicaria, quae Ecclesiae competit vi specialis commissionis divinae, eamque proinde exercet gerens vices Dei ut in foro Dei.

**Resp. 3.** Ad **relationem inter potestatem ordinis et iurisdictionis** quod spectat, licet verum et essentiale sit inter utramque discrimen, tamen non est inter utramque absoluta et omnimoda separatio, sed mutua relatio: quae utraque assertio declaratur ex hisce quae sequuntur:

1) Generaliter loquendo validitas actuum potestatis ordinis a iurisdictione est independens; verum licite non exercetur potestas ordinis, nisi accepta missione seu licentia, quae pro nonnullis eius actibus debet expresse obtineri a superioribus, sed pro plerisque in ipsa ordinatione conceditur, vel praxi Ecclesiae tacite concessa existit, donec fuerit a dictis superioribus adempta. — Iurisdictionalium non tantum liceitas, sed et validitas omnino pendet ex eo quod missio et vere fuit accepta, et dein non fuit amissa.

2) Potestas ordinis potest in aliquo existere vel cum vel absque potestate iurisdictionis, et viceversa. — In praxi autem regulariter solent esse, inter varios tamen limites, coniunctae; imo in ipsa ordinatione accipitur propria quaedam aptitudo ad iurisdictionem obtinendam.

3) Potestas ordinis quoad valorem actuum regulariter non potest tolli vel restringi, quamvis licitus eius usus tolli vel restringi potest tollendo vel restringendo missionem seu licentiam. — Iurisdictio autem tolli vel restringi potest etiam quoad valorem actuum (1).

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29, nn. 2-6; Wernz, tom. II, n. 3; Craisson, loc. cit. nn. 249-276; Bargilliat, loc. cit. nn. 175-177.

**94. Qu. 2. Quaenam sint iurisdictionis ecclesiasticae species.**

**Resp.** Iurisdictionis ecclesiasticae species a DD. communiter assignantur hae quae sequuntur:

1) Ratione **fori** alia est iurisdictio fori **interni,** quae respicit primario et directe bonum privatum, et ordinat fidelium relationes ad Deum, estque aut poenitentialis (sacramentalis) aut extrapoenitentialis, prout in solo iudicio sacramenti Poenitentiae, aut extra illud exercetur; — alia est **fori externi,** quae primario et directe refertur ad bonum publicum fidelium sive Ecclesiae, et ordinat relationes sociales.

2) Ratione **obiecti** alia est iurisdictio **voluntaria,** quae exercetur praesertim ad postulationem fidelium circa illa obiecta, de quibus superior ecclesiasticus pro prudenti suo arbitrio atque exclusis formis iudicialibus et appellationis remediis disponit. Ad hanc revocatur iurisdictio gratiosa, qua favores conceduntur; imo iurisdictio voluntaria, quatenus opponitur potestati iudiciali, comprehendit etiam potestatem legislativam et gubernativam, qua leges conduntur, magistratus constituuntur, et leges latae applicantur, imo et ipsam potestatem correctivam, qua subditi puniuntur potius per modum correctionis paternae quam per modum poenae. — Alia est **contentiosa,** quae versatur circa controversias, quae disceptationem in stricta forma iudiciali requirunt, atque etiam in invitos exercetur, praesertim in causis criminalibus per inflictionem poenarum vindicativarum, quae ad ordinem publicum referuntur.

Iurisdictio voluntaria exercetur in foro tum interno tum externo pro subiecta materia, in proprio et alieno territorio; — contentiosa vero ordinatur ad solum forum externum, et quum requirat processum iudicialem, absque expresso vel tacito consensu Ordinarii loci

necnon partium litigantium exerceri nequit extra proprium iudicis territorium.

3) Ratione **tituli** alia est iurisdictio **ordinaria,** quae, utpote antecedenter adnexa alicui officio, vi officii ex iuris (vel divini vel ecclesiastici communis) (1) dispositione nomine proprio alicui competit. Qui huiusmodi potestatem habent in foro externo, in iure intelliguntur et appellantur nomine Ordinarii; nomine vero Ordinarii loci intelliguntur illi soli, qui episcopalem in territorium sibi proprium habent iurisdictionem, non vero superiores regulares, qui in certas personas exercent potestatem. — Alia est iurisdictio **delegata,** quae, utpote nulli antecedenter adnexa officio, vi commissionis specialis sive a iure sive ab homine factae nomine alieno exercetur: haec potestas est ab homine vel a iure (sive scripto sive non scripto), prout obtinetur a magistratibus ecclesiasticis ordinaria iurisdictione instructis, vel ex ipsa legis ecclesiasticae dispositione usuve approbato; personalis vel realis prout delegatio fit ratione personae, vel ratione officii sive dignitatis; specialis vel universalis (ad universitatem causarum), prout una alterave causa particularis, aut omnes species causarum in certo genere (v. g. in cura parochiali vel episcopali) vel saltem omnes causae in certa specie contentae committuntur.

In praxi discrimen ordinariam inter et delegatam iurisdictionem hoc est praecipuum, ut qui habet potestatem ordinariam suam iurisdictionem ubique locorum in suos subditos exerceat, modo tamen agatur de actibus qui nullam perturbationem in alterius territorio inducunt; eius enim iurisdictio subditos afficit quamdiu subditi manent. — Delegatus vero non exercet suam iurisdictionem extra

(1) Hinc potestas, quam per generale statutum cum determinato officio connectit episcopus, non est nisi delegata.

territorium, nisi hoc ipsi concessum fuerit; quinimo canonistae non consentiunt, num ordinarius valeat concedere delegato facultatem exercendi iurisdictionem extra limites sui territorii; videtur tamen affirmandum, excepto casu delegationis ad administrandum sacramentum Poenitentiae. — Praeterea ordinaria iurisdictio, utpote favorabilis, est latae interpretationis, delegata vero stricte est interpretanda, quia censetur odiosa (1).

***Nota.*** Sunt qui ratione tituli tertiam iurisdictionis speciem distinguunt, quam appellant mandatam (vicariam). Est autem ea iurisdictio, quam quis ex stabili quadam commissione alterius, ipsius personam gerens, generali quadam ratione exercet: distinguitur proinde a iurisdictione ordinaria, quia exercetur pro alio cuius persona geritur, a delegata vero, quia exercetur stabili quadam ac generali ratione, ideoque aliquatenus munus seu officium constituit. — At hisce non obstantibus iurisdictio mandata admittenda non videtur tamquam tertia species distincta. Etenim commissio, vi cuius iurisdictio in casu exercetur, aut respicit ipsam iurisdictionem, ita ut haec per commissionem immediate et directe conferatur, et tunc eiusmodi iurisdictio vero et proprio sensu est delegata, — aut respicit proprie dictum aliquod officium, cui ex iure communi adnexa est iurisdictio, ita ut per commissionem immediate et directe conferatur officium, et per hoc (mediate et indirecte) iurisdictio, et tunc eiusmodi iurisdictio est vero et proprio sensu ordinaria. Res exemplificatur in iurisdictione vicarii foranei et vicarii generalis (2).

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29, nn. 7-25; Wernz, tom. II, n. 4 III; Craisson, loc. cit. nn. 277-288; Bargilliat, loc. cit. nn. 178-182.

(2) Cfr. Sanguineti, Ed. 4, p. 238, Scholion III; Reiffenstuel, lib. tit. 29, nn. 13-17.

**95. Qu. 3. Quid et quotuplex sit iurisdictionis titulus, et quanam ratione necessarius ad iurisdictionem valide exercendam.**

**Resp. 1.** Titulus generice sumptus est illud, in quo fundatur quodcumque ius; hinc iurisdictionis titulus **intelligitur** illud in quo fundatur concessa alicui iurisdictio.

Titulus **distinguitur** legitimus seu verus, et illegitimus seu falsus. Legitimus dicitur titulus, qui habet omnes conditiones requisitas ad iurisdictionem vere conferendam; quae conditiones sunt: potestas in concedente, habilitas in concessionario, et forma debita in actu concessionis. — Ex quibus conditionibus si vel una deest, titulus erit illegitimus, qui pro vario defectu, quo laborat, dicitur aut coloratus, quando iurisdictio fundatur in concessione a superiore ratione muneris seu officii possessi per se seu ipso iure apparenter competente, vere sed invalide facta ob vitium aliquod occultum (1), aut simpliciter invalidus, quando iurisdictio fundatur in concessione vere facta a superiore ratione muneris seu officii non possessi, sed ficti tantum vel putativi, ideoque per se seu ipso iure omnino incompetente, aut fictus seu praesumptus, quando iurisdictio fundatur in competentis superioris concessione, quae vere non existit, sed existere tantum supponitur (2).

**Resp. 2.** Ex dictis indubium est, ad valide exercendam iurisdictionem **per se requiri titulum legitimum;** solo enim legitimo titulo iurisdictio vere confertur. — Nihilominus in casu tituli etiam illegitimi, positis quibusdam conditionibus, Ecclesiam supplere iurisdictionem, sive ordinariam sive delegatam, tam in foro externo quam in foro

---

(1) Occultum hic dicitur, quod in aliquo loco aut prorsus ignoratur, aut saltem tam paucis innotescit, ut celari valeat.

(2) Notandum non eodem sensu praefatos terminos usurpari ab omnibus.

interno, certum est ex lege *Barbarius* ff. *de officio praetoris* (1), quam ab Ecclesia canonizatam omnes admittunt. — Conditiones requisitae sunt: *a*) ut defectus talis sit, cui Ecclesia possit mederi; manifestum enim est, impedimentum iuris naturalis vel divini ab Ecclesia tolli non posse; *b*) ut adsit error, sive facti sive (saltem probabiliter) iuris obscuri et dubii (utpote qui aequiparatur errori facti), communis, saltem in loco ubi exercetur iurisdictio, et probabilis, talis nempe, ut mediocris attentio non sufficiat ad deprehendendum tituli defectum; *c*) ex communiore sententia, ut adsit titulus coloratus, qui revera supponitur in cit. lege *Barbarius;* plures tamen DD. graves docent, sufficere errorem communem sine huiusmodi titulo, quum et in hoc casu urgeat ratio communis fidelium boni, ob quod iurisdictionem supplere Ecclesia praesumitur (2).

## Titulus VI.

### De constitutione magistratus.

(Decret. lib. III tit. 5 *de praeb. et dignit.*, et tit. 12 *Ut benef. eccles. sine diminutione conferantur*).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz tom. II nn. 242-282; Craisson tom. I nn. 327-369; Bargilliat tom. II nn. 1391-1395.

***Synopsis tituli.*** Explicantur hoc titulo varii modi, quibus magistratus in Ecclesia primitus instituuntur, vel eorumdem institutorum status immutatur, vel etiam omnino extinguitur. Agitur distinctis paragraphis de magistratuum erectione — innovatione — et suppressione.

---

(1) Cfr. etiam c. 1, C. III. qu. 7.

(2) Cfr. S. Alphonsus, lib. VI, n. 572; Craisson, loc. cit. nn. 292-306; Bargilliat, loc. cit. nn. 203-208.

## § 1. De magistratuum erectione.

***Summarium:*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) erectionis notio et erigendi potestas; 2) legitimae erectionis conditiones; 3) notae historicae.

**96. Qu. 1. Quid sit magistratuum erectio, et a quibusnam fieri possit.**

**Resp.** Magistratuum erectio **intelligitur** actus legitimus, quo magistratus seu sacrum officium primitus de facto constituitur; ad erectionem reducitur restauratio; quae est alicuius magistratus seu officii olim erecti et postea extincti iterata institutio.

**Potestas erigendi** in Ecclesia magistratus spectat ad solam auctoritatem ecclesiasticam, nec ullum hoc in negotio ius nativum sibi vindicare potest auctoritas civilis; siquidem ius exercendi sacram potestatem, sive iurisdictionis sive ordinis vel sacrae functionis, nomine Ecclesiae a sola auctoritate ecclesiastica concedi ac constitui potest. Si ergo in erigendis magistratibus ecclesiasticis gubernii civilis interventus requiritur, id ex Ecclesiae speciali concessione est repetendum, aut ex quadam tolerantia, qua ad maiora mala vitanda leges iniustae de facto observantur. — Admittit autem Ecclesia de iure in erigendis officiis et beneficiis laicorum concursum hoc sensu, ut ab iisdem acceptet eorumdem fundationem seu dotationem; quo casu competit fundatori ius in limine fundationis de consensu Ordinarii adiiciendi quascumque leges seu conditiones sibi bene visas, etiam contra ius commune, de cetero tamen possibiles ac honestas. Quae leges seu conditiones semel acceptatae et approbatae post factam erec-

tionem a fundatore vel eius successore amplius mutari non possunt, etiam cum consensu Ordinarii (1).

**Resp. 2.** Ex disciplina vigente **Rom. Pontifici** reservata est imprimis erectio magistratuum maiorum, necnon capitulorum, tam cathedralium quam collegiatorum; praeterea etiam ad singularem dignitatem in capitulis de novo instituendam (non ad redintegrandam tantum), praesertim si huiusmodi dignitas est inusitata et in iure non expressa, solus Rom. Pontifex est competens; tandem simplices quoque canonicatus suprannumerarii cum iure expectativae sive succedendi in praebendam vacaturam, aut canonicatus honorarii cum specialibus privilegiis a iure communi alienis cum sola Rom. Pontificis approbatione erigi possunt. — Ad **episcopum** seu Ordinarium loci (quo nomine etiam veniunt Praelati *Nullius*, non autem alii inferiores Praelati etiam exempti) spectat erectio omnium aliorum magistratuum inferiorum, qui iuxta disciplinam vigentem constitui solent; hinc episcopus, servatis de iure servandis, potest erigere novos canonicatus simplices, etiam honorarios, in capitulis iam erectis et decreto absoluto non numeratis (2).

### 97. Qu. 2. Quae requirantur in erigendis magistratibus conditiones.

**Resp.** Ad erectionem legitime perficiendam adsint necesse est quae sequuntur:

1) **Iusta** erigendi **causa,** seu finis bonus per erectionem obtinendus, nimirum cura animarum debito modo exercenda, vel saltem facilior et magis congrua reddenda, aut etiam cultus divini augmentum.

2) **Congruus** erectionis **locus,** ut scil. erectio fiat non

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 105-122.

(2) Cfr. Wernz, loc. cit. nn. 246-249.

solum absque praeiudicio officiorum vel beneficiorum iam existentium, sed etiam in loco officii vel beneficii erigendi naturae ac fini conveniente. Sic. v. g. ad episcopalem dignitatem tuendam iure (1) cautum est, ut nonnisi in populis maioribus et frequentioribus civitatibus sedes episcopales constituantur; sic etiam pro digna divinorum officiorum solemnizatione in erigendis capitulis requiritur numerosus clerus cum ampla ecclesia necessariis paramentis instructa etc.

3) **Dos congrua** seu fundus dotalis, bona scil. certa, stabilia et frugifera, ex quibus habeantur redditus sufficientes ad honestam clerici sustentationem et ad necessarias expensas fabricae ecclesiae et cultus divini.

4) **Solemnitates** in erectione adhibendae praecipue sunt, ut instituatur inquisitio de verificatis conditionibus ad erectionem requisitis, ut vocentur et audiantur omnes interesse habentes, ac fiat decretum authenticum et publicum superioris de facta erectione (2).

### 98. Qu. 3. Quaenam fuerit, succedentibus temporibus, varia Ecclesiae in erigendis magistratibus disciplina.

**Resp.** Varietas disciplinae extitit praecipue quoad interventum Rom. Pontificis in erigendis sedibus episcopalibus. Qui interventus primis Ecclesiae temporibus se monstravit potius constitutis quibusdam normis generalibus quam immediatae erectionis actibus, ac immediata dioecesium erectio relicta fuit conciliis provincialibus, vel etiam vicariis apostolicis sive primatibus ac Sedis Apostolicae legatis, necnon in Oriente patriarchis. — Saec. V

---

(1) Cfr. c. 1, X, *de privil.*, V, 33.

(2) Cfr. Reiffenstuel, loc. cit. nn. 99-104; Wernz, loc. cit. nn. 250-253.

prima inveniuntur vestigia immediatae Rom. Pontificis interventionis in erigendis sedibus episcopalibus; a saec. VIII et IX iam maiorem partem in novis dioecesibus statuendis habuit Apostolica Sedes. — A saec. XI viguit norma communis ab Urbano II (a. 1042) in epistola ad Reinoldum, archiepiscopum Rhemensem, enuntiata hisce verbis: « Solius Apostolici est Episcopatus [episcopatus] coniungere, coniunctos disiungere, aut etiam novos construere »: quae norma postea in iure decretalium est confirmata (1).

## § 2. De magistratuum innovatione.

***Summarium:*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) innovationis variae species; 2) innovandi potestas et modus.

**99. Qu. 1. Quaenam distinguantur innovationis species.**

**Resp.** Innovatio intelligitur omnis alicuius beneficii vel officii status primitivi in alium mutatio. Huiusmodi innovationis **quatuor species** distinguuntur:

1) **Unio** dicitur duorum vel plurium officiorum vel beneficiorum coniunctio in perpetuum facta. Huiusmodi unionis triplex habetur modus:

**a**) Primus modus est, quando ex uniendis officiis vel beneficiis, singulis extinctis, unum novumque conflatur, in quod omnia extinctorum bona et iura transferuntur: et haec unio dicitur extinctiva seu per confusionem facta.

---

(1) Cfr. Wernz, loc. cit. n. 244 circa finem; Craisson, loc. cit. nn. 332-334.

**b**) Secundus modus est, quando officia vel beneficia unienda non coniunguntur in unum novum, sed distincta manent, ita tamen unita ut unum sit principale, cui alterum tamquam accessorium subiiciatur: haec unio dicitur accessoria seu per subiectionem facta: — Ex hoc modo uniendi orta est distinctio in ecclesias matrices et filiales.

**c**) Tertius modus est, quando officia vel beneficia unienda non coalescunt in unum novum, neque unum alteri subiiciatur, sed salvis et distinctis manentibus singulorum nominibus, ac bonis iuribusque, coordinantur in uno eodemque titulari, cui ambo simul conferuntur: haec unio dicitur aeque principalis.

**Singularis** quaedam **unionis species** est, quae dicitur **incorporatio,** qua scil. officium vel beneficium in perpetuum unitur personae morali, v. g. monasterio, aut dignitati vel praebendae capitulari. — Huiusmodi incorporatio triplex distinguitur: *a*) quae fit iure non pleno, seu quoad iura temporalia tantum, ita ut haec cum oneribus implendis assignentur incorporationis subiecto, iura vero spiritualia exerceantur a vicario perpetuo, qui ordinarie presentatur a subiecto incorporationis, ab episcopo vero accipit institutionem canonicam; *b*) quae fit iure pleno, seu quoad iura tum temporalia quum spiritualia, ita ut praeter ius percipiendi redditus etiam administratio spiritualium, v. g. cura animarum, transferatur in incorporationis subiectum, penes quod est cura habitualis, dum cura actualis exercetur a vicario regulariter temporali, qui instituitur ab incorporationis subiecto, approbante tamen episcopo et auctorizante pro cura animarum; *c*) quae fit iure plenissimo, quando scil. regimen alicuius determinati territorii ita adiungitur cuidam instituto ecclesiastico, ut eiusdem praelatus in dicti territorii clerum et populum

acquirat iurisdictionem episcopalem a potestate episcopi exemptam [1].

Tandem notanda hic est duplex Conc. Trident. prohibitio: ne officia vel beneficia unius dioecesis ulla de causa uniantur officiis vel beneficiis alterius [2], neque ecclesiae parochiales uniantur monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus vel militiis [3].

2) **Divisio et dismembratio.**

**a**) **Divisio** habetur, quando divisis redditibus, iuribus, obligationibus, populo, territorio alicuius beneficii vel officii, ex eodem duo vel plura beneficia vel officia distincta formantur. Huiusmodi divisio est aeque principalis vel minus principalis, prout novum beneficium ab antiquo est omnino independens, vel aliquatenus saltem ab eodem dependet.

**b**) **Dismembratio** vocatur, quando remanente alicuius beneficii vel officii titulo et ministerio eiusdem proprio, pars bonorum vel reddituum (dismembratio stricte dicta), aut etiam pars populi vel territorii (dismembratio latius dicta) ab eodem in aliud iam existens, vel in aliquam causam piam in perpetuum transfertur.

3) **Transformatio** dicitur, quando alicuius beneficii vel officii species vi primae erectionis recepta mutatur; includit proinde existentis beneficii vel officii extinctionem et extincti in novum alterius speciei erectionem. — Notandum est Conc. Trident. [4] interdictum, ne saecularia beneficia curata convertantur in simplicia.

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, in tit. 37 lib. III; Wernz, n. 254 II, Scholion, et n. 274 Scholion II.

[2] Sess. XIV, cap. 9, *de reform.*

[3] Sess. XXIV, cap. 13, *de reform.*; ibid. cap. 15.

[4] Sess. XXV, cap. 16, *de reform.*

4° **Translatio** habetur si beneficium vel officium de cetero immutatum in novam sedem vel ecclesiam transfertur.

**100. Qu. 2. Num et qua ratione fieri possit magistratuum innovatio.**

**Resp.** Quum quaelibet innovationis species includat quamdam officii vel beneficii diminutionem, magistratuum innovatio **per se prohibita** est vi rubricae cit. tit. 12 *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur;* exinde omnis officii vel beneficii innovatio in iure est res odiosa, quae fieri non potest nisi per **superiorem ad hoc competentem,** necnon **servatis conditionibus a iure praescriptis.**

Generatim innovationis superior competens est, qui est competens ad erectionem perficiendam; omnis enim innovatio est species quaedam erectionis; et hinc conditiones in innovatione servandae sunt analogae conditionibus, quae prescribuntur in facienda erectione. — Speciatim notandum aliquando, v. g. in parochiae divisione, requiri causam canonicam; praeterea in innovatione ab episcopo iure ordinario perficienda opus esse ut accedat consensus capituli cathedralis, necnon patroni in casu iurispatronatus laicalis cessantis per innovationem; tandem attendi debere in innovatione officii vel beneficii vacantis ad normam canonicam statutam in rubricae tit. 9 lib. III *Ne sede vacante aliquid innovetur* (1).

(1) Cfr. Reiffenstuel in cit. tit. 12, nn. 2-31 et 36-83 Wernz, loc. cit. nn. 254-273.

## § 3. De magistratuum suppressione.

***Summarium:*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) suppressionis notio ac supprimendi potestas et conditiones, 2) suppressionis effectus.

**101. Qu. 1. Quid sit magistratuum suppressio, et a quonam ac quanam ratione fieri possit.**

**Resp.** Magistratuum suppressio **intelligitur** totalis eorumdem extinctio in perpetuum facta; hinc ad proprie dictam suppressionem requiritur, ut existens officium vel beneficium penitus amittat suam personalitatem iuridicam, ac omnino desinat esse subiectum iurium ac obligationum, et hac ratione differt ab omni specie innovationis.

Suppressionis **superior competens** idem est, qui est competens ad erectionem, iuxta R. I. 1: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur,* **servatis** tamen **conditionibus a iure praescriptis.** Hae conditiones generatim eaedem sunt quae servandae praescribuntur in perficienda innovatione; sicuti innovatio, ita et suppressio pertinet ad magistratuum diminutionem; speciatim vero, praeter consensum capituli cathedralis et patroni saltem laici, requiritur etiam consensus possessoris actualis beneficii vel officii supprimendi casu quo suppressio effectum habere debet ante ipsius mortem, necnon consensus eorum, quibus competit ius concurrendi, v. g. per electionem, in collatione respectivi beneficii vel officii supprimendi; qui tamen consensus non ita absolute requiritur, ut non possit a S. Sede suppleri, praesertim si irrationabiliter denegaretur (1).

---

(1) Cfr. Reiffenstuel in cit. tit. 12 nn. 32-35; Wernz. loc. cit. nn. 276-280.

**102. Qu. 2. Quinam sint legitimae suppressionis effectus.**

**Resp.** Effectus suppressionis sunt qui sequuntur:

1) Officii suppressi **extinguitur titulus,** ac **cessant iura** omnia tum spiritualia quum temporalia. — Obligationibus vero spiritualibus, quatenus implenda manent, a superiore providendum est alio modo, v. g. eadem transferendo in officia vel beneficia iam existentia aut denuo erigenda; item curandum est, ut bona temporalia, solutis debitis (si quae sunt), applicentur alteri subiecto et scopo ecclesiastico, ne sint res quasi nullius.

2) Deficiente obiecto **extinguuntur iura,** si quae sunt, **in conferendo** suppresso officio vel beneficio antea exercenda per electionem vel praesentationem etc.

3) Praefata iura ita **perfecte extinguuntur,** ut, restaurato forsan postea eodem in specie officio vel beneficio, nequaquam ipso facto reviviscant, sed officii vel beneficii restaurati illa tantum sint iura, quae eruuntur ex iure speciali ac plane nova concessione (1).

## Titulus VII.

## De acquisitione magistratus.

(Decret. lib. I tit. 5, *de postulat praelat.,* tit. 6, *de elect. et electi potest.,* tit. 14, *de aetate et qualitate et ordine praeficiend.,* lib. III tit. 5, *de praeb. et dignit.,* tit. 7, *de institut.,* tit. 8, *de concess. praeb. seu ecclesiae non vacantis,* tit. 9. *ne sede vac. aliquid innovetur,* tit. 12, *ut benef. eccles. sine diminut. conferantur,* tit. 38, *de iure patronatus*).

Cfr. Reiffenstuel, aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz., tom. II, nn. 284-455; Craisson, tom. I, nn. 421 et 466-489; Bargilliat, tom. I, nn. 183-202 et 209-211.

---

(1) Cfr. Wernz, loc. cit. n. 281; Bauduin, Dissert. *de consuetudine in iure canonico,* nn. 293-412, ubi agitur de valore consuetudinum, quae vigebant in dioecesibus Galliae a Pio VII suppressis.

***Synopsis tituli.*** Explicatur hoc titulo ratio, qua magistratus in Ecclesia constituti a singulis magistratibus acquiruntur, quae acquisitio fieri dicitur per provisionem canonicam; huius igitur exponendae sunt conditiones generales, necnon varii modi. Agitur distinctis paragraphis de provisione canonica generatim — de libera collatione — de electione et confirmatione — de postulatione et admissione — de praesentatione et institutione.

## § 1. — De provisione canonica generatim.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) provisionis notio et potestas competens, 2) legitimae provisionis conditiones.

**103. Qu. 1. Quid sit provisio canonica, et quaenam sit eiusdem perficiendae potestas competens.**

**Resp. 1.** Provisio canonica

1) **intelligitur** concessio magistratus (officii vel beneficii) ecclesiastici a competente superiore ecclesiastico personae idoneae definitive seu absolute facta. — Huiusmodi provisio perficitur triplici actu: *a*) designatione personae promovendae, quae ex iure fieri potest tribus modis, nempe ex libero competentis superioris arbitrio, aut per electionem vel postulationem, aut per praesentationem vel nominationem; *b*) collatione tituli, seu ipsius magistratus cum suis iuribus et obligationibus concessione, quae generico nomine institutionis canonicae (latiore sensu) appellatur, speciatim vero vocatur confirmatio in magistratibus electivis, institutio (strictiore sensu) in patronatis, collatio in ceteris; *c*) introductione in possessionem magistratus, quae etiam institutio corporalis vel installatio seu inthronizatio dicitur.

2) **Distinguitur** provisio canonica in ordinariam quae fit a superiore, qui est vi iuris competens, et extraordinariam, quae fit vi tituli specialis v. g. iure devolutionis; — in plenam, quando provisio tota, i. e. tam personae designatio quam collatio tituli, uni eidemque personae competit, et minus plenam, quando praefati actus ad diversas et distinctas personas spectant; — in liberam, quae fit a superiore competente personae ex ipsius arbitrio designatae, et necessariam, quae a superiore competente fit personae iam ex alio titulo ius habenti ad magistratum obtinendum (1).

**Resp. 2.** Ad provisionem canonicam perficiendam **sola potestas ecclesiastica** competens est: patet ex Ecclesiae natura, qua est societas perfecta planeque independens, ac inaequalis sive hierarchica, in qua regimen non est penes potestatem civilem vel populi multitudinem, sed penes Ecclesiae rectores; ad hos igitur solos spectare debet magistratuum concessio, utpote quae principalis quaedam est pars regiminis ecclesiastici: quum autem inter dictos rectores Rom. Pontifex sit verus monarcha, consequens est, ut ad ipsum spectet suprema ac plena de magistratibus ecclesiasticis dispositio, omnisque eorumdem concessio ipso invito facta valore sit destituta. Hinc Conc. Trident. (2) definivit: « Si quis dixerit..... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit ». — Reprobanda igitur omnino est tum theoria et praxis de investituris medio aevo exercitata et propugnata, tum ius regaliae et collationis laicae privilegio pontificio destitutum, sed a Ludovico XIV praetensum et a cano-

(1) Cfr. Wernz, loc. cit. n. 284 et 285.
(2) Sess. XXIII, can. 7.

nistis Gallicanis et aulicis defensum, tum denique hac nostra aetate propugnatum ius civilis potestatis per se praesentandi episcopos, vel attentata praxis de parochorum electionibus faciendis per plebem vel saltem probandis per leges civiles.

Ex **iure** communi **nunc vigenti** hoc est principium generale, ut maiorum magistratuum concessio sit Rom. Pontifici reservata, minorum vero ita soli episcopo (Praelato *Nullius*) sit propria, ut quoad ipsam habeat intentionem in iure [1].

**104. Qu. 2. Quaenam ad legitimam provisionem requirantur conditiones.**

*Praenotandum.* Conditiones requisitae aliae sunt ex parte praeficiendorum, aliae ex parte officiorum concedendorum, aliae ex parte actus provisionis canonicae.

**Resp. 1.** Ex parte **praeficiendorum** requiritur:

1) **Aetatis maturitas** varia pro diversitate magistratuum. — Regula generalis est ex Conc. Trident. [2], ut ad quodcumque beneficium, etiam simplex, obtinendum requiratur saltem annus **14** incoeptus. — Pro Summo Pontifice iure positivo nulla certa aetas est definita; hinc ad validitatem sufficit aetas ex natura rei requisita, nempe aetas discretionis; ad liceitatem vero requiritur aetas perfectior, quae ex decentia est saltem aetas episcopalis. — Pro cardinalibus, etiam presbyteris et diaconis, ex Conc. Trident. [3] videtur requiri aetas episcopalis; at post Sixti V Const. *Postquam* 3 Dec. 1586 pro cardinalibus diaconis sufficit aetas talis, ut infra annum possint recipere diaconatus ordinem, nempe annus 22 in-

---

[1] Cfr. Wernz. loc. cit. nn. 286, 287, 291 et 292.
[2] Sess. XXIII, cap. 6, *de reform.*
[3] Sess. XXIII, cap. 1, *de reform.*

coeptus. — Pro episcopis (etiam patriarchis, primatibus et archiepiscopis) requiritur annus 30 completus (1). — Pro vicariis generalibus, dignitatibus et personatibus cum cura animarum requiritur annus 25 incoeptus (2); et pro poenitentiario ecclesiae cathedralis requiritur annus 40 incoeptus (3). — Pro dignitatibus et personatibus sine cura requiritur annus 22 completus (4). — Pro canonicatibus simplicibus viget praefata regula generalis; notanda tamen dispositio Conc. Trident. (5), ex qua in ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus et portiones habeant adnexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus; hinc requiritur talis aetas, ut promotus infra annum ordinem respective adnexum suscipere possit.

Dispensatio super aetate requisita ex iure communi Rom. Pontifici est reservata; sine hac dispensatione pontificia obtenta invalida est provisio facta non habenti aetatem requisitam (6).

2) **Morum honestas et scientia debita.** Morum honestas consistit in immunitate a criminositate gravi, a censura vel irregularitate aliove impedimento canonico, ac insuper ab infamia tum iuris tum facti; secus provisio facta est saltem irritanda (7); imo provisio facta excommunicatis (sive vitandis sive toleratis), suspensis, personaliter interdictis, utpote simpliciter inhabilibus, est ipso iure

---

(1) C. 7 X. *de elect.*, I, 6.

(2) C. 14, *de elect.*, in 6°, I. 6; Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 12, *de reform.*

(3) Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 8, *de reform.*

(4) Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 12, *de reform.*

(5) Sess. XXIV, cap. 12, *de reform.*

(6) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 14, lib. I, nn. 210-217; Wernz, loc. cit. n. 295.

(7) Cfr. Conc. Trident., Sess. VII, cap. 3, *de reform.*

nulla et irrita. — Scientia debita mensuranda est iuxta qualitatem magistratus concedendi. Hinc generatim requiritur talis, quae necessaria et sufficiens sit ad rite exequendum officium, ad quod quis assumitur; in specie in episcopis requiritur doctoratus vel licentiatus in theologia vel iure canonico, vel saltem publicum alicuius Academiae (in religiosis superiorum) testimonium de docendi idoneitate (1); item praefatus gradus academicus per se requiritur in dignitatibus inferioribus cum adnexa iurisdictione in foro externo, uti sunt vicarius generalis et capitularis (2), similiter in poenitentiario ecclesiae cathedralis (3); imo hortatur Conc. Trident. (4), ut, ubi commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur doctoribus vel licentiatis in theologia vel iure canonico (5). At, iuxta Wernz, excepto officio scholastici, gradus academicus rigorose requiri non videtur.

3) **Clericatus et ordo praescriptus.** Imprimis requiritur clericatus seu status clericalis, ut quis scil. saltem prima tonsura sit initiatus; patet ex c. 2 X *de iudiciis* II. 1, quod sic habet: « Decernimus, ut laici ecclesiastica tractare negotia non praesumant »: quod tamen principium nihil impedit, quominus Rom. Pontifex potestate absoluta etiam laicis iurisdictionem conferre possit (6).

---

(1) Cfr. Conc. Trident., Sess. XII, cap. 2, *de reform.*

(2) Cfr. Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 12 et 16, *de reform.*; in cit. cap. 12 agitur de archidiacono, cui hac in re aequiparatur vicarius generalis.

(3) Cfr. Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 8. *de reform.*

(4) Sess. XXIV, cap. 12, *de reform.*

(5) Cfr. Reiffenstuel, tit. 6, lib. I, nn. 221-234 et nn. 206-209; Wernz, loc. cit., nn. 298 et 299.

(6) Cfr. *Monitore ecclesiastico,* Serie 2ª, tom. VI, p. 28 seqq.

— Quoad ordinem praescriptum notandum generatim requiri illum ordinis gradum, quem expostulat magistratus obtinendus, ita ut promovendus cum clericatu talem ordinis gradum vel actu obtineat, vel saltem habilis sit ad eumdem obtinendum infra annum (1); speciatim in eligendo ad Rom. Pontificatum nullus requiritur ordo, imo nec clericatus; in promovendis ad cardinalatum praeter clericatum et supradictam habilitatem requiruntur saltem ordines minores, ac insuper ut saltem per annum iam gestaverint tonsuram et habitum clericalem (2); assumendus ad episcopatum in ordine sacro (saltem subdiaconatus) antea ad minimum per sex mensium spatium constitutus sit oportet (3). Huc spectat etiam

4) **lex de promovendis dignis vel dignioribus.** « Dignus censetur is — ita Wernz — in quo nulla qualitas vel ex natura officii ecclesiastici, vel iure communi, vel iure speciali sive vi fundationis sive vi privilegii sive consuetudinis sive statuti requisita vere deest; dignior autem sive dignissimus, qui non solum omnes qualitates absolute et relative requisitas habet, sed omnibus consideratis tam praecellenti modo, ut cum ceteris comparatus ad officium ecclesiasticum, de cuius provisione agitur, rite administrandum notabiliter magis idoneus vel aptissimus certo reputetur ».

Praefata **lex intelligenda** est, ex unanimi DD. sententia, non solum de dignitatibus etiam inferioribus, sed et de ceteris beneficiis et officiis curatis, imo, ex sententia communi contra alios, etiam de beneficiis et officiis simplicibus, et quidem hoc sensu, ut scienter

---

(1) Cfr. Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 12, *de reform.*

(2) Cfr. Sixti V, Const. *Postquam*, 3 Dec. 1586.

(3) Cfr. Conc. Trident., Sess. XXII, cap. 2. *de reform.*; Cf. Reiffenstuel, tit. 6, lib. I, nn. 219 et 220; Wernz, loc. cit., nn. 300-303.

promovendo indignum, praetermisso digno, peccatum grave committatur, promovendo vero dignum praetermisso digniore peccatum gravius vel levius pro qualitate beneficii vel frequentia actus [1], — Provisio facta indigno, iuxta Wernz contra Reiffenstuel, generatim videtur esse tantum irritanda, non ipso iure irrita [2], nisi ob expressam iuris dispositionem, aut propter veram promovendi incapacitatem, v. g. ob defectum clericatus; provisio vero facta digno praetermisso digniore, non est ipso iure irrita, neque per sententiam irritanda, nisi expresse ita in iure statuatur [3].

***Nota.*** Si speciales in promovendis conditiones requiruntur ex iure speciali, ex lege fundationis, consuetudine, vel capituli statuto etc., hae ex dispositione Conc. Trident [4] adamussim sunt servandae

**Resp. 2.** Ex parte **officiorum concedendorum** requiritur:

1) Ut officium concedendum **vacet:** porro officii non vacantis provisio, imo et promissio, facta a praelato Rom. Pontifice inferiore, est prorsus irrita, neque convalescit subsequente vacatione [5]; ipse autem Rom. Pontifex post Conc. Trident. sua hac in re potestate utitur in solo fere casu constituendi coadiutoris cum iure successionis pro sedibus episcopalibus.

Triplici modo vacare potest aliquod officium:

---

[1] Cfr. Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 1, *de reform.*, coll. prop. 47 damnata ab Innocentio XI 2 Mart. 1679.

[2] Cfr. Conc. Trident., Sess. VII, cap. 3, *de reform.*, coll. c. 14, *de elect.*, in 6°, I, 6.

[3] Cfr. Reiffenstuel, tit. 6, lib. I, nn. 235-250; Wernz, loc. cit., nn. 309-312.

[4] Sess. XXV, cap. 5, *de reform.*

[5] Cfr. c. 2 X, cit. tit. 8, lib. III; Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 19, *de reform.*

de facto tantum, quando is, qui officii titulum habet, illum pro nunc actualiter non possidet; — de iure tantum, quando officium actualiter possidetur ab aliquo, qui eiusdem titulum vere non habet; — de iure ac de facto, quando officii neque titulus neque actualis possessio ab aliquo tenetur. — Concedi possunt officia et beneficia, quae vacant de iure ac de facto simul; item quae vacant de iure tantum, quo tamen in casu novus possessor in actualem possessionem introduci non potest, nisi (excepta facti notorietate) praemissa summaria cognitione de nullitate tituli in actuali possessore [1]. — Concedi non potest officium vel beneficium vacans de facto tantum; ratio est quia huiusmodi officium vel beneficium, utpote de iure ad aliquem pertinens, revera non vacat [2].

2) Ut officia et beneficia **singula singulis conferantur**, non plura uni eidemque, ex Conc. Trident. [3] statuente, « ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur ». — Haec regula intelligenda est imprimis de omnibus beneficiis et officiis residentialibus, deinde de omnibus beneficiis vel officiis saecularibus, etiam simplicibus, quae sunt uniformia et sub eodem tecto, quales sunt v. g. duo canonicatus in eadem ecclesia collegiata, tandem alia beneficia vel officia, quaecumque sunt, nisi unum insufficiens sit ad honestam vitae sustentationem; insuper notandum, absque dispensatione apostolica uni eidemque concedi non posse tertium beneficium vel officium, etiamsi duo alia non sufficiant ad honestam sustentationem. — Patet proinde quaenam officia dicenda sint incompatibilia, quaenam compatibilia.

---

[1] Cfr. c. 6 X, cit. tit. 8, lib. III.

[2] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 8, lib. III, nn. 2-22; Wernz, loc. cit., nn. 313-315.

[3] Sess. XXIV, cap. 17, *de reform.*

Prohibita officiorum vel beneficiorum pluralitas non efficit interdictam, multo minus irritam collationem alterius officii vel beneficii, sed prohibet duorum officiorum simultaneam possessionem, ita ut post obtentam pacificam possessionem secundi officii vel beneficii primum ipso iure vacet; quodsi quis etiam primum simul cum secundo retinere praesumat, ipso iure utroque privatus existit [1],

3) Ut officia vel beneficia **sine diminutione conferantur:** patet ex rubrica tit. 12 lib. III, quae rubrica, utpote sensum perfectum habens, constituit normam canonicam [2]. — Licet nomine diminutionis in sensu rubricae cit. tit. comprehendatur etiam omnis species innovationis, hic tamen diminutio **specialius accipitur** pro gravamine, quod officio vel beneficio infertur, addito onere sive spirituali sive temporali; exinde distinguitur **triplex** huiusmodi diminutionis **species:**

a) Per impositionem obligationum spiritualium, quae antea officio vel beneficio non erant adnexae; v. g. verbi Dei praedicatio, missae celebratio, chori assistentia: quales novas obligationes collator Rom. Pontifice inferior imponere non potest, nisi forte ad tempus ex urgente servitii ecclesiastici necessitate.

b) Per praestationes seu solutiones a promovendo faciendas. Huiusmodi praestationes, quae cedant in commodum collatoris vel eligentium vel patronorum etc. omnino prohibentur, utpote quae simoniacae labis vel saltem sordidae avaritiae suspicionem habent; permittuntur tamen convertendae in pios usus, dummodo moderatae sint, ita scil. ut pro proviso servetur congrua portio pro ho-

---

[1] Conc. Trident., Sess VII, cap. 4, *de reform.* — Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. III, nn. 201-244; Wernz, loc. cit., nn. 317-313.

[2] Cfr. n. 12 III, 2) a).

nesta sustentatione, ac statuantur absque formali pacto cum promovendo [1].

***Nota.*** Praedicta prohibitione non comprehenduntur annatae, quo nomine intelligitur certa pars fructuum ex beneficiis Sedi Apostolicae reservatis in eorumdem collatione camerae apostolicae solvenda; neque etiam quindennia, quae sunt taxa quaedam annatis aequivalens, singulis quindenniis solvenda ex fructibus officiorum incorporatorum monasteriis vel aliis corporibus moralibus ecclesiasticis; huc spectant etiam solutiones, quae fieri solent et debent occasione pallii recepti. — Quae praestationes Rom. Pontifici solvendae statutae fuere, tum ut subveniatur necessitatibus Rom. Ecclesiae, atque ad sustentationem Cardinalium aliorumque officialium Curiae, tum praesertim in recognitionem supremae suae potestatis, utque inferiores praelati contineantur in obedientia Sedis Apostolicae.

c) Per impositionem oneris temporalis, praesertim pensionis ecclesiasticae. Est autem pensio ecclesiastica [2], de qua sola hic est sermo, ius percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio auctoritate superioris ecclesiastici cuipiam clerico iusta de causa constitutum. — Duplex distinguitur pensionis species: una quae imponitur ad vitam beneficiati, ideoque constituit non tam onus reale ipsius beneficii, quam potius personale beneficiati, et dicitur temporanea, altera quae conceditur vel absolute in perpetuum vel saltem ad vitam pensionarii, ideoque constituit onus reale ipsius beneficii, et dicitur perpetua.

Impositio pensionis hoc sensu iure communi

---

[1] Cfr. Conc. Trident., Sess. XXIV, cap. 14, *de reform.*

[2] Alia pensio dicitur laicalis, quae ex bonis ecclesiasticis datur laicis propter servitium potius temporale quam spirituale, v. g. organistae.

est prohibita, ut collator Rom. Pontifice inferior nonnisi temporaneam pensionem, existente iusta causa, imponere possit (1). — Deinde ex iure communi pensiones, etiam temporaneae imponi non possunt, nisi beneficiis, quae habeant redditus superfluos, et his ita moderate, ut, interpretante praxi, sola tertia pars reddituum stricte beneficialium pensionibus gravari possit; speciatim ex Conc. Trident. (2) « cathedrales ecclesiae, quarum reditus summam ducatorum (3) mille, et parochiales, quae summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur »; imo per decretum Innocentii XII 11 Nov. 1692, confirmatum a Benedicto XIII Const. *Quanta pastoribus* prohibitum est, ne Ordinarii aut alii collatores ecclesiarum parochialium, etiam iuris patronatus laicalis, ullo modo pensiones imponant, neve earumdem resignationes et permutationes admittant cum reservatione pensionis favore cuiuscumque et quovis titulo etiam alimentorum. — Tandem in imponendis ab Ordinario pensionibus requiritur consensus capituli, quoniam pensionis impositio est quaedam species alienationis, necnon ipsius beneficiati nisi in casibus a iure exceptis (v. g. quando beneficiato inhabili dandus est coadiutor), ac tandem patroni, si agitur de beneficio patronato (4).

(1) Plures canonistae docent sola Rom. Pontificis auctoritate imponi posse pensiones etiam temporaneas. At haec doctrina contraria est praxi, ex qua, sciente et non contradicente Apostolica Sede, temporaneae pensiones ab episcopis imponuntur. Cfr. Sebastianelli, *Praelect. iuris canonici, De rebus* n. 243.

(2) Sess. XXIV, cap. 13, *de reform.*

(3) Ducatum (nummus neapolitanus) = libellae 4,50.

(4) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 12, lib. III, nn. 84-106; Wernz, loc. cit. n. 321 III, ubi etiam explicantur pensionarii obligationes et iura, necnon pensionis extinctio vel amissio.

**Resp. 3.** Ex parte **actus provisionis canonicae** requiritur:

1) Ut provisio fiat **libere,** absque vi et metu, secus provisio est saltem rescindibilis, **uni** determinataeque **personae,** non duabus sive copulative sive alternative, sive etiam uni post mortem alterius, **absolute et pure,** absque externa conditione sive suspensiva sive resolutoria, item absque modo vel pacto, quae non iam ex natura rei provisioni insunt, sed extrinsecus ad instar conditionis apponuntur, **gratis et absque simonia,** necnon **stabiliter** iuxta naturam officii vel beneficii concedendi, ac **intra tempus** a iure definitum.

2) Ut servetur **forma requisita** a iure communi, vel ex lege fundationis, vel a particularibus statutis vel consuetudinibus legitimis: qua in re notanda est forma concursus in conferendis parochiis a Conc. Trident. (1) praescripta. — Scriptura ad validam provisionem ex iure communi generatim non requiritur; requiritur autem ordinarie ad legitimam probationem factae provisionis (2).

## § 2. — De libera collatione.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua explicatur liberae collationis notio, et designatur auctoritas ad liberam collationem competens.

### 105. Qu. Quid veniat nomine liberae collationis, et quinam sint legitimi collatores.

**Resp. 1.** Collatio libera **definitur** concessio officii vel beneficii ecclesiastici vacantis clerico idoneo a competente

---

(1) Sess. XXIV, cap. 18, *de reform.*

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit, tit. 5, lib. III, nn. 125-131; Wernz. loc. cit., n. 323.

superiore ecclesiastico pleno iure canonice facta: qua in definitione notanda sunt verba *pleno iure,* quibus denotatur provisio facta nulla interveniente aliorum electione vel postulatione, aut praesentatione vel nominatione, et exinde libera collatio distinguitur ab aliis provisionis modis.

**Legitimus collator** triplex generatim distinguitur: *a*) supremus, qui est Rom. Pontifex in universa Ecclesia; *b*) ordinarius, qui est episcopus in sua dioecesi; *c*) extraordinarius, qui est alius praelatus ex titulo speciali vel singulari privilegio.

**Resp. 2. Rom. Pontifex** de iure communi [1] habet potestatem libere conferendi totius orbis terrarum ecclesiastica officia et beneficia omnia. Quod suum ius supremum ex iure vigenti exercet

1) in **episcopatibus** cuiuscumque gradus, etiam patriarchalis, ita ut eorumdem provisio, quae alicubi fit ab alio praelato, aut praevia collegii ecclesiastici electione canonica, aut gubernii civilis nominatione vel praesentatione nitatur iure speciali et privilegiis pontificiis. — Deinde

2) etiam ad **beneficia minora** dioecesium extenditur Rom. Pontificis ius liberae collationis, idque quatuor modis:

**a**) iure praeventionis, quando Papa cuipiam confert litteras exspectativas ad beneficium vel officium nondum vacans, sed vacaturum, sive determinatum sive indeterminatum: qui modus conferendi solius Rom. Pontificis proprius est ob plenitudinem suae potestatis [2]; neque enim alteri cuiquam concessum est dare ius ad beneficium nondum vacans [3];

**b**) iure concursus, quando Papa confert beneficium vere vacans concurrendo cum ordinario collatore

---

[1] Cfr. c. 2, *de praeb.*, in 6° III 4.
[2] Cfr. c. 2, *de praeb.*. in 6° III 4.
[3] Cfr. dicta n. 104, Resp. 2 1).

inferiore extra casum neglectae collationis, ita ut cum eodem cumulativam exerceat in conferendo potestatem: quo in casu inter Papam et inferiorem collatorem ordinarium datur locus praeventioni, ita ut qui prior tempore contulerit, eius collatio sit rata iuxta R. I. 54 in 6° *Qui prior est tempore, potior est iure;* in dubio de prioritate collationis potior erit conditio possidentis, et si neuter possidet praevalet collatio pontificia propter conferentis ampliorem praerogativam (1);

c) iure devolutionis, quando Papa confert beneficium vel officium ob admissam ab inferiore collatore in provisione negligentiam, non conferendo infra legitimum tempus, aut culpam, conferendo scienter indigno vel non servata forma canonica. — Huiusmodi devolutio fit ad superiorem immediatum, ad episcopum scil., admissa negligentia vel culpa ab inferioribus in conferendis beneficiis ipsis subiectis, ad metropolitanum in casu negligentiae vel culpae in conferendo admissae ab episcopo, ac tandem ad Rom. Pontificem; gradus siquidem medii primatum et patriarcharum cum quadam iurisdictione in Ecclesia occidentali generatim non amplius existunt. Hinc, nullo existente gradu medio immediate ad Rom. Pontificem devolvitur collatio in casu negligentiae vel culpae admissae a metropolitano vel ab episcopo exempto, item provisio ecclesiae cathedralis, utpote Romano Pontifici reservata, in casu electionis a Capitulo intra legitimum tempus non celebratae vel incanonice celebratae.

d) **iure reservationis**, quo alicuius officii vel beneficii vacaturi collationem in perpetuum ad se avocat Rom. Pontifex, aut **iure affectionis,** quo pro unico tantum casu dicta avocatio decernitur.

Inter reservationes habetur unica in corpore iuris

(1) Cfr. c. 31, *de praeb.*, in 6° III 4.

clausa (1), quae est de officiis vacantibus apud S. Sedem; — accedunt reservationes in Regulis Cancellariae contentae, praesertim Regula II, qua reservantur omnes ecclesiae patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales: Regula IV, qua reservantur omnes dignitates maiores post pontificales in ecclesiis cathedralibus, etiam metropolitanis et patriarchalibus, necnon .... principales in collegiatis ecclesiis: Regula IX, qua statuitur reservatio certorum officiorum octo mensibus, qui exinde dicuntur menses papales, ita ut quilibet tertius mensis relinquatur episcopo; quae reservatio in favorem episcoporum residentium (id quod nostra aetate sine dubio regulariter obtinet) statuitur simpliciter alternativa mensium inter Rom. Pontificem et episcopos; — tandem habentur reservationes poenales in variis Rom. Pontificum constitutionibus sancitae. — Notandum tamen hasce reservationes in pluribus regionibus esse restrictas, imo in aliquibus omnino abrogatas, ita ut ex concordatis vel ex scriptoribus de iure particulari discendum sit, quaenam in qualibet regione vigeant reservationes.

Affectio fit per manuum impositionem (uti dicitur) ex parte Rom. Pontificis, quando scil. Papa, aliter non reservando beneficium, se intromittit circa ipsius provisionem, ad finem scil. illud beneficium conferendi. Huic maior inest efficacia quam reservationi; affectio enim, etiam sine addito decreto irritante, actus in contrarium gestos irritat, et ligat ignorantes: reservatio autem ignorantes non ligat, neque ex sese irritat actus in contrarium gestos, nisi expresse addita sit clausula irritans (2).

***Nota.*** Collationes beneficiorum inferiorum a Rom.

---

(1) Cfr. c. 2, 3, 34, et 35, *de praeb.*, in 6° III 6.

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. III, nn. 150-166 et nn. 378-533; Wernz, loc. cit., nn. 332-334.

Pontifice fiunt aut in forma gratiosa, si rescriptum continet ipsam provisionem, aut in forma dignum, si episcopus antequam clero officium concedit inquirere debet de eiusdem idoneitate, aut in forma commissoria, si mandatum fit de conferendo beneficio (1).

**Resp. 3. Episcopus** est collator ordinarius omnium officiorum ecclesiasticorum suae dioecesis, exceptis reservatis Sedi Apostolicae. — Imo habet hac in re intentionem fundatam in iure, ita ut nemo alius possit sibi vindicare collationem, vel episcopi in conferendo libertatem, praetextu sive electionis sive praesentationis sive nominationis, coarctare, nisi ex plene probato titulo speciali privilegii apostolici, vel legis expressae in tabulis fundationis, vel praescriptionis seu consuetudinis centenariae aut immemorialis. — Haec autem intentio in iure fundata in favorem episcopi non extenditur ad dignitates, personatus, canonicatus capitulorum sive cathedralium sive collegiatarum, siquidem eorumdem provisio ex iure communi et ex praxi probata est ordinata legibus specialibus, quibus standum est, nisi probetur exceptio legitima.

In hac materia episcopis aequiparantur praelati inferiores, qui in aliquod territorium determinatum exercent potestatem quasi episcopalem.

Sede episcopali vacante capitulum cathedrale vel vicarius capitularis officia libere conferre saltem ordinarie non potest (2); potest tamen in casu capitulum vel vicarius capitularis confirmare electiones ad beneficia celebratas aut eas iusta exigente causa infirmare (3), necnon prae-

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. III, nn. 167-173.

(2) Cfr. c. 2. X, *ne sede vacante*, III 9.; c. unic. *ne sede vacante*, in 6° III 8.

(3) Cfr. c. 14 X, *de maior., et obed.* I 33.

sentatos a patronis ad beneficia instituere (1). Ratio disparitatis est, quia collatio libera est quaedam liberalitas et donatio, quae soli episcopo reservantur; contra confirmatio electi et institutio praesentati sunt necessariae, et electo et praesentato, si sunt idonei, debitae (2).

**Resp. 4. Extraordinarii collatores** sunt:

**a**) Legati a latere ex ipsius legationis officio sive ex potestate ordinaria in sua provincia, non vero legati nati vel missi, nisi id specialiter eisdem fuerit indultum.

**b**) Cardinales vere et proprie in Curia Romana residentes in suis diaconiis vel titulis.

**c**) Praelati inferiores ex titulo speciali, prout superius sub Resp. 3.

**d**) Tandem iure devolutionis ius conferendi officium in immediatum superiorem ecclesiasticum ipso iure transfertur ob culpam vel negligentiam in provisione admissam ab alias competente collatore, vel a collegio electorum, vel a patrono (3).

## § 3. — De electione et confirmatione.

***Summarium.*** Quinque sunt huius paragraphi quaestiones: 1) electionis notio et varia forma; 2) electores et eligendi; 3) legitimae electionis conditiones; 4) electionis intimatio et confirmatio; 5) electionis effectus.

### 106. Qu. 1. Quid sit electio, et quaenam eiusdem varia forma.

**Resp. 1.** Electio sensu latiore sumitur pro quovis modo designandi personam promovendam; strictiore

---

(1) Cfr. c. I, *de institut.* in 6° III 6.

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. III, nn. 175-190; Wernz, loc. cit., nn. 337-345.

(3) Cfr. Wernz, loc. cit., nn. 347-350.

autem et proprio, et generico [1], prout hoc titulo, intellecta electio **definitur:** Personae idoneae ad officium ecclesiasticum vacans per eos, quibus ius suffragii competit, canonica vocatio. Dicitur: personae idoneae, i. e. dignae et de iure non impeditae, — vocatio, siquidem per electionem officium ipsum non conceditur, prout per collationem, sed persona promovenda tantum designatur, — canonica, i. e. facta iuxta ss. canonum praescripta.

**Resp. 2.** Electionis **forma** legitima triplex in iure [2] designatur:

**a**) Forma scrutinii intelligitur ea, quae praesentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt interesse, celebratur per factam a tribus de collegio fide dignis secretam collectionem suffragiorum circa eam personam, in quam maior saltem pars consentit. — Ad huius formae substantiam hi qui sequuntur actus pertinent: deputatio trium scrutatorum e numero eligentium; suffragiorum inquisitio sive scrutinium, quo singuli electores secreto, aut viva voce coram tribus scrutatoribus, aut aptius iurique conformius scripto suum dant suffragium; suffragiorum collatio, hodie solius numeri ad numerum [3], ac publicatio; tandem consentiente in unum eligentium parte absolute maiore, electio solemnis per

---

[1] Sensu magis specifico electio intelligitur personae idoneae ad vacantem praelaturam pastoralem canonica vocatio per eos capitulares, quibus ius suffragii competit.

[2] Cfr. c. 42 X, *de elect.* I. 6; in quo cap. reliquae formae, praesertim electio per sortes, reprobantur.

[3] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 371 IV. — Antea fiebat etiam collatio zeli ad zelum, quo scil. eligentium prudentia, probitas et motiva erant consideranda, ut inde erueretur, quae esset sanior pars, necnon meriti ad meritum, ita ut examinarentur et inter se compararentur virtutes, scientia, prudentia eorum, qui suffragia retulissent. Cfr. Santi-Leitner, in cit. tit. 6, lib. I, n. 18.

decretum electionis publice in communi coram electoribus promulgandum.

b) Forma compromissi intelligitur ea, qua electores facultatem eligendi expresso et unanimi consensu transferunt in unum vel plures determinatos viros idoneos, clericos scil. etiam extraneos, qui tamquam compromissarii nomine et iure omnium electorum officio vacanti de magistratu provideant. — Huiusmodi compromissum dicitur aut absolutum, si facultas eligendi in compromissarios sine ulla conditione restrictiva est translata, aut limitatum, si eligendi facultas tribuitur cum certa restrictione, v. g. quoad personam eligendam, formam electionis etc.; cuius compromissi limitati species peculiaris est, cui adiecta est conditio eligendi, exquisitis secreto singulorum votis, quem collegii pars maior elegerit. — Cessat compromissariorum facultas non solum facta electione, etiamsi effectum non sortiatur, sed et legitima revocatione facta ab electoribus de iure re adhuc integra.

c) Forma inspirationis communis, quae dicitur quasi-inspiratio [1], intelligitur ea, qua nullo praecedente tractatu electores omnes in loco electionis congregati unanimiter simul in unum absque ulla contradictione vel haesitatione statim consentiunt.

*Nota.* Ex praedictis formis una in electionibus, quibus vacantibus ecclesiis cathedralibus providetur, adeo necessario adhibenda est, ut secus electio sit nulla et irrita [2]. — In reliquis electionibus magistratuum ecclesiasticorum una ex praedictis formis in rigore iuris ad valorem actus non est praescripta, sed laudabiliter adhiberi potest, nisi iure speciali de contrario cautum sit, uti

---

[1] Inspiratio vera habetur, quando persona promovenda a Deo per proprie dictam revelationem designatur, veluti S. Mathias.

[2] Ex cit. c. 42 X, de elect., I. 6.

v. g. Conc. Trident. Sess. XXV, cap. 6, *de regularibus* de forma scrutinii per secreta vota in electionibus regularium exclusive adhibenda (1).

**107. Qu. 2. Quinam eligere, et eligi possint.**

**Resp. 1.** Legitimi **electores** sunt clerici, et quidem iure ordinario, qui sunt membra collegii ecclesiastici iure eligendi praediti, vel etiam iure extraordinario, scil. ex consuetudine legitime praescripta vel privilegio apostolico, extranei, nec aliunde iure eligendi privati existunt.

Porro iure eligendi privati existunt *a*) ob defectum discretionis amentes et impuberes, *b*) ob defectum ordinis sacri canonici ecclesiae cathedralis nondum subdiaconi, *c*) ob censuram excommunicati (vitandi per se, non vitandi per exceptionem), suspensi vel absolute seu simpliciter vel saltem ab officio, personaliter interdicti vel interdictum locale violantes, *d*) ob delictum privati voce activa, necnon infames infamia iuris saltem post sententiam declaratoriam. — Praeterea iure eligendi privantur pro hac vice, qui intra tempus legitimum eligere neglexerunt, vel scienter indignum elegerunt, vel electionem per abusum saecularis potestatis fieri permiserunt (2).

**Resp. 2. Eligi** possunt, qui iure non arcentur: arcentur autem *a*) alii ex defectu requisitae qualitatis positivae, nempe aetatis scientiaeque competentis, ac ordinis, vel etiam ex defectu legitimorum natalium vel alterius conditionis praescriptae (v. g. vacationis ab officio),

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 2-8, 61-78 sqq., praesertim 110-112 et 132-137; Wernz, loc. cit., nn. 352, 369-379.

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 159-180; Wernz, loc. cit., nn. 353-360.

praeterea irregulares ex defectu; *b*) alii ex delicto, ex quo ipso facto existunt vel in poenam declarati sunt inhabiles vel privati voce passiva, praeterea omnes, qui sunt irregulares ex delicto, vel semel iam reiecti in alia electione ob vitium personae; *c*) alii ex censuris vel poenis vindicativis, excommunicati scil. etiam tolerati, suspensi, personaliter interdicti, violatores interdicti localis per celebrationem, depositi, degradati etc.

Si quis ab electione arcetur ex defectu, electio facta est ipso iure nulla; si ex delicto, electio est invalida casu quo nullitas in iure est expresse statuta, secus irritanda; si ex censura vel poena vindicativa, electio est ipso iure irrita [1].

**108. Qu. 3. Quaenam requirantur conditiones ad legitimam electionem.**

**Resp. Electio legitima requirit:**

**a**) Ut officium, cui providendum est, vere vacet [2], secus electio est ipso iure nulla; praeterea ante vacationem iure excluditur omnis circa futuram electionem tractatus, qui nihilominus factus ipso iure est nullus, et electio vi istius tractatus facta cassari debet [3].

**b**) Ut vocentur omnes, qui iure eligendi gaudent et volunt et possunt commode vocari: qui non fuerit vocatus, potest intra tempus a iure ad electionem concessum agere de contemptu, ut electio forte iam confirmata irritetur; si vero tertia parte numeri electorum plures non sunt vocati, electio ipso iure nulla est [4]. — Electio per

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 204-234; Wernz, loc. cit., nn. 361-364.

[2] Cf. dicta n. 104, Resp. 2, 1).

[3] Cfr. Wernz, loc. cit., n. 365.

[4] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 115-120; Wernz, loc. cit., n. 366 cum nota (77).

procuratorem (non per litteras) per se et generaliter non prohibetur, modo elector absens sit a loco electionis et legitimo impedimento detineatur; huiusmodi autem procurator constituendus est e ceteris electoribus, nisi hi consensu unanimi admittant extraneum (1).

c) Ut electio celebretur intra legitimum tempus, quod est (salvis dispositionibus specialibus) trimestre si agatur de regulari vel cathedrali ecclesia, semestre, si agitur de aliis beneficiis, et decurrit a die vacationis cognitae, iusto tamen impedimento cessante (2).

d) Ut sit electio libera, independens scil. ab arbitrio potestatis saecularis, et ab alia quacumque determinatione personae eligendae, secus electio facta in priore casu est ipso iure nulla, in posteriore saltem irritanda vel rescindibilis; ac insuper celebretur collegialiter, i. e. electoribus in unum congregatis, quod est de substantia electionis (3).

e) Tandem ut facta electio effectum habeat, requiritur consensus in unum eumdemque partis absolute maioris respectu iure eligentium praesentium. Dicitur praesentium, siquidem absentium, sive ex non-accessu sive ex recessu (nisi forte, non instante termino ad electionem praefixo, maior pars recedat), item praesentium sed non votantium vel schedulam vacuam emittentium nulla habenda est ratio. Dicitur partis absolute maioris, i. e. maioris relate ad numerum omnium votantium, ita ut non sufficiat pars relative tantum maior, i. e. relate ad alias minoritates: sic v. g. ex octo votantibus requiruntur quinque, nec sufficiunt quatuor relate ad

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 181-196; Wernz, loc. cit. n. 366.

(2) Cfr. Wernz, loc. cit. n. 368.

(3) Cfr. Wernz, loc. cit., n. 367.

duas minoritates duorum, vel trium et unius; sufficit tamen quilibet excessus ultra medietatem, ita ut v. g. ex novem votantibus quinque constituant partem absolute maiorem [1].

De variatione votorum, et de accessu cfr. Reiffenstuel cit. cit. 6, lib. I. nn. 290-309.

***Nota.*** Ex iure scripto [2] ad validam electionem requiritur maior simul et sanior pars [3]; at quum ex disciplina vigenti non amplius fiat collatio zeli ad zelum et meriti ad meritum, sed solius numeri ad numerum, praefatum iuris praescriptum hodiedum intelligendum est hoc sensu, ut maior pars habenda sit etiam sanior, nisi electus ceteroquin indignus reperiatur: quo quidem casu electio caret effectu, non quidem ex defectu formae, sed ex qualitate personae [4].

**109. Qu. 4. Num et qualis requiratur electionis intimatio et confirmatio.**

**Resp. 1.** Electionis **intimatio** ipsi electo ab electoribus fieri debet quam citius commode fieri potest [5]; quod si factum non fuerit infra octiduum, secluso tamen legitimo impedimento, electores culpabiles excluduntur ab omni ulteriore actu in hac electione [6].

Electus infra mensem a die intimatae electionis (si non est sui iuris, v. g. regularis, ab obtento superioris assensu, quem tamen quam citius fieri potest petere debet) tenetur declarare suam de accipienda electione sententiam, secus, cessante tamen legitimo

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 138-141, 197-203.
(2) Cfr. c. 42 X, *de elect.*, I. 6.
(3) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 142-148.
(4) Cfr. Santi-Leitner, lib. I, tit, 6, n. 18 in fine.
(5) Cfr. c. 6. *de elect.*, in 6°, I. 6.
(6) Cfr. c. 16, *de elect.*, in 6°, I. 6.

impedimento, ipso facto privatus est iure ex electione sibi quaesito (1).

**Resp. 2.** Ut electio plenum obtineat effectum, requiritur **confirmatio,** nisi eadem ex natura rei haberi non possit (velut in electione Rom. Pontificis), vel ex iure speciali non exigatur (ut non raro in electione Abbatum exemptorum vel Generalium regularium), vel a superiore competente per legem scriptam aut per legitimam consuetudinem electioni rite celebratae iam antecedenter data sit, sicuti in electione vicarii capitularis. — Quae confirmatio necessario ex iustitia electo est concedenda, nisi, instituta inquisitione de meritis electi ac de forma electionis, sive in persona electa sive in actu electionis vitium quoddam reprehendatur, salva tamen Rom. Pontificis plenitudine potestatis officio vacanti alio modo providendi.

Pertinet confirmatio iure ordinario ad immediatum superiorem ecclesiasticum (2), excepta confirmatione saltem episcopi, quae ex disciplina vigente Rom. Pontifici reservatur.

Peti debet confirmatio ab electo generatim infra trimestre (3), et speciatim ab electo ad ecclesiam cathedralem vel regularem, cuius confirmatio spectat ad Sedem Apostolicam, infra mensem (4) computandum a praestito consensu sub poena amittendi omne ius acquisitum ex electione (5).

---

(1) Cfr. cit. c. 6, *de elect.*, in 6°. Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 310-318; Wernz, loc. cit., n. 380; Santi-Leitner, cit. tit. 6, lib. I, n. 39.

(2) Cfr. c. 13. 21. 32 X. *de elect.*, I. 6.

(3) Cfr. cit. c. 6, *de elect.*, in 6°.

(4) Cfr. c. 16, *de elect.*, in 6°, I. 6.

(5) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I, nn. 319-327; Wernz, loc. cit. nn. 382-384.

**110. Qu. 5. Quinam sit electionis effectus.**

**Resp.** Electionis effectus est:

1) **Ante confirmationem** electus habet tantum **ius ad rem,** seu ius ad praelaturam per confirmationem sibi concedendam [1], ita ut nondum sit verus sui tituli possessor, nec habeat proinde ullum ius sese immiscendi administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus; quod si faciat, etiam sub oeconomi vel procuratoris titulo, iure ex electione quaesito ipso facto privatur [2].

2) **Post confirmationem** electus habet **ius in re,** ac proinde potestatem iurisdictionis, sive ius administrationis in spiritualibus et temporalibus, cuius tamen iuris plenum validumque exercitium ipsi non competit, nisi exhibitis capitulo apostolicis provisionis suae litteris [3]; ac fruitur reliquis honoribus ac privilegiis dignitatis suae, exceptis iis quae soli episcopo consecrato competunt [4].

***Nota.*** **Consecratio episcopi,** quae ex disciplina nunc vigente in Ecclesia latina Rom. Pontifici est reservata, fieri debet intra trimestre a die cognitae confirmationis obtentae, sub poena restituendi, et quidem ante omnem sententiam declaratoriam, fructus perceptos, imo si consecratio differatur ultra aliud trimestre confirmatus ipso iure privatur ecclesia sua, ita tamen ut sententia declaratoria praecedere debeat. — Consecrationis episcopalis effectus is est, ut episcopus ob plenitudinem sacerdotii omnes actus etiam episcopalis ordinis exercere

[1] Cfr. dicta n. 109, Resp. 2.

[2] Cfr. Pii IX, Const. *Rom. Pontifex* 28 Aug. 1873, apud Santi-Leitner, cit. tit. 6, lib. I, n. 43.

[3] Cfr. c. I. *de elect.*, in Extrav. comm. I. 3, coll. Const. *Apostolicae Sedis* inter suspensiones Rom. Pontifici reservatas sub n. 1.

[4] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 6, lib. I. nn. 26-54.; Wernz, loc. cit. nn. 381, 385 et 386.

possit; archiepiscopi tamen nonnisi obtento pallio plenum exercitium suae potestatis consequuntur.

**Abbates** etiam exempti infra annum a die electionis debent suscipere benedictionem ab episcopo dioecesano, vel saltem ter humiliter petere, nisi habeant indultum apostolicum suscipiendi benedictionem a quocumque episcopo vel a superioribus eiusdem ordinis [1].

### § 4. — De postulatione et admissione.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) postulationis notio, 2) postulatores et postulandi, 3) postulationis conditiones, 4) postulationis intimatio, praesentatio et admissio.

**111. Qu. 1. Quid sit postulatio, et quanam ratione differat ab electione.**

**Resp. 1.** Postulatio hac in materia **dicitur** collegii electorum petitio competenti superiori ecclesiastico praesentata, ut ad praelaturam ecclesiasticam dispensative admittere velit determinatam personam, quae ob aliquod impedimentum canonicum eligi non potest. — Haec est postulatio propria dicta, quae et solemnis appellatur, ut distinguatur ab altera postulationis specie, quae simplex vocatur, ac intelligitur petitio licentiae, qua competens superior ecclesiasticus consentiat in electionem factam vel faciendam de persona sibi subdita, nullo alias impedimento canonico ligata.

**Resp. 2.** Postulatio **differt ab electione** multiplici ex ratione, primario vero et essentialiter ex eo, quod electio est de persona ad praelaturam habili, nullo scil. impedimento canonico ligata, postulatio autem est de persona inhabili ex aliquo impedimento canonico,

---

[1] Cfr. Wernz, loc. cit. nn. 387 et 388.

ob quod eligibilis non est, ac propterea dispensatione opus habet; hinc electio innititur iure, siquidem confert ius ad praelaturam, ita ut per se absque iniuria reiici non valeat; postulatio innititur gratia, quia nullum ius tribuit postulato, qui proinde admittitur ex sola gratia, et per se sine iniuria reiici potest. — Ex quibus patet postulationem esse in subsidium electionis, nimirum ut illi, qui secundum canones eligi non possunt, saltem postulari atque ex superioris gratia dispensative promoveri valeant (1).

**112. Qu. 2. Quinam postulare et postulari valeant.**

**Resp. 1. Postulare possunt** omnes et soli illi, quibus competit ius eligendi; ratio habetur ex eo quod postulatio concessa est in subsidium electionis, ut qui per canones eligi prohibentur, saltem per postulationem ex superioris gratia dispensative in praelatum haberi valeant; sed concesso iure principali, etiam concessum intelligitur ius subsidiarium iuxta R. I. 42 in 6.° — Etiam compromissarii postulare non prohibentur, nisi in compromisso expresse fuerit interdictum.

Scienter postulantes de iure impostulabilem ipso facto pro illa vice privantur iure postulandi et eligendi (2).

**Resp. 2. Postulari possunt** (atque postulandi sunt ita ut non possint eligi), qui de cetero digni et idonei, stricto sensu non sunt eligibiles ex defectu, qui a competente superiore auferri potest et solet, nec aliunde speciali et expressa lege Ecclesiae postulari prohibentur.

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. I, nn. 2-26; Wernz, loc. cit. n. 391.

(2) Cfr. c. 1, 2 X, *de postul.* I. 5.

Speciatim notandum, episcopos confirmatos, licet nondum consecratos, sicut et episcopos titulares esse postulandos (non eligendos): ratio petitur ex vinculo existente inter episcopum confirmatum et suam ecclesiam, quod vinculum nonnisi auctoritate pontificia solvi potest; contra tantum electos esse eligendos (non postulandos). — Cardinales qui non sunt episcopi, ex communiore contra paucos, sunt eligendi, nec possunt solemniter postulari, siquidem in Cardinalibus non episcopis non habetur illud vinculum coniugii spiritualis cum ecclesia titulari, quod existit in episcopis; debent tamen ante vel post electionem simpliciter postulari a Rom. Pontifice, quum absque eiusdem venia a Curia discedere non possint [1].

**113. Qu. 3. Quaenam sint legitimae postulationis conditiones.**

**Resp. Conditiones** in postulando generatim eaedem requiruntur, quae in eligendo iuxta exposita n. 108; num autem in postulatione necessario observanda sit una ex tribus electionis formis superius n. 106 expositis, lis est inter DD. [2].

Speciatim notandum: *a*) Quum qui postulari debeat, eligi non valeat, neque viceversa, cavendum omnino est, ne in suffragio seu voto exprimendo confundatur postulatio cum electione (postulando eligendum, vel eligendo postulandum), neve adhibeantur formulae ambiguae (v. g. « postulo eligendo », « eligo postulando »); secus irrita est tum postulatio, tum electio: quod

---

[1] Cfr. Reiefenstuel, cit. tit. 5, lib. I, nn. 27-58; Wernz. loc. cit. nn. 392-394.

[2] Negat Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. I, nn. 59-62; affirmat Wernz. loc. cit. n. 395.

idem dicendum de formula « Eligo et postulo prout potest melius de iure valere », nisi quando probabiliter ignoratur, utrum quis sit eligendus an postulandus [1]. — Potest tamen postulandus vere eligi, si ante electionem a Rom. Pontifice obtinuerit breve eligibilitatis, aut speciali lege pontificia discrimen inter electionem et postulationem sit abrogatum, aut ex competentis superioris dispensatione vel praestito consensu post simplicem postulationem existens impedimentum fuerit sublatum. Concessio vero generalis a superiore data religioso assentiendi electioni de se factae vel faciendae valida non est. — *b*) Quando in electione facienda coniungitur postulatio unius partis cum electione alterius, ad validitatem postulationis requiritur consensus duarum tertiarum partium, et valet electio, in qua habetur consensus saltem uno numero maior quam tertia pars [2]. — *c*) Quando vero habetur postulatio sola, ita ut postulent electores ad unum omnes, ad valorem postulationis sufficit et requiritur suffragiorum pars absolute maior: quod idem valet in casu compromissi, etiamsi ex compromissariis aliquis vere eligat [3].

Quum postulatus, utpote iure impeditus, nullum acquirat ius ex postulatione, eadem competenti superiori nondum praesentata revocari potest.

---

[1] Cfr. c. unic., *de postul.*, in 6°, I. 5.

[2] Quod posterius assertum intelligendum tantum videtur, quando pars eligens consentiens est in unam eamdemque personam, non autem quando ipsa pars de persona dissentit. Sic v. g. quando ex 12 electoribus 7 postulant etiam eamdem personam, et 5 unam eamdemque personam eligunt, valet electio: quando vero ex 12 electoribus 4 postulant, et ex ceteris 8 quinque eligunt personam A, tres personam B neque electio valere videtur. Cf. c. 40 X, *de elect.*, I. 6.

[3] Cfr. c. 30 X, *de elect.*, I. 6; Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. I, nn. 22-24 et 63-65; Wernz, loc. cit. n. 369.

**114. Qu. 4. Qualis requiratur postulationis intimatio, praesentatio et admissio.**

**Resp. 1.** Postulationis **intimatio** quam citius commode fieri potest (sicuti superius n. 159 Resp. 1 de electione est dictum) fieri debet postulato, qui infra tempus ibidem de electione notatum suam aperire debet sententiam postulationem aut reiiciendo, aut eidem consensum conditionate praestando, vel saltem manifestando mentem sese subiiciendi voluntati superioris.

**Resp. 2.** Acceptata postulatio ut admittatur, infra tempus in casu electionis praescriptum **praesentari** debet illi superiori, ad quem spectat dispensatio requisita. — Postulationis autem **admissio,** non est per se necessario concedenda, licet postulatio facta fuerit ab electorum duabus tertiis partibus, vel etiam ab omnibus; existens autem ratio boni communis, necessitatis v. g. vel specialis utilitatis ecclesiae cui in casu providendum est, exigere potest, ut postulatio ex lege iustitiae legalis ac vi officii sui a superiore admittatur; quo in casu si negat competens praelatus inferior, postulantibus ius est implorandi superioris praelati interventum, praesertim si postulatio est concorditer facta; verum ex rationibus personalibus, quae scil. concernunt dumtaxat personam postulati (puta quia est specialibus qualitatibus praeditus), superior non compellitur ad postulationem admittendam. — **Admissa postulatio** habet vim electionis confirmatae (1).

---

(1) Cfr. dicta n. 109, Resp. 2. — Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. I, nn. 66-67; Wernz, loc. cit., nn. 397-399.

## § 5. — De praesentatione et institutione.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) praesentationis notio; 2) iurispatronatus notio, acquisitio et amissio; 3) praesentationis conditiones et effectus; 4) institutionis notio, superior competens et conditiones.

**115. Qu. 1. Quid intelligatur nomine praesentationis.**

**Resp.** Praesentationis nomine **intelligitur** ius designandi et offerendi clericum idoneum a competente superiore in officio ecclesiastico vacante necessario instituendum.

Cum praesentatione quamdam similitudinem habet **nominatio,** quae intelligitur facultas proponendi superiori competenti unum vel plures clericos idoneos, ut eidem vel alicui ex iis de officio vacante providere velit; distingui potest duplex solemnis et minus solemnis, prout libertatem in providendo aliquatenus restringit, aut vim consultivam tantum habet.

Ius praesentandi fundatur in iure patronatus ac cum eodem exclusive connectitur; ius vero nominandi nititur speciali citra iuspatronatus apostolico privilegio.

**116. Qu. 2. In quonam consistat iuspatronatus; quanam ratione acquiratur et amittatur.**

**Resp. 1.** Iuspatronatus **consistit** in complexu iurium alicui competentium in ecclesia, quam de Ordinarii consensu fundavit, construxit aut dotavit ipse vel is a quo causam accepit [1]. — Quae iura, inter quae eminet ius

[1] Plures iuspatronatus considerantes secundum partem principalem, illud definiunt ut sit ius presentandi clericum idoneum ad aliquod officium vel beneficium. Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, n. 43; Wernz, loc. cit., n. 461.

praesentandi, alia sunt honorifica (v. g. honor et praecedentia in ecclesia patronata), alia utilia (ius percipiendi alimenta ex bonis ecclesiae patronatae in casu egestatis), alia onerosa (v. g. onus seu obligatio reparandi et reaedificandi ecclesiam patronatam collapsam) (1).

**Dividitur** iuspatronatus in ecclesiasticum, laicale et mixtum prout competit aut ex titulo ecclesiastico, iunctum scil. cum officio ecclesiastico, vel ortum ex bonis adhibitis stricte ecclesiasticis, aut ex titulo laicali, ortum scil. ex adhibitis bonis patrimonialibus vel saltem de quibus disponendi libera est potestas, aut ex utroque titulo simul; — in personale et reale, prout alicui personae, sive physicae sive morali, competit aut immediate independenter, aut mediate dependenter a possessione alicuius rei; — iuspatronatus laicale esse potest haereditarium, familiare sive gentilitium, individuale seu personalissimum, prout transit aut ad omnes et solos haeredes sive ab intestato sive testamentarios, aut ad solas personas, quae ut agniti sive ut cognati ad certam familiam pertinent, aut omni translatione haereditaria exclusa soli fundatori reservatur.

**Resp. 2.** Iurispatronatus **capaces** sunt omnes fideles (non exclusis personis moralibus), quibus id non est specialiter prohibitum (prohibitum autem est apostatis, haereticis, et infamibus, de excommunicatis non est una DD. sententia), et quidem in omnis generis ecclesiastica officia, ordinarie tamen inferiora; attamen interveniente auctoritate ecclesiastica (2).

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, nn. 110-124; Wernz, 430, 432 et 433.

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, nn. 36-44; Wernz. loc. cit. nn. 409-412.

Iurispatronatus **acquirendi modi** distinguuntur:

a) **originarii** (intelliguntur, quibus iuspatronatus primitus constituitur), et sunt ordinarie aut fundatio, donando fundum seu solum pro ecclesiae aedificio, aut aedificatio, propriis sumptibus erigendo ecclesiae aedificium, vel etiam illud penitus destructum reaedificando, aut dotatio, tribuendo redditus seu annuos census, — extraordinarie privilegium apostolicum, ad quod reducitur praescriptio immemorialis, utpote quae inducit praesumptionem privilegii apostolici [1];

b) **derivati** (quibus scil. iuspatronatus iam prius acquisitum in alios transfertur), et sunt successio haereditaria, qua iuspatronatus transire potest ad haeredes quoscumque, tam masculos quam feminas, tam necessarios quam extraneos, sive ab intestato sive ex testamento succedant; contractus, praecipue donatio, permutatio et emptio-venditio (exclusa tamen simonia ac servatis iuris praescriptis); necnon praescriptio ordinaria [2].

**Resp. 3.** Iuspatronatus **amittitur:**

a) quoad **exercitium** (ita scil. ut tantum usus iurispatronatus in casu singulari vel ad tempus, sive determinatum sive incertum, suspendatur) non praesentando intra tempus statutum, vel scienter praesentando (intelligitur de solo patrono ecclesiastico) [3] indignum, praeterea ex temporanea patroni incapacitate, v. g. ob incursam excommunicationem;

b) quoad **substantiam** (si nempe iuspatronatus ipsum penitus cessat et extinguitur), imprimis ex natura rei ipsoque facto completo interitu sive subiecti, i. e. personae

---

[1] Cfr. n. 64, 3) ***Nota.***

[2] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, nn. 4-35; Wernz, loc. cit., nn. 413-422.

[3] Cfr. Benedictus XIV, *de synodo*, lib. XII, cap. 7, n. 6.

sive physicae sive moralis, vel rei cui iuspatronatus inhaeret, sive obiecti, officii nempe ecclesiastici quod iuripatronatus est obnoxium; deinde per liberam resignationem fundatoris, vel eiusdem in iurepatronatus successorum, quatenus liberae resignationis faciendae capaces sunt; denique ex legis ecclesiasticae dispositione per praescriptionem vel per sanctionem poenalem ob crimina in iure expressa, quae sunt: apostasia vel haeresis vel schisma, simoniaca iurispatronatus translatio, caedes vel mutilatio rectoris vel alterius clerici ecclesiae patronatae, ac eiusdem bonorum et iurium usurpatio. Tandem

c) **utroque modo** amitti potest iuspatronatus, praesertim ecclesiasticum, per extraordinariam dispositionem canonicam ex iusta causa a Rom. Pontifice factam, v. g. reservando sibi, sive in perpetuum sive in casu particulari, officii patronati collationem (1).

**117. Qu. 3. Quaenam sint legitimae praesentationis conditiones, modus et effectus.**

**Resp. 1.** Legitimae praesentationis **conditiones** sunt:

a) Ut fiat **a patrono habili et competente.** — Si praesentatio spectat ad plures per modum collegii, praesentandus designari debet per electionem, ita scil. ut praesentandi designatio fiat, vocatis vocandis, collegialiter per absolutam suffragiorum maioritatem (2). Si vero praesentatio spectat ad plures singillatim praesentandi designatio fieri potest a singulis seorsim sumptis, et sufficiunt suffragia relative maiora, et in suffragiorum aequalitate superior competens instituendum libere eligit ex praesentatis (iuxta Wernz

(1) Cfr. Reiffenstuel in cit. tit. 38, lib. III, n. 124; Wernz. loc. cit., nn. 435-441.

(2) Cfr. dicta n. 108 sub b) d) et e).

cum aliis), etiam non praesentatum (iuxta Reiffenstuel cum aliis), quia in votorum aequalitate nullus ius acquisivit. — Ad haec notandum patrono laico (non item ecclesiastico) intra tempus legitimum (cfr. inferius sub **c**), ast ante factam institutionem canonicam [1] competere ius variandi cumulativum (non exclusivum), ita scil. ut iam praesentatis alii, prioribus non exclusis, addi possint [2].

**b**) Ut fiat de persona idonea, et tempore praesentationis habili institutioni canonicae. Imo etiam in praesentatione servanda est lex de promovendo digniore [3], et quidem ex certa sententia a patrono ecclesiastico, ex probabiliore (contra alios) etiam a patrono laico. — Scienter praesentando indignum iure praesentandi pro ea vice privatur certo patronus ecclesiasticus, et probabilius (contra alios) etiam patronus laicus [4].

**c**) Ut fiat **infra tempus legitimum,** quod est pro patronis laicis spatium quatuor mensium [5], pro patronis ecclesiasticis et mixtis spatium sex mensium [6] a die habitae notitiae de vacatione. — Quod temporis spatium si, cessante legitimo impedimento, inutiliter defluxerit, officii collatio libera pro ea vice devolvitur ad eum superiorem, ad quem pertinet institutio [7].

---

[1] Non enim in rigore iuris differenda videtur institutio canonica ad elapsum tempus praesentationi utile, ut docet Wernz contra Reiffenstuel.

[2] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, nn. 91-105 et 57-59; Wernz. loc. cit. n. 424.

[3] Cfr. n. 104 Resp. 1. sub 4).

[4] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, nn. 71-90; Wernz, loc. cit. n. 425.

[5] Cfr. c. 3 et 27 X, *de iurepatr.*, III. 38; c. unic. eod. in 6°, III, 19.

[6] Cfr. c. 22 X, *de iurepatr.*, III, 38 et cit. c. unic. in 6°.

[7] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, nn. 54-56; Wernz, loc. cit. n. 426.

**Resp. 2. Modus praesentandi** determinatus non praescribitur: potest fieri sive oretenus sive scripto, per ipsum patronum sive per eiusdem procuratorem, dummodo fiat superiori competenti, et terminis aptis, scil. praesentandi, nominandi, offerendi, exclusis formulis concedendi, dandi, instituendi, necnon sub nullitatis ipso facto poena sine simonia (1).

**Resp. 3. Effectus praesentationis** est, ut praesentatus acquirat ius ad rem, adeo ut superior competens per se teneatur eidem idoneo et habili concedere institutionem canonicam (2): quod ius, si plures fuerint praesentati, residet penes omnes communiter, hoc sensu, ut unus ex iisdem ad officium assumi debeat. — Notandum etiam praefatum ius ex praesentatione patroni *laici* acquisitum non esse omnino firmum et stabile quum per variationem denuo elidi possit (3).

### 118. Qu. 4. Quid sit institutio canonica, a quonam et quibus servatis conditionibus concedi debeat.

**Resp. 1.** Institutio canonica **stricto sensu** accepta **denotat** concessionem tituli officii praesentato vel nominato factam a competente superiore, quaeque dicitur collativa tituli, ut distinguatur a duplici alia institutione, quae realis seu corporalis, vel auctorizabilis vocatur (4).

Institutionis canonicae **effectus** est, ut tribuat ius in re, sive ius perfectum, etiam ante traditionem posses-

---

(1) Cfr. Wernz, loc. cit, n. 427.

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 38, lib. III, nn. 67-70, et cit. tit. 7, lib. III, n. 12.

(3) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 7, lib. III, nn. 74-76; Wernz, loc. cit. n. 428.

(4) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. III, nn. 2-9; Wernz, loc. cit. n. 442.

sionis huiusque apprehensionem, dummodo a praesentato vel nominato fuerit acceptata, sive per se sive per procuratorem ex *speciali* mandato. Et licet ex institutione concessa ante acceptationem non acquiratur ius in re perfectum, tamen eiusmodi institutio semel facta revocari nequit, nisi provisus consentire recusaverit, vel saltem competens consentiendi terminus ipsi assignatus et notificatus inutiliter lapsus fuerit (1).

**Resp. 2. Instituendi potestas** ex iure communi nunc vigente in officiis maioribus est penes Rom. Pontificem, in minoribus autem intra dioecesim sitis penes episcopum vel praelatum *Nullius*, item penes vicarium generalem virtute mandati generalis, sicut et penes capitulum sede vacante, ac penes vicarium capitularem (2): ceteris non competit nisi ex iure speciali, nempe ex privilegio, fundatione vel dotatione ante Conc. Trident. facta (3), consuetudine, aut praescriptione. Semper tamen ex Conc. Trid. (4). Ordinariis locorum ius est examinandi (quatenus opportunum ipsis visum fuerit) omnes a quibuscumque praesentatos, praesentatis ab universitatibus seu collegiis generalium studiorum exceptis, ita tamen ut haec exceptio extendi non possit ad examen parochiale ex Conc. Trident. (5) requisitum (6).

**Resp. 3. Conditiones** servandae in institutione sunt:

**a**) Ut fiat nonnisi **post praesentationem** factam, alias saltem ad instantiam patroni est irritanda, de cetero infra

---

(1) C. 17, *de praeb.*, in 6°, III, 4; cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 7, lib. III, nn. 77-85.

(2) Cfr. n. 105, Resp. 3.

(3) Cfr. Conc. Trident., Sess. XIV, cap. 12, *de reform.*

(4) Sess. VIII, cap. 13, *de reform.*

(5) Sess. XXIV, cap. 18, *de reform.*

(6) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. III, nn. 13-31; Wernz, loc. cit. n. 443.

tempus non nimis differendum, quod in officiis parochialibus a Pio V [1] determinatum est ad duos menses a die factae praesentationis.

b) Ut institutionem praecedat **publicatio edicti,** quo citantur omnes quorum interest, ut intra terminum in edicto statutum exceptiones suas contra praesentationem vel institutionem clerici promovendi deponant, nisi agatur de institutione apostolica, vel generatim existat consuetudo contraria.

c) Ut, ex consuetudine passim recepta, institutio scripto detur, quo facilius et securius probetur; ast etiam sine scriptura licite et valide fieri potest.

d) Ut ex pluribus forte praesentatis clericis dignis is instituatur, qui omnibus circumstantiis consideratis notabiliter est ceteris **dignior,** secus institutio est illicita non invalida [2].

***Scholion I.*** **Institutio realis** seu corporalis intelligitur immissio clerici, cui titulus officii cum iure in re iam est concessus, in actualem possessionem a competente superiore canonice facta. Haec institutio ita **necessario requiritur,** ut spectato iure communi neque collatarius post acceptam liberam collationem, neque electus post confirmationem, neque postulatus post admissionem, neque praesentatus vel nominatus post institutionem collativam tituli actualem officii possessionem auctoritate propria capere possit, sed, nisi accedat legitimi superioris consensus seu licentia, per introductionem a competente auctoritate peractam in eamdem immitti debeat. Quod si secus factum fuerit, delinquens condigna poena superioris arbitrio castigari potest; imo si officium nondum vacans per violentiam occupaverit, eo ipso privatur omni iure, quod in of-

---

[1] Const. *In conferendis*, 18 Mart. 1567.

[2] Cfr. Wernz, loc. cit. n. 445.

ficio taliter occupato vel ad illud ipsi competit; similiter si quis officii a Rom. Pontifice sibi collati possessionem apprehendat ante expeditionem litterarum apostolicarum, vacat ipso iure officium hoc obtentum, imo et reliqua si quae habeat. — Ceterum quum institutio collativa tituli libere acceptata ex se sola tribuat ius in re, ideoque per eamdem plena acquiratur administratio, hinc regulariter introductio in possessionem non requiritur, ut officii munera adimpleri possint; nihil tamen obstat, quominus lege vel consuetudine requiratur introductio in possessionem, antequam canonice institutus vel licite vel etiam valide iurisdictionem officio adnexam exercere possit.

**Auctoritas introducendi** in possessionem officii, quod dependet ab episcopo, ex disciplina vigenti est penes eumdem vel eius delegatum, ut plurimum vicarium generalem vel foraneum; si agitur de officiis, quae dependent a S. Sede auctoritas introducendi committi solet alicui praelato signaturae papalis referendario, vel vicario generali episcopi, vel uni vel duobus antiquioribus canonicis.

**Ritus** in institutione reali servandus iure communi non est praescriptus, et pro diversitate locorum varius adhibetur; ratio igitur habenda est particularis iuris vel consuetudinis. — In quibusdam locis introducta est introductio vel installatio quaedam verbalis: solet nempe canonice institutus, antequam capit officii possessionem, coram episcopo vel vicario generali emittere professionem fidei atque praestare iuramentum obedientiae, addita insuper symbolica officii traditione; cuius verbalis installationis, ex speciali locorum consuetudine, aliquando hic est effectus, ut conferat licentiam vacuam possessionem occupandi, vel etiam inducat actualem possessionem, ita ut institutio realis vel omnino praetermittatur, vel saltem ad maiorem tantum solemnitatem adhibeatur.

**Effectus** institutionis realis sunt:

**a**) Ut acquiratur **possessio iurium** non solum spiritualium, sed et temporalium respectivi officii, ac generatim fruatur institutus omnibus illis iuribus, quae oriuntur ex titulo possessionis et proprietatis.

**b**) Speciatim ut acquirantur **favores** cancellariae apostolicae Reg. 35 et 36 de possessione annuali vel triennali.

**c**) Ut **ipso iure vacet** officium incompatibile a clerico instituto antea possessum. — Notandum tamen ex stylo in Dataria apostolica etiam hodie servato in ipsis litteris apostolicis concessionis novi beneficii non semel apponi decretum vacationis prioris beneficii possessi, quod proinde dicitur vacare *per decretum*, et alteri illico conferri potest, quin exspectetur immissio clerici noviter provisi in possessionem secundi beneficii. — In Italia autem, ob actualem beneficiorum conditionem praxis habet, ut clericus provisus de beneficio incompatibili cum priore iam possesso possit continuare possessionem prioris beneficii, quoadusque non fuerit assecutus civilem possessionem secundi per *regium* quod appellant *exequatur* (1).

***Scholion II.*** **Institutio auctorizabilis** intelligitur approbatio ad exercendam curam animarum vel universam, quae nempe se extendit ad omnia sacramenta, uti v. g. in parocho, vel determinatam in sacramento Poenitentiae tantum, uti v. g. in simplicibus confessariis. Huiusmodi institutio spectat ad episcopum (praelatum *Nullius*); ad quem si etiam spectat institutio collativa tituli utraque uno eodemque actu fieri solet; actu vero speciali danda est omnibus illis, qui non ab episcopo (praelato *Nullius*), sed ab alio praelato inferiore, vel capitulo, vel a monasterio institutionem collativam tituli obtinere debent.

---

(1) Cfr. Santi-Leitner, tit. 7, lib. III, n. 32. — Reiffenstuel cit. tit. 7, lib. III, nn. 43-60; Wernz, loc. cit., nn. 446-449.

Inter conditiones, quae ad institutionem auctorizabilem requiruntur, maxime commemorandum est examen ipsi institutioni praemittendum (1).

## Titulus VIII.

## De amissione magistratus.

(Decret. lib. I, tit. 7, *de translat.*, et tit. 9, *de renunciat.*; lib. III, tit. 5, *de praeb. et dignit.*, tit. 8, *de concess. praeb. et eccl. non vacantis*, et tit. 19, *de rerum permutat.*; lib. V, tit. 37, *de poenis*).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom. II, nn. 489-543; Craisson, tom. I, nn. 498-566; Bargilliat, tom. I, nn. 216-234.

***Synopsis tituli.*** Explicantur hoc titulo varii modi, quibus magistratus ecclesiastici amittuntur, ita ut cesset titulus seu ius proprietatis, quod quis in aliquod officium ecclesiasticum habet, et officium ipsum vacet de iure. Huiusmodi amissio fieri potest quinque modis, qui oriuntur aut ex voluntate ipsius possidentis officium, aut ex superioris competentis sententia vel mandato, aut ex iuris dispositione. Sunt autem hi modi renuntiatio seu resignatio — permutatio, — translatio, — amotio, — privatio; quibus distinctis paragraphis agitur.

### § 1. — De renuntiatione.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) renuntiationis notio et divisio; 2) renuntiationis subiectum et obiectum; 3) renuntiationis conditiones; 4) renuntiationis effectus.

**119. Qu. 1. Quid sit renuntiatio, et quomodo dividatur.**

**Resp. 1.** Renuntiatio, **generatim est** libera beneficii

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 7, lib. III, nn 38-42; Wernz, loc. cit., nn. 450-455.

ecclesiastici dimissio facta coram legitimo superiore eam acceptante. — Renuntiatio solet in iure etiam appellari resignatio, vel cessio, et aliquando etiam eiuratio, si nimirum interveniente iuramento quis magistratu se abdicat.

**Resp. 2.** Renuntiatio **dividitur:**

**a**) in expressam et tacitam (praesumptam), prout fit aut verbis vel scripto voluntatem renuntiandi diserte declarantibus, aut facto libero, cum quo voluntas retinendi magistratum natura sua vel saltem ex statuto iuris non subsistit;

**b**) in absolutam (puram, simplicem), et conditionalem, prout fit aut sine, aut cum conditione vel modo vel pacto, in favorem scil. ipsius renuntiantis (v. g. cum reservatione pensionis, regressus), vel alicuius tertiae personae [1].

### 120. Qu. 2. Quinam quibusnam officiis et beneficiis renuntiare valeant.

**Resp.** Generatim **omnes** renuntiare possunt **omnibus** cuiuscumque generis vel qualitatis officiis et beneficiis, in quibus ius quaesitum habent [2], dummodo non obstet specialis prohibitio [3].

Specialiter in iure renuntiare prohibentur impuberes sine auctoritate tutoris — novitii regulares, nisi infra duos menses ante professionem solemnem [4], — clerici in sacris, qui aliunde non habeant unde vi-

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, n. 2-12; Wernz, loc. cit., n. 439.

[2] Hinc renuntiationis incapaces sunt intrusi, promoti ad aliud officium vel beneficium incompatibile et religiosi vota solemnia professi, criminosi aut ipso iure (saltem post sententiam declaratoriam) aut per sententiam condemnatoriam officio vel beneficio privati.

[3] Cfr. c. 10, X, *de renuntiat.* I, 9.

[4] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, nn. 21-33.

vant; etiamsi ad ipsius beneficii titulum non fuerint ordinati: beneficium autem, quod ipsis est titulus ordinationis ex Conc. Trident. [1] resignare valide non possunt, nisi facta huius circumstantiae expressa mentione, — praeterea ex Reg. 19 Cancellariae non subsistit resignatio facta a clerico infirmo, qui intra viginti dies a resignatione e vita decesserit.

Similiter prohibita est resignatio beneficii vel officii litigiosi [2], nisi absolute vel in favorem collitigantis; item officia et beneficia electiva et patronata resignari non possunt in favorem tertii absque consensu electorum et patronorum; secus renuntiatio rescindi potest ad instantiam illorum, quorum iura laesa fuere [3].

**121. Qu. 3. Quaenam sint legitimae renuntiationis conditiones.**

**Resp.** Legitimae renuntiationis **conditiones** sunt:

a) Ut fiat ex iusta causa, quae eo gravior requiritur, quo altius et gravius est officium; imo ex S. Pii V Const. *Quanta Ecclesiae* 1 April. 1568 Ordinariis sub poena nullitatis interdicta videtur acceptatio renuntiationis propositae sine legitima causa. — In iure [4] pro renuntiatione episcoporum sex enumerantur causae, scil. conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiae, malitia plebis, grave scandalum populi, et irregularitas, quibus aliae graves rationes necessitatis vel utilitatis Ecclesiae aequiparari possunt, siquidem ex DD. sententia hae causae designantur per modum exempli, non exclusis aliis similibus.

---

[1] Sess. XXI, cap. 2, *de reform.*

[2] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, nn. 18 et 19.

[3] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I. nn. 43-74.; Wernz. loc. cit. nn. 494-496.

[4] C. 10, X, *de renuntiat.* I. 9.

Quae et etiam minores causae in resignatione officiorum minorum sufficiunt [1].

b) Ut fiat libere, absque metu iniusto et dolo, et exclusa quavis simoniaca pactione, per ipsum resignantem, vel per procuratorem ex mandato speciali, adiuncta (nisi alicubi aliter habeat consuetudo) resignationis acceptae publicatione in ecclesia, ad quam officium pertinet, modo praescripto a Gregorio XIII Const. *Humano vix iudicio* 5 Ian. 1584, et a Benedicto XIV Const. *Ecclesiastica* 15 Iun. 1746 [2].

c) Tandem ut renuntiatio licite et valide fiat, requiritur auctoritas superioris competentis, qui eamdem acceptet, et contraria consuetudo tamquam corruptela in iure [3] est reprobata. — Qui superior generatim est, ad quem pertinet collatio talis beneficii: quae quidem regula aliquando fallit, quum alia sit potestas conferendi seu instituendi in beneficio, alia deponendi vel resignationem acceptandi, quod maius est, at plerumque ex recepta consuetudine ita fieri solet. Hinc in resignandis magistratibus maioribus et quibuscumque exemptis superior competens est solus Rom. Pontifex, in resignandis aliis magistratibus minoribus competentes sunt episcopus aliique extraordinarii collatores [4] — Resignationes vero quorumcumque officiorum conditionales in favorem tertii, aut cum reservatione

---

[1] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, nn. 34-37; Wernz, loc. cit. n. 496.

[2] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, nn. 75-80, 127-135; Wernz, loc. cit., n. 497.

[3] Cfr. c. 7, X, *de consuet.* I, 4; Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, nn. 13-15.

[4] Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, n. 4; Wernz, loc. cit. n. 498.

pensionis, vel accessus, ingressus, regressus a solo Rom. Pontifice admitti possunt (1).

**122. Qu. 4. Quinam sit renuntiationis effectus.**

**Resp.** Renuntiationis **effectus principalis** est, ut renuntians omne ius in officium amittat, proindeque hoc vere vacet: supponitur autem renuntiatio absoluta, siquidem renuntiatio conditionalis nonnisi impleta conditione hunc habet effectum, ac intelligitur plena, acceptata scil. et intimata.

Praeterea notandum, post licentiam resignandi postulatam et obtentam (secus si fuerit petita, sed nondum obtenta) compelli quem posse ad exequendam renuntiationem seu ad dimittendam officii possessionem, ne superiori illudere videatur.

At ex renuntiatione, etiam iuramento firmata, minime oritur inhabilitas officium dimissum nova provisione denuo obtinendi (2).

## § 2. — De permutatione.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) permutationis notio; 2) permutationis subiectum et obiectum; 3) permutationis conditiones; 4) permutationis effectus.

**123. Qu. 1. Quid intelligatur nomine permutationis magistratuum seu officiorum.**

**Resp.** Officiorum permutatio **intelligitur** resignatio mutua officii ecclesiastici ex conditionata pactione duorum beneficiatorum facta, ut alter alterius resignantis officium

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, nn. 105-122.

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 9, lib. I, nn. 136-163; Wernz, loc. cit. n. 499.

consequatur. Ex qua definitione patet permutationis negotium praevio tractatu sive pacto conditionato posse quidem et debere necessario praeparari, at illo solo, etiam post admissionem per competentem superiorem ecclesiasticum, nequaquam absolvi, sed accedere debere utriusque permutantis resignatio (1).

Huiusmodi permutationem generatim **iure fieri posse,** dummodo legitimi superioris auctoritate fiat, communis est ac certa DD. doctrina, quae demonstratur ex variis iuris textibus: textus qui contrarii videntur loquuntur aut de tali pactione, qua detur temporale pro spirituali, aut de permutatione, quae fiat propria auctoritate (2). — Requiritur autem ut permutatio sit simplex, seu fiat inter duos; nam permutatio triangularis vel quadrangularis (qua tres vel quatuor simul resignant sua beneficia ex conditione, ut primus obtineat beneficium secundi, secundus tertii, tertius quarti et quartus primi), item permutatio reciproca (qua resignatio fit, ea conditione, ut unius beneficium obtineatur non ab altero, sed ab alio ex utraque parte designato) proprie dicta permutatio non est, sed potius resignatio in favorem tertii, quae (ut dictum est n. 121 sub b) in fine) sine licentia Rom. Pontificis fieri non potest (3).

**124. Qu. 2. Quaenam officia a quibusnam permutari possint.**

**Resp.** Exceptis officiis Rom. Pontifici reservatis,

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, tit. 9, lib. I, nn. 91 et 92; Wernz, loc. cit., nn. 501 et 504.

(2) Cfr. Reiffenstuel, tit. 9, lib. I, nn. 82-89; Wernz, loc. cit., n. 510.

(3) Cfr. Conc. Trident., Sess. XXV, cap. 15, *de reform.*; Reiffenstuel, tit. 9, lib. I, nn. 123-126.

de cetero generatim officiorum plene possessorum [1] permutatio a iure permittitur, ac ad eamdem sunt habiles, qui ad resignationem in permutatione requisitam capaces existunt; praeterea necesse est, ut uterque permutans sit capax, cui tamquam subiecto passivo officium alterius concedi possit [2].

**125. Qu. 3. Quaenam requirantur ad legitimam permutationem conditiones.**

**Resp. Conditiones** ad legitimam permutationem requisitae hae sunt quae sequuntur:

**a**) Ut fiat pure, i. e. sine impositione pensionis vel alterius oneris (secus enim per inferiorem auctoritatem approbari nequit), et ex iusta causa a competente superiore ecclesiastico examinanda et approbanda: quae causa iuxta Reiffenstuel contra alios, non necessario est necessitas vel utilitas ecclesiarum, sed verisimilius sufficit sola expedientia seu utilitas ipsorum permutantium.

**b**) Ut post tractatum praeparatorium absque simonia, dolo, vi valide initum *uterque* permutans respectivum officium resignet in manus illius Ordinarii, cui ipsum officium est subiectum, qui sua auctoritate permutationem approbet denuo conferendo iisdem, mutata possessione, resignata beneficia.

**c**) Ut interveniat consensus illorum, qui forte ius quoddam eligendi, vel praesentandi, vel conferendi in officiis permutandis habent.

**d**) Tandem resignationis ex permutationis causa factae publicatio est facienda, prout superius n. **121 b**) de renuntiatione est notatum [3].

---

[1] Hinc permutari non possunt officia quocumque modo ami vel litigiosa, vel tantum exspectata.

[2] Cfr. Wernz, loc. cit., nn. 502-508.

[3] Cfr. Reiffenstuel, tit. 9, lib. I, nn. 90-101; Wernz, loc. cit., nn. 509-512.

**126. Qu. 4. Quinam sint permutationis effectus.**

**Resp. Effectus permutationis** varius est distinguendus pro variis actibus, quibus permutationis negotium perficitur; siquidem

**a**) ex pactione praeparatoria pro utroque permutante oritur obligatio exspectandi pactionis initae admissionem vel reiectionem per competentem superiorem;

**b**) ex completa pactionis admissione stricta exsurgit pro utroque permutante obligatio resignandi respectivum officium in manus legitimi superioris;

**c**) ex qua resignatione acceptata oritur in utroque permutante ius ad habendum alterius officium, cuius tamen titulus seu ius in re non acquiritur nisi per novam et distinctam collationem a competente superiore factam.

## § 3. — De translatione.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) translationis notio et divisio; 2) legitimus tranferendi modus; 3) translationis effectus.

**127. Qu. 1. Quid sit translatio, et quomodo dividatur.**

**Resp. 1.** Translatio duplici accipitur sensu, stricto scil. de solis episcopis, lato de omnibus magistratibus sive beneficiatis. Quo posteriore sensu accepta translatio **definitur,** ut sit magistratus sive beneficiati de uno officio in aliud auctoritate competentis superioris ex iusta causa canonica facta mutatio.

**Resp. 2. Distinguitur** translatio libera et coacta prout fit aut cum transferendi consensu, aut ipso invito; — et (praesertim posterior) honorifica et poe-

nalis, prout fit aut ab officio minore ad maius vel saltem ad officium priori aequivalens, aut ab officio maiore ad minus (1).

**128. Qu. 2. Qua ratione translatio legitime fieri possit.**

**Resp. 1. Translatio episcopi** alteriusve Praelati Sedi Apostolicae immediate subiecti, ex iure communi nunc vigente, quum sit causa maior, a solo Rom. Pontifice fieri potest, idque ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiae iusta et proportionata ipsius Rom. Pontificis iudicio diiudicanda: quae causa requiritur ad liceitatem tantum; valide enim etiam sine causa Pontifex transferre potest saltem scientem et volentem episcopum (2). — Ordinarie huiusmodi translatio non fit nisi a minore ecclesia ad maiorem, ac episcopi transferendi praevio consensu, necnon attentis iure electionis, praesentationis vel nominationis et ordinariis provisionis requisitis, salvis tamen praerogativis Sedis Apostolicae.

**Resp. 2. Translatio inferiorum magistratuum** facienda est per auctoritatem superioris illius, cui tum beneficium derelinquendum, tum translatione acquirendum proxime est subiectum. — Quae translatio statui

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 7, lib. I, nn. 1-6; Wernz, loc. cit. n. 517.

(2) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 7, lib. I, nn. 19-26, ubi refert varias DD. sententias, et nn. 27-33 ubi exponit suam solutionem. Cfr. etiam Santi-Leitner,, lib. I, nn. 3-6, ubi explicat difficultatem ex verbis Innocentii in cap. 2 h. t. — Ceterum — uti explicat Wernz. loc. cit., n. 519 — vinculum vel matrimonium spirituale inter episcopum et suam ecclesiam atque comparatio cum matrimonio carnali non nimis sunt urgenda, ne quis ad plane falsas deducatur conclusiones propter comparationem natura sua in non paucis claudicantem.

potest quoad magistratus et beneficiatos amovibiles etiam invitos ex gravi et iusta causa pro prudenti superioris transferentis iudicio: qua causa non existente translatio est illicita, sed invalida dici nequit; magistratus vero et beneficiati inamovibilitate subiectiva instructi, iique inviti a potestate Papa inferiore valide transferri nequeunt in alia officia, licet aequalia vel maiora, nisi ex causis in iure expressis, et servata forma canonica, excepto casu amotionis oeconomicae, de qua § seq. — Scientis autem et volentis magistratus vel beneficiati, etiam inamovibilis, translatio facilius pro prudenti episcopi arbitrio non solum valide, sed et licite fieri potest, quum ratio boni communis exigat, ut per gradus maiora officia concedantur iis, qui in inferioribus fuerunt probati (1).

**129. Qu. 3. Quinam sit translationis effectus.**

**Resp.** Translationis **effectus** distinguitur duplex, solutio ab officio vel beneficio possesso, et acquisitio novi officii vel beneficii: qui tamen effectus vario pro variis magistratibus oritur tempore.

1) In translatione **episcopi** consentientis ecclesia prius possessa vacat a publicatione translationis, et ab eo tempore neque beneficia libera collatione valide concedere, neque fructus suos facere potest, reliquam vero iurisdictionem valide exercet usque ad acceptum certum de translatione nuntium, post quem iurisdictio transit ad capitulum. — In translatione autem episcopi non consentientis ipsius ecclesia vacare non censetur antequam consentiat, nisi aliter Rom. Pontifex expresse statuat.

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, cit. tit. 7, lib. I, nn. 7-12; Wernz, loc. cit., nn. 523-526.

Translatus similiter ab ipso momento translationis in consistorio cum nova ecclesia spirituali matrimonio iungitur, si sciens et volens transfertur, secus a momento consensus in translationem, atque per praesentationem litterarum apostolicarum eiusdem regimen acquirit.

2) In translatione **inferiorum magistratuum** prius officium vacat, postquam pacifica possessio alterius officii incompatibilis est obtenta ex c. 28 *de praeb.* in 6° III. 4.

## § 4. — De amotione.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua explicatur amotionis notio, et varii modi quibus fieri potest.

**130. Qu. Quid sit amotio et qua ratione fieri possit.**

**Resp. 1.** Amotio hic **intelligitur** ablatio beneficii vel officii a legitimo possessore absque eiusdem expresso vel tacito vel praesumpto consensu ex causa non criminosa facta: huiusmodi ablatio ex causa criminosa dicitur privatio, de qua § seq.

**Resp. 2.** Remotio haec fieri potest **triplici ratione:**

1) **Ex iuris dispositione,** scil.

**a**) per solemnem professionem in ordine regulari ab Ecclesia approbato valide emissam;

**b**) per matrimonium a beneficiato vel magistratu ecclesiastico ritus latini in minoribus tantum ordinibus constituto sive valide sive invalide celebratum, dummodo nullitas matrimonii non proveniat ex defectu consensus; hinc etiam per matrimonium civile cum consensu et intentione maritali contractum;

**c**) per obtentam pacificam possessionem novi of-

ficii vel beneficii incompatibilis cum priore hucusque possesso;

**d**) per promotionem beneficiati inferioris ad episcopatum residentialem quoad omnia beneficia ante promotionem possessa, et quidem, ex stylo Curiae, inde a tempore promotionis in consistorio;

**e**) per ipsius superioris qui contulit officium mortem, resignationem, depositionem, vel aequivalentem immutationem: qua tamen ex causa amotio, etiam in officiis et beneficiis manualibus, generatim non videtur admittenda, nisi ex natura ipsius concessionis factae sequatur, vel iure speciali sit statuta, vel ex disciplina vigente comprobetur, vel tandem in clausula in concessione apposita (v. g. ad beneplacitum nostrum) contineatur (1).

2) **Revocatione** simplici, quae intelligitur actus, quo quis ab officio vel removetur, iusta quidem et rationabili de causa, at non servata forma iudiciali. Cui revocationi ex iure ordinario subiacent sola officia manualia sive ad nutum revocabilia, vel generatim officia, quibus ex iure communi subiectiva perpetuitas non est concessa. — Facta huiusmodi revocatio absque iusta et proportionata causa dicenda est illicita, nullitatis autem argui non potest; qui tamen illa amotione laesum se existimat ad S. Sedem cum effectu mere devolutivo recurrere potest (2).

3) Amotione quae dicitur **oeconomica:** habetur autem, quando ex gravibus rationibus boni communis ab officio vel beneficio quis removetur, eumdem transferendo ad aliud vel eidem assignando pensionem; huiusmodi amotio praesertim locum habet in officiis parochialibus etiam inamovibilibus. — Graves rationes, ex quibus

(1) Cfr. Wernz, loc. cit. n. 532.

(2) Cfr. Wernz, loc. cit. nn. 534 et 535; De Angelis, *Iuris canon. praelect.*, tom. I, part. II, p. 59 seqq.

huiusmodi amotio fieri potest, generatim habentur vel ex imperitia et inidoneitate ad officium administrandum, vel ex habituali negligentia in obligationibus implendis, vel ex odio et aversione plebis praesertim quando ea sit parochi agendi ratio, quae non in aedificationem sed in destructionem et fidelium scandalum cedat.

Haec amotio decernitur ad tempus, si adest spes emendationis, secus in perpetuum: in priore casu parochiae regimini providetur per vicarii coadiutoris constitutionem, assignata eidem congrua reddituum portione; in posteriore casu parocho amoto conferendum est aliud beneficium vel eidem assignanda pensio, et quidem redditus aequivalentis, si amotus est sine culpa vel saltem non valde culpabilis. — In hac amotione decernenda requiruntur monitiones canonicae, et forma processus quatenus fieri potest; secus sufficiunt probationes certae (1).

### § 3. — De privatione.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua explicatur privationis notio, et indicantur casus in quibus decerni possit.

**131. Qu. Quid sit privatio, et qua ratione fieri possit.**

**Resp. 1.** Privatio **intelligitur** amissio officii ecclesiastici in poenam vindicativam delicti a beneficiato vel magistratu ecclesiastico commissi decreta sive per simplicem privationem sive per depositionem sive per degradationem.

**Resp. 2.** Huiusmodi privatio decerni **non** potest,

---

(1) Cfr. Card. Gennari, *Sulla privazione del beneficio ecclesiastico. Appendice.*

**nisi in casibus de iuris expressis**. — Statuitur autem in iure aut ipso facto incurrenda, aut per sententiam infligenda: quarum altera ab altera praecipue differt in eo quod privatio per sententiam requirit processum saltem summarium et sententiam condemnatoriam, et beneficium vacat tantum a tempore latae sententiae; in privatione vero ipso facto sufficit (et generatim etiam requiritur) sententia declaratoria post probatam criminis existentiam, et beneficium vacat a momento commissi criminis. — Hinc in casu privationis ipso facto beneficium statim alteri conferri potest, praevia tamen sola citatione prioris possessoris, et privatus debet restituere fructus perceptos post commissum delictum, nec potest resignare in favorem alterius, neque facere permutationem vel aliam quamcumque de beneficio dispositionem, saltem post sententiam declaratoriam quatenus est necessaria; — contra in casu privationis post sententiam beneficium alteri conferri non potest, nisi post latam e praevio processu sententiam iudicialem; nec nisi fructus post eamdem perceptos restituere tenetur; praeterea ante latam sententiam iudicialem admitti potest ad faciendam resignationem, permutationem aliamve de beneficio dispositionem (1).

Privationis tum ipso facto quum per sententiam variae in iure statutae habentur causae, quas enumerat et explicat Gennari operis cit. parte I (2).

(1) Cfr. Gennari, op. cit., p. 1-3; Reiffenstuel, cit. tit. 5, lib. III, nn. 370-377.

(2) Cfr. etiam Wernz, loc. cit. nn. 537-543.

## Titulus IX.

## De communibus iuribus et obligationibus magistratuum.

(Decret. lib. I tit. 1 *de summa Trinit. et fide cath.*, tit. 33 *de maior. et obed.*; lib. III tit. 4 *de cleric. non resid.*).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom. II n. 162 II, 457-477 et tom. III nn. 14-22; Craisson, tom. I nn. 626-641; Bargilliat in variis locis, quae notantur in Indice Geñli alphabet. sub verb. *Praecedentia*, *Fidei professio* et *Residentia*.

***Synopsis tituli.*** Explicantur hoc tit. illa magistratuum iura et obligationes, quae omnibus generatim magistratibus qua talibus adnectuntur; quae eorumdem magis sunt propria, aut cum clericis communia alibi exponuntur. Agitur distinctis paragraphis de praecedentia, — de professione fidei, — de residentia.

### § 1. — De praecedentia.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua explicatur praecedentiae notio, et eiusdem causae seu tituli generales exponuntur.

**132. Qu. Quid sit praecedentia, et ex quibusnam causis seu titulis sit definienda.**

**Resp. 1.** Praecedentia **intelligitur** unius personae prae alia maioritas, cui cum perfectiore reverentiae significatione debetur in ordine loci praeeminentia. — Huiusmodi maioritas non semper consistit in simplici excellentia, cui debetur sola specialis reverentiae ac

honoris significatio, sed potest esse etiam vera superioritas importans dependentiam et subiectionem, cui proinde correspondet proprie dicta obedientia.

**Resp. 2.** Praecedentiae inter magistratus (et generatim inter clericos) **causae seu tituli** generales quinque numerantur.

1) Ante omnia attendenda est maior **iurisdictio** vel **dignitas.** — Ex hoc titulo supremus honor praecedentiae competit Rom. Pontifici, cui immediate succedunt Cardinales secundum triplicem eorundem ordinem episcopalem, presbyteralem et diaconalem, post quos veniunt quatuor Praelati Curiae Romanae qui dicuntur « *di fiocchetto* », scil. Vice-Camerarius S. R. E., Auditor Camerae Apostolicae, Thesaurarius eiusdem Camerae et Praepositus S. Palatii *(Maggiordòmo)* (1). — Deinde sequuntur varii gradus ordinis episcopalis: Patriarchae (2), Primates Exarchae, Archiepiscopi (Metropolitae), Episcopi (3), nulla facta distinctione inter residentiales et titulares (4), nec attenta ritus diversi-

(1) Cfr. Oietti *Synopsis* etc. verb. *Praecedentia.*

(2) Inter Patriarchas minoribus praestant maiores, servato inter hos hoc ordine, ut Constantinopolitanus primum, Alexandrinus secundum, Antiochenus tertium, Hierosolymitanus quartum locum obtineat. Cfr. cap. 23 X *de privil.* V, 23; *Collectan. de Propag. Fide* vol. II nn. 1306 et 1875.

(3) Episcopus dioecesanus in sua ecclesia cathedrali et dioecesi in consecrationibus, et in omnibus aliis functionibus et actibus pontificalibus exercendis praeferendus est omnibus aliis Archiepiscopis et Episcopis, etiam promotione ipso dioecesano anterioribus, Metropolitano proprio tantum excepto. *S. R. C. Decr. auth.* nn. 268 et 1006.

(4) In synodo provinciali Episcopus mere titularis supra ceteros praecedentia non gaudet licet consecrationem ante susceperit. (S. C. C. *in Aquen.* 24 Aug. 1850; cfr. *Collectan. S. C. de Propag. Fide* vol. I n. 1047). Imo Episcopis titularibus praecedere Episcopos locorum, etiamsi posteriores sint consecratione, generatim affirmat Ferraris verb. *Episcopus* art. 7, n. 42.

tate (1). — Tandem veniunt reliqui Praelati vel magistratus vel collegia clericorum secundum gradus hierarchiae iurisdictionis. Praelati *Nullius*, Vicarii generales (2) vel capitulares (3), canonici capitulorum (4), Vicarii foranei (5), parochi (6) aliique inferiores

---

(1) Cfr. *Collectan. S. C. de Propag. Fide* vol. I n. 48; ibid, p. 129, XVII.

(2) Vicarius generalis praecedit dignitates et canonicos non paratos in omnibus, quando tamquam vicarius et non tamquam canonicus in choro et actibus publicis assistit. *S. R. C. Decr. auth.* n. 589 ad 2 coll. n. 285. Cfr. ibid. tom. V Index gēnlis verb. *Vicarius generalis quoad praecedentiam.*

(3) Vicarius capitularis praecedentiam habet supra omnes post digniores de capitulo. *S. R. C. Decr. Auth.* n. 1702.

(4) Canonici ecclesiae tum cathedralis (*S. R. C. Decr. auth.* nn. 142 et 2112 ad 3) quum collegiatae (ibid. n. 317) praecedunt quibuscumque curatis et parochis, si collegialiter spectentur (ibid. nn. 150 et 1492) vel etiam si (dummodo sint numero tres) capitulum repraesentent (ibid. n. 681), non autem si adsunt ut singuli (ibid. nn. 616 et 710); canonici vero etiam singuli praeferendi sunt omnibus presbyteris non canonicis etiam graduatis (ibid. n. 242). — Canonici ecclesiae cathedralis praecedentiam habent ante canonicos ecclesiae collegiatae (ibid. n. 87 ad 1).

(5) Ex pluribus S. R. C. declarationibus manifestum est, Vicario foraneo ratione sui vicariatus nullam competere praecedentiam supra alios parochos et presbyteros ipso antiquiores et digniores (*S. R. C. Decr. auth.* tom. V verb. *Vicarius foraneus*); at hae declarationes intelligendae sunt de praecedentia in choro, capitulo et sacris functionibus; hinc nihil impedit, quominus Vicario foraneo statuto episcopali vel consuetudine concedatur praecedentia supra clerum decanalem in congregationibus cleri et officiis ad Ordinarium spectantibus (S. R. C. 11 Dec. 1903 apud *Monitore ecclesiastico* Serie 2. tom. V p. 448 II).

(6) Parochi in propria ecclesia et in propriae parochiae districtu habent praecedentiam supra alios omnes sacerdotes, etiam supra dignitatem cathedralis, maxime quando haec accedit ut persona privata (*S. R. C. Decr. auth.* nn. 723 et 1356 ad 1). — Parocho ecclesiae matricis, etiamsi sit regularis et amovibilis, debetur praecedentia su-

beneficiati (1).

Abbates et Praelati regulares ratione iurisdictionis quam in suos exercent praecedentiam habere videntur super Praelatos mere dignitarios (exceptis Protonotariis praeter titulares seu honorarios, ut inferius dicetur); ast locum cedere debent canonicis collegialiter sumptis (*S. R. C. Decr. auth.* n. 102).

Protonotarii Apostolici a) de numero Participantium ipsis Abbatibus praecedunt etiam (ut videtur) iis quibus Pontificalium privilegium competit, ceterisque Praelatis regularibus. (Pii X motuproprio *Inter multiplices* 21 Febr. 1905 n. 11 (2), b) supranumerarii, item ad instar Participantium, habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, presbyteris, canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum regularium, quibus Pontificalium privilegium non competit, antecedunt, minime vero Vicariis generalibus vel capitularibus, Abbatibus, et canonicis cathedralium collegialiter sumptis (ibid. n. 21 coll. 46), c) titulares

---

pra alios loci parochos in processionibus et aliis actibus (ibid. n. 581), et generatim parochorum inter se praecedentia desumenda est non ex antianitate ordinis, sed ex praerogativa ecclesiae parochialis (ibid. n. 1551 ad 1, n. 1565 ad 2, n. 2075); hoc tamen non valet de rectoribus ecclesiarum adscriptitiarum, quorum praecedentia attenditur ex antianitate ordinis (ibid. n. 1551 ad 4). — Vice-parochi nulla gaudent praecedentia supra alios sacerdotes antiquiores ratione ordinationis, nisi agatur de functionibus, in quibus funguntur munere suo (ibid. n. 3780).

(1) Sacerdos beneficiatus in ecclesia, in qua nulla est collegiata, habere debet praecedentiam in functionibus ecclesiasticis, tam in sessione quam in incessu, supra alios sacerdotes non beneficiatos, sed simplices presbyteros etiam prius ordinatos in ordine sacerdotali et antianos (*S. R. C. Decr. auth.* nn. 1515 et 1850).

(2) Cfr. *Monitore ecclesiastico* Serie 2. tom. VII p. 14 sqq.

seu honorarii, habitu praelatitio induti, omnibus clericis, presbyteris, etiam canonicis, singulatim sumptis praeferuntur, non vero canonicis etiam collegiatarum collegialiter convenientibus, neque Vicariis generalibus et capitularibus, aut Superioribus generalibus Ordinum regularium et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae (ibid. n. 66).

Praelati Romanae Curiae locum habere videntur, iuxta varios suos gradus, immediate ante Protonotarios titulares seu honorarios.

2) Considerandus est **altior ordo.** Hinc presbyteri praecedunt diaconis, diaconi subdiaconis etc. iuxta varios hierarchiae ordinis gradus. — Ex hac ratione Cardinales inter se praecedunt (ut superius dictum est) secundum praeeminentiam tituli cardinalitii sive episcopalis sive presbyteralis sive diaconalis. — Pari ratione in capitulis, in quibus praebendae distinguuntuur in presbyterales, diaconales et subdiaconales canonici inter se praeferuntur secundum hanc praebendarum praeeminentiam (*S. R. C. Decr. auth.* nn. 1398 et 1237), secus canonici inter se praecedunt secundum praeeminentiam ordinis quo singuli sunt insigniti (ibid. n. 3783). — Pariter Episcopus consecratus praecedentiam habet supra Episcopum electum nondum consecratum.

3) Consideranda est **excellentia auctoritatis papalis** in consecrando, ordinando, vel certum gradum conferendo. Hinc Episcopus vel sacerdos a Rom. Pontifice consecratus vel ordinatus praeferendus est consecratis vel ordinatis ab aliis, etiam Cardinalibus (1). — Similiter Episcopi et Praelati exempti in synodo provinciali praecedunt Episcopos et Praelatos non exemptos (2). — Pariter si non constat de prioritate collationis beneficii duobus factae, simulque

(1) Cfr. cap. 7 X *de maior. et obed.* I. 33.

(2) Arg. ex cap. 6 *de privileg.* in 6° V, 7.

neuter possidet, praefertur ille, cui Sedes Apostolica vel eius legatus contulit (1).

4) Attenditur **antianitas** seu prioritas temporis in magistratu, dignitate vel ordine, iuxta R. I. 54 in 6°: *Qui prior est tempore potior est iure* (2): sufficit autem prioritas unius momenti (3).

5) Praecedentiam aliquando tribuit **privilegium**. Ex hac ratione inter Cardinales episcopos primus est Cardinalis Ostiensis; ex eadem ratione habetur supradicta praecedentia inter patriarchas maiores (4).

Ex praedictis praecedentiae titulis duo primi dicuntur principales seu primarii, quia primo loco attenduntur, ita tamen ut prior posteriori praeferatur; sic v. g. Vicarius generalis diaconus praecedentiam habet super Vicarium foraneum sacerdotem. Tres posteriores vocantur subsidiarii seu secundarii, quia considerantur secundo loco, in casu scil. paritatis in praecedentia ex titulis principalibus; attenditur autem titulus tertius prae quarto, sic v. g. sacerdos ordinatus a Papa, licet ordinationis tempore minor, praecedit sacerdoti ordinato ab Episcopo ordinationis tempore maiori.

***Nota.*** 1. Qui in sacris functionibus sunt parati seu induti paramentis sacris generatim praecedunt etiam superioribus qui vestes communes gestant.

2. In ordinanda praecedentia multum deferendum est particulari consuetudini, cuius tanta est vis, ut ius tribuat non solum quando leges expressae deficiunt, sed etiam quando iuris communis dispositio est contraria. (*S. R. C. Decr. auth.* nn. 70 et 3783) (5).

(1) Cfr. cap. 12 et 31 *de praebend.* in 6° III, 4.
(2) Cfr. cap. 1 X *de maior. et obed.* I 33.
(3) Cfr. Schmalzgrueber lib. I, tit. 33 n. 4.
(4) Cfr. Schmalzgrueber lib. I, tit. 33 n. 5.
(5) Cfr. Bargilliat tom. I n. 765 sub b).

3. Ex Conc. Trident. decreto Sess. XXV cap. 13 *de regul.* « controversias omnes de praecedentia, quae persaepe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas tam saeculares quam regulares, cum in processionibus publicis, tum in iis quae fiunt in tumulandis defunctorum corporibus et in deferenda umbella et aliis similibus, Episcopus amota omni appellatione et non obstantibus quibuscumque componat » (*S. R. C. Decr. auth.* n. 1905 ad 5) (1).

## § 2. — De professione fidei.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) obligatio emittendae professionis fidei; 2) poenae statutae in contrafacientes.

### 133. Qu. I. Quinam magistratus teneantur obligatione emittendae professionis fidei, et quanam ratione.

**Resp. 1.** Praeter baptizandos, redeuntes ad Ecclesiam ex haeresi vel schismate, nec non ordinandos sacerdotes (2), ac consecrandos episcopos ad normam respective Ritualis ac Pontificalis Romani fidei professionem emittere iure ecclesiastico tenentur:

1) **Promovendi ad dignitatem episcopalem** ante provisionem canonicam privatim in manibus illius Praelati, cui inquisitio in eorum vitam commissa est; quae professio insuper praescribitur inserenda seu addenda actis processus informativi ad S. Sedem transmittendis (3).

(1) Cfr. Schmalzgrueber lib. I, tit. 33 nn. 11 et 12.

(2) Eadem obligatione teneri etiam alios ordinandos ex iure communi erui non potest. Cfr. Wernz tom. III n. 14, III.

(3) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXIV cap. I *de reform.* coll. Gregorii Const. *Onus* 15 Maii 1591.

2) **Episcopi** omnes (comprehensis etiam Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis) **in prima synodo provinciali** quae post eorum promotionem celebratur: item **in synodo dioecesana omnes** beneficium ecclesiasticum qualecumque, etiam non curatum habentes, qui eidem **primo intersunt** (1). — Quod praescriptum, iuxta litteras S. C. de Propag. Fide 8 Maii 1860 (2), ex usu recepto in praxi ita observandum videtur, ut, saltem in synodis provincialibus (de quibus tantum loquuntur cit litterae) professio fidei ab omnibus Concilii Patribus semper emittatur.

3. **Praelati regulares** omnes, etiam Ordinum militarium, quocumque nomine vel titulo appellentur (3): quae tamen obligatio consuetudine quadam potius tolerata quam solide probata — ita Wernz (4) — ad illos perpetuos Superiores regulares fuit restricta, qui in Consistorio praeconizantur.

4) **Promoti** (5) **ad beneficia** quaecumque **curam animarum habentia** (non simplicia) (6), item promoti **ad canonicatus et dignitates** in ecclesiis **cathedralibus** (non in collegiatis) infra bimestre (7) a die captae posses-

---

(1) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXV cap. 2 *de reform.*

(2) Cfr. Wernz tom. III n. 14 in nota (44) p. 15.

(3) Cfr. Pii IV Const. *Iniunctum* 13 Nov. (9 Dec.) 1564.

(4) Tom. III n. 14, IV III.

(5) Intelliguntur vere et plene provisi de beneficio; hinc quibus beneficium non plene, i. e. non tamquam proprium est collatum (quales sunt v. g. coadiutores durante coadiutoria et vicarii temporanei), emittendi professionem fidei obligatio non incumbit (Cfr. Reiffenstuel lib. I, tit. 1 n. 166): incumbit autem parochis amovibilibus (S. C. C. 15 Dec. 1866).

(6) Cfr. Reiffenstuel lib. I, tit. 1 nn. 163-165.

(7) Haec temporis determinatio intelligenda est apposita non ad finiendam, sed ad urgendam obbligationem. Cfr. Riffenstuel, lib. I tit. 1 nn. 175-177.

sionis (1), in manibus Episcopi vel eo impedito (2) coram Vicario generali seu Officiali, (3) et posteriores insuper in Capitulo (4). — Professio fidei iteranda est in qualibet nova provisione, etiam beneficii dimissi (5).

5) **Omnes**, sive clerici sive laici, sive saeculares sive regulares, **qui exercent quoddam magisterium** scientiarum theologicarum ac philosophiae, vel aliarum artium liberalium ac grammaticae in catholicis universitatibus aliisve scholis catholicis sive publicis sive privatis, etiam regularibus, item **omnes promovendi ad gradus academicos** (6). — Qui fuerint magistri in universitatibus catholicis fidei professionem singulis annis repetere debent (7).

Pro praxi attendatur locorum usus ac consuetudo hactenus observata (8). Notat tamen Wernz (9) praefatam

(1) Emitti potest professio fidei etiam post susceptam institutionem vel collationem, et antequam in possessionem immittantur. S. C. C. 23 April 1902. Cfr. Wernz, tom. III, n. 17.

(2) Exponitur a DD. appositum ad quamdam admonitionem et convenientiam, ita ut satisfiat obligationi professionem fidei emittendo coram Vicario generali vel Officiali, etiam non impedito Episcopo. Cfr. Reiffenseuel, lib. I, tit. 1 n. 170.

(3) Non potest Episcopus ad excipiendam professionem fidei alium sacerdotem delegare nisi habeat indultum apostolicum (S. C. C. 15 Dec. 1866). — Sede vacante Episcopi nomine in casu intelligitur Vicarius capitularis, utpote per quem Episcopus repraesentatur. Cfr. Reiffenstuel, lib. I tit. 1 n. 171.

(4) Conc. Trident. sess. cap. 12 *de reform.* — Si Episcopus vel eius Vicarius in Capitulo est praesens, sufficit una professio fidei. S. C. C. 25 Ian. et 9 Febr. 1726. Cfr. Ojetti, *Synopsis.*, etc. verb. *Professio fidei.*

(5) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 158 et 159.

(6) Cfr. Pii IV Const. *In sacrosancta* 13 Nov. 1564.

(7) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXV cap. 2 *de reform.*

(8) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 n. 162 in fine.

(9) Tom. III, n. 14 in nota (49).

praescriptionem non nimis esse limitandam, neque observantias particulares esse confundendas cum consuetudine universali.

Tandem notandum promotos ad beneficia teneri ultro sese offerre ad emittendam professionem, adeo ut non requiratur ad hoc praevia monitio ; eamque factam ab ipsis esse probandam, si quando Ordinarius inquisitionem ex officio instituit (1).

***Nota.*** Quae iure communi de obligatione emittendae professionis fidei sunt statuta in non paucis regionibus iure particulari ad alias quoque personas sunt extensa (2).

**Resp. 2.** Professio fidei emittenda est

**1) personaliter**, omnino excluso procuratore, secus non valet ad satisfaciendum obligationi : quod ex S. C. C. doctrina constanti neque umquam in causis particularibus mutata omnino tenendum contra plurium veterum (3) sententiam, quae considerata tali, qualis praedicta est, S. C. doctrina hodiedum probabilis haberi non potest (4). Ratio esse videtur ex eo, quod professio fidei est actus protestativus assensus interioris proindeque omnino personalis.

**2) Formula** adhibenda est symbolum, quod dicitur Tridentinum, non quidem ab ipso Conc. Trident. promulgatum, sed a Pio IV Const. *Iniunctum* 13 Nov. 1564 publicatum, insertis additionibus post Conc. Vaticanum a Pio IX praescriptis (5). — Alia formula adhibita obligationi non satisfacit, nec excusat a statutis poenis.

**3) Ritus** autem externus maxime in hoc consistit, quod qui obligantur professionem fidei factam iura-

(1) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 179 et 180.
(2) Cfr. Santi, lib. I, tit. 1 n. 12.
(3) Inter quos et Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 181-187.
(4) Cfr. Wernz, tom. III, n. 18.
(5) Cfr. S. C. C. 20 Ian. 1877 in *Act. S. Sedis* vol. X, p. 71 sq.

mento corporali, i. e. evangeliis una saltem manu tactis, confirment, et finita formula iuramenti osculari quoque possint evangelium. — Quodsi multi simul emittant fidei professionem, duplex modus servari potest, scil. aut unus ex ambone legit singulas particulas symboli, quas alii illico repetunt, et ab initio unusquisque suum ponit nomen, in fine vero singuli accedunt ad librum evangeliorum, et coram competente Superiore ecclesiastico iuramentum praescriptum in forma legitima praestant, aut unus solus nomine omnium symbolum recitat, atque in fine brevi formula singuli se idem credere testantur et spondent et iurant (1).

**134. Qu. 2. Quaenam generatim poenae sint statutae in negligentes praescriptam fidei professionem.**

**Resp.** Variae statutae sunt poenae pro casuum varietate:

1) **Episcopum** renuentem professionem fidei **in synodo provinciali** Rom. Pontifici statim **denuntiare** interimque ab eiusdem **communione abstinere** debent Episcopi comprovinciales. **Beneficiati** renuentes in prima cui intersunt **synodo dioecesana** secundum formam sacrorum canonum sunt **puniendi** (2).

2) **Promoti ad beneficium curatum** aut ad **canonicatum** vel **dignitatem** in ecclesia **cathedrali**, qui professionem fidei praescripto modo culpabiliter non emiserint, **fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur** (3); de qua poena haec sunt notanda (4):

---

(1) Ita Wernz, tom. III, n. 19 ex Benedicto XIV *de synodo* lib. V, cap. 2 n. 8.

(2) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXV, cap. 2 *de reform.*

(3) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXIV, cap. 12 *de reform.*

(4) Cfr. Benedictus XIV *Instit. eccles.* 60.

a) Intelligendi sunt fructus ipsius beneficii, non distributiones quotidianae, nisi forte omnes redditus beneficii consistant in distributionibus, et quidem fructus debiti seu decursi post primum bimestre usque ad tempus quo emittit professionem eo usque neglectam; nec huiusmodi fructus recuperantur ex facto emissae postea professionis (1).

b) Praedicti fructus in conscientia iuste percipi non possunt, et percepti restitui debent ante omnem iudicis sententiam, etiam criminis declaratoriam, saltem ex probabiliore sententia contra plures antiquiores (2). Ratio habetur ex eo, quod cit. lex Tridentina est poena conditionalis, cuius haec est vis, ut neglecta conditione naturali consequentia amittatur conditionatum (3); hinc in casu fructus non fiunt proprii, sed sunt et manent alieni, et qua tales, etiam nulla interveniente sententia, iuste percipi non possunt, et percepti restitui debent.

c) Poena privans favore possessionis, ex iteratis S. C. C. declarationibus non respicit ipsum beneficium quoad titulum ac proprietatem, sed fructuum perceptionem tantum. Hinc omittentes professionem fidei favore possessionis (4) se tueri non possunt quoad fructus percipiendos retinendosque, imo in hunc finem nec longissima possessio eisdem prodest, quoad alios autem effectus favore possessionis atque ceteris iuribus ex eo provenientibus non privantur (5).

d) Dicti fructus restitui debent fabricae eccle-

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 191-194.

(2) Inter quos et Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 195-198, quorum sententia, iudice Wernz, tom. III n. 20 in nota (61), non amplius probabilis habenda videtur.

(3) Cfr. supra n. 40 Resp. 2, 3-b).

(4) Cfr. Reg. Cancell. Apostol. 35 et 36.

(5) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 199-204

siae si illa indigeat, vel pauperibus vel alteri pio loco pro arbitrio Ordinarii loci (1), nisi agatur de beneficio, cuius bona non sunt distincta seu a massa communi separata, quo casu fructus restituendi dictae massae accrescunt (2).

**e**) Condonatio fructuum illegitimae perceptorum est reservata S. Sedi, quae illam dare solet — ita Wernz (3) —, praesertim si professio fidei quadam bona fide omissa vel non debito modo emissa fuerit, iniuncta aliqua eleemosyna arbitrio Episcopi vel confessarii impositoque onere professionem fidei denuo rite emittendi vel repetendi.

**3**) Ex Pii IV Const. *In sacrosancta* 13 Nov. 1564 § 6 **promotiones ad gradus academicos** non praemissa professione fidei factae **invalidae** sunt, neque cuiquam in iudicio vel extra suffragari possunt. — Quae dispositio in foro ecclesiastico (4), praesertim in gradibus theologicis et canonicis (in quibus est practici momenti), etiam nostra aetate, nisi adsit dispensatio vel legitima consuetudo, vim habet (5).

***Nota.*** Poenae in praefata Const. statutae in admittentes absque fidei professione ad cathedras, lectiones et gradus in praxi saltem non amplius locum habere videntur. — Imprimis censurae latae sententiae ex eo quod non habentur in Const. *Apostolicae Sedis* abrogatae censendae sunt, neque per Pii IX decretum 20 Jan. 1877 videntur esse restauratae. Deinde poenae vindicati-

(1) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXIII, cap. I *de reform.* coll. Sess. XXII, cap. 3 *de reform.*

(2) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 205 et 206.

(3) Lib. III n. 20 ; cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 1 nn. 207 et 208.

(4) In gradibus profanis et in foro civili non amplius vim obtinere videtur.

(5) Cfr. Wernz, tom. III, n. 21.

vae, quum legis observatio tota sua amplitudine facta sit ubique fere impossibilis aut ex tolerantia quadam Ecclesiae non urgeatur, iam propter solum defectum culpae vix amplius locum habent, atque etiamsi adesset culpa, Ecclesia executionem illarum poenarum non solet urgere (1).

### § 3. — De residentia.

***Summarium***. Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) residentiae notio et divisio; 2) residendi obligatio, huius origo, ac causae ab ea excusantes; 3) poenae in non residentes.

**135. Qu 1. Quid intelligatur nomine residentiae, et quomodo dividatur.**

**Resp. 1.** Residentia **intelligitur** magistratus vel beneficiati commoratio continua in loco sui officii vel beneficii causa officii vel servitii ecclesiastici personaliter praestandi. — Duplex igitur ad residentiam requiritur elementum: a) commoratio continua, sufficit autem continua moraliter, quae non excludit omnem etiam brevem absentiam; nam — ut loquitur Conc. Trident. (2) — qui aliquantisper tantum absunt ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt; b) commoratio laboriosa, praestando in loco officii vel beneficii eiusdem ministerium personale, unde in sensu ss. canonum non residet vere, qui personaliter quidem commorans in loco muneris vel beneficii eiusdem tamen officia non praestat, siquidem — ut notant DD. — residere in sensu canonico nihil aliud est quam deservire Ecclesiae in officiis divinis (3).

Huiusmodi residentia dicitur formalis, ut distin-

---

(1) Ita Wernz, tom. III, n. 21.

(2) Sess. XXIII, cap. I *de reform.*

(3) Cfr. Reiffenstuel, lib. III, tit. 4, nn. 2-6.

guatur a residentia quae appellatur materialis, consistens in sola praesentia absque proprii officii impletione, quaeque vera in sensu canonico residentia dici non potest.

**Resp. 2.** Residentia formalis **distinguitur duplex:** vera, qua magistratus vel beneficiatus vere et realiter praesens in loco officii vel beneficii huius onera seu officia per semetipsum exercet; ficta, quando magistratus vel beneficiatus legitime absens ex quadam fictione iuris habetur praesens, saltem ad lucrandos fructus grossos (1), vel etiam ad lucrandas distributiones quotidianas (2).

### 136. Qu. 2. Quinam magistratus vel beneficiati, et quonam iure teneantur obligatione residentiae; quaenam numerentur causae ab ea excusantes.

**Resp. 1.** Obligatione formaliter et personaliter residendi ex disciplina vigente tenentur **omnes habentes officium vel beneficium duplex** (generatim), **praesertim curatum** (3). — Licet enim spectato iure scripto officium quodcumque residentiam exigat, ex universali tamen consuetudine officia vel beneficia simplicia eximuntur ab onere residentiae, exceptis canonicatibus ecclesiarum tum cathedralium quum collegiatarum, et illis beneficiis simplicibus, quibus ex voluntate fundatorum, statuto Ecclesiae, vel consuetudine particulari obligatio residentiae personalis adnexa est (4).

---

(1) Cfr. cap. 7 et 15 X *de cleric. non resid.* III, 4.

(2) Cfr. cap. unic. *de cleric. non resid.* in 6° III, 3.

(3) Nomine *curatorum* cum parochis tam amovibilibus quam inamovibilibus comprehenduntur etiam vicarii curati, administratores (oeconomi) et coadiutores. — Vicarii cooperatores lege residentiae tenetur iuxta praescripta iuris particularis sive scripti sive consuetudinarii (Cfr. Berardi, *Theol. moralis* tom. IV, nn. 739 et 740).

(4) Cfr. Reiffenstuel, lib. III, tit. 4 nn. 8 et 9. Wernz, tom. II, n. 470.

**Residendi obligatio duplex** distinguitur : alia strictior et absoluta, qua quis immediate sub culpa et personaliter officii vel beneficii obligationibus satisfacere tenetur, — alia minus stricta et conditionata, qua quis tenetur tantum sub poena amissionis fructuum, ac insuper per alium obligationibus satisfacere potest (1).

**Resp. 2.** In officiis et beneficiis **non curatis** quatenus legi residentiae sunt obnoxia, residendi obligationem esse ex **iure ecclesiastico** tantum, apud omnes in confesso est : et sane quum onera praedictis officiis et beneficiis adnexa oriantur ex iure ecclesiastico tantum, consequens est, ut eadem onera adimplendi obligatio, et a fortiori specialis adimplendi modus praescriptus (in casu residentia) de iure sit tantum ecclesiastico (2).

In officiis vero et beneficiis **curatis** inter DD. **lis est** quonam iure, divino et naturali an ecclesiastico tantum, oriatur residendi obligatio. De hac controversia acriter disputatum fuit in Concilio Tridentino . . . Cumque dissidentes inter se Patres haudquaquam invicem conciliari potuerint, tandem deliberatum est, ut novo quidem decreto (3) cuncti animarum pastores ad residentiam adigerentur, ac severae poenae contumacibus infligerentur, nihil tamen definiretur de iure, quo iidem continue inter suas oves versari tenentur : quinimmo ita decretum concinnandum Patres duxere, ut nihil inde alterutri sententiae detraheretur (4). — Qua in controversia ex cit. Tridentino decreto indubium quidem est, animarum pastores iure

(1) Cfr. Schmalzgrueber, tom. III, tit. 4 n. 6 ; Wernz, tom. II, n. 469 III, III.

(2) Cfr. Reiffenstuel, lib. III, tit. 4 nn. 14-16 ; supra n. 38 Resp. 1 *Ex dictis patet.*

(3) Videtur esse decretum Sess. XXIII, cap. I *de reform.*

(4) Ita Benedictus XIV *de synodo* lib. VII, cap. 1 n. 3

divino et naturali teneri ad habendam curam gregis sibi commissi : ast ut exinde concludatur ad obligationem (necessitatem) residentiae personalis ex iure divino, demonstretur necesse est requiri, ut cura illa habeatur per ipsum curatum, operam ipsam suam praestando, non per alium : quod nec in cit. Tridentino decreto affirmatur, nec aliunde (ni fallor) facile probatur (1). Negari tamen non potest personalem pastorum residentiam maxime congruere cum officiorum pastoralium conceptu, quem nobis divina pastorum institutio et missio praebet (2). Hinc cum Santi (3) concludendum videtur, obligationem personalis residentiae pastorum ecclesiasticorum esse **de iure ecclesiastico fundato tamen in intentione iuris divini**, non vero de stricto iure divino, nisi in quantum personalis pastoris praesentia ad spirituale gregis concrediti bonum sit omnino seu stricte necessaria.

**Resp. 3.** Legitimae **causae excusantes** generales a Conc. Trident. (4) enumerantur quatuor hae quae sequuntur:

1) **Christiana charitas :** intelligitur spirituale proximi bonum procurandi necessitas, quod bonum probabiliter ab alio aeque sperari non possit ; dummodo istud fieri possit absque magno proprii gregis detrimento.

2) **Urgens necessitas:** intelligitur imminens periculum vitae, gravis morbi vel persecutionis, quod tamen periculum non oriatur ex publica loci calamitate, sed ex personali pastoris ratione.

3) **Debita obedientia :** intelligitur mandatum ordina-

(1) Cfr. Benedictus XIV *de synodo* lib. VII, cap. 1 nn. 4, 5 et 7.

(2) Cfr. Ballerini-Palmieri *Opus theol. morale* (Ed. 3) tom. IV, n. 290.

(3) Lib. III, tit. 4 n. 7, a quo non multum discrepare videtur Wernz, tom. II, n, 471 ; contra Reiffenstuel, lib. III, tit. 4 nn. 10-13.

(4) Sess. XXIII, cap. 1 *de reform.* ; cfr. Santi Leitner lib. III, tit. 4 nn. 11-19 ; Reiffenstuel, lib. III, tit. 4 nn. 42-49.

rium iuris (v. g. visitationis SS. Liminum), aut extraordinarium legitimi Superioris, quo a grege ad tempus avocatur pastor pro aliquo ministerio ad bonum Ecclesiae universalis vel christianae reipublicae aut dioecesis (v. g. ad munus visitationis canonicae). — Notandum autem Episcopum non posse alicui committere officium, quod residentiae legem implendam habitualiter impediat.

4) **Evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas:** intelligitur promovendum bonum ecclesiae sive propriae (v. g. defendendo eiusdem iura) sive universalis (v. g. interveniendo concilio oecumenico vel etiam particularibus), necnon reipublicae civilis in implendo munere (v. g. senatoris) episcopatui adnexo [1], vel in expediendo publico magni momenti negotio quod ab alio aeque utiliter expediri nequeat. — Nequeunt vero Episcopi fungi officiis vel muneribus in curia regum vel aliorum principum saecularium, nec eorumdem ratione excusantur a lege residentiae, nisi obtenta prius Rom. Pontificis pro tempore existentis per Breve seu litteras missivas licentia [2].

Huiusmodi tamen causae, nisi periculum sit in mora, necessitatem petendae licentiae vel dispensationis a competente Superiore ecclesiastico ordinarie non excludunt [3].

---

[1] Episcopus, qui ex voluntate principis saecularis vel populi electus est Senator vel Deputatus, quin hoc officium sit sedi episcopali adnexum, ad hoc munus exercendum indigere videtur licentia S. Sedis. Cfr. Bargilliat, tom. I n. 622 c) ex Lucidi *de visitat. sacr. lim.* tom. I, cap. 2 nn. 4 et 5.

[2] Cfr. Urbani VIII, Const. *Sancta Synodus* 12 Dec. 1634.

[3] Ita Wernz, tom. II, n. 472.

**137. Qu. 3. Quaenam sint poenae in non residentes statutae.**

**Resp.** Ex iure decretalium non residentium poena ordinaria est **privatio officii vel beneficii,** quae poena infligi potest, appellatione remota [1], in eos qui post monitionem personalem (sufficit una peremptoria) tempore iuxta arbitrium Episcopi per dictam citationem determinato [2], aut post monitionem edictalem (requiritur triplex) elapsis sex mensibus residere non curaverint [3]: citatio autem requiritur personalis, nec sufficit sola edictalis, si scitur ubi non residens degat, nec tam longe vel aliter absit ut ad eum citatio personalis commode pervenire non valeat [4]. — Praeterea contra non residentes procedere potest Superior competens aliis poenis pro prudenti suo arbitrio infligendis, etiam, praemissa trina monitione, per censuras, ut legi residentiae satisfaciant, excepta tamen poena degradationis [5].

Iure Tridentino [6] contra varios magistratus et beneficiatos non residentes speciales statutae sunt sanctiones speciales, praesertim **privatio fructuum** pro gradu delicti commissi, de quibus agetur ubi de respectivis magistratibus singillatim. — Hoc solum cum Wernz [7] hic addendum, contra ordinationem Episcopi sive extra visitationem sive tempore visitationis in clericos non residentes pro-

---

[1] Cfr. cap. 4 X *de cleric. non resid.* III, 4.

[2] Cfr. cap. 8 X *de cleric. non resid.* III, 4.

[3] Cfr. cap. 11 X *de cleric. non resid.* III, 4.

[4] Post Conc. Trident., si agitur de parochis aliisque curatis inferioribus, indistincte fieri posse videtur citatio sive personalis sive edictalis. Cfr. Sess. XXIII, cap. 1 *de reform.* alinea *Eadem omnino.*

[5] Cfr. cap. 11 § *Contra eos* X *de cleric. non resid.* III, 4; Reifeenstuel, lib. III, tit. 4 nn. 19-27.

[6] Sess. VI, cap. 1 *de reform.*; Sess. XXIII, cap. 1 *de reform.*

[7] Tom. II, n. 474.

mulgatam non admitti appellationem cum effectu suspensivo, sed cum effectu devolutivo tantum (1). Quare beneficiatus tali ordinationi datae omnino obedire tenetur.

## Titulus X.

## De vicariis et delegatis magistratibus.

(Decret. lib. I tit. 28 *de offic. vicarii,* tit. 29 *de offic. et potest. iud. deleg.*).

Cfr. Reiffenstuel, aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom. II, nn. 545-562; Craisson, tom. I, nn. 283-287, 307-326, 490-497; Bargilliat, tom. I, nn. 235-251.

***Synopsis tituli.*** Hoc titulo exponitur theoria generalis illorum in Ecclesia magistratuum, in quibus vices alterius aguntur atque alieno saltem nomine quaedam exercetur potestas. Sunt autem qui dicuntur magistratus vicarii et delegati, de quibus distinctis agitur paragraphis.

### § 1. — De officio vicarii.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) vicariorum notio et divisio; 2) constitutio vicariorum; 3) vicariorum iura et onera; 4) cessatio officii vicarii.

**138. Qu. 1. Quisnam intelligatur nomine vicarii; quaenam sit vicariorum divisio.**

**Resp. 1.** Vicarius generatim **intelligitur**, qui legitima auctoritate ecclesiastica constitutus vices alterius gerit

(1) Cfr. Conc. Trident. Sess. XIII, cap. 1 *de reform.* et Sess. XXIII, cap. 1 *de reform.*; Benedicti XIV Const. *Ad militantis* 30 Martii 1742.

in officio sive contentioso sive non contentioso [1]; quae definitio videtur explicanda in hunc sensum, ut vicarius stricte talis (quatenus scil. distinguitur a delegato) vices alterius, ipsius personam agens, in officio implendo stabili quadam ac generali ratione gerat [2].

**Resp. 2.** Primario et principaliter **distinguitur a**) vicarius in divinis, qui in divinis ministeriis et cura animarum ceterisque ad internum forum conscientiae pertinentibus alterius vices gerit, et **b**) vicarius iurisdictionis, qui alterius vice in foro externo exercet iurisdictionem sive voluntariam sive etiam contentiosam [3].

### 139. Qu. 2. Quibusnam competat ius constituendi vicarios.

**Resp.** In constituendis vicariis **Rom. Pontifex** gaudet plena potestate **Episcopus** vero hoc iure gaudet in omnibus et generatim solis casibus a iure praescriptis vel permissis; neque enim Episcopo attribuendum est ius constituendi vicarios in casibus et modo a praxi Ecclesiae alienis, nisi existat legitima consuetudo vel habeatur Sedis Apostolicae licentia, siquidem disciplina vigens servanda est, et a DD. ponitur illud generale principium, quod nemo principe inferior officium suum totum alteri committere potest, nisi in casibus ab ipso principe vel in iure concessis. — Similiter inferiores Ordinarii vel vicarii tantum in casibus a iure permissis vicarios sibi constituere valent.

Concessio officii vicarii fieri potest omnibus illis mo-

[1] Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 28 nn. 1-7.

[2] Cfr. supra n. 94 *Nota* (p. 230). Exinde etiam dignoscitur, utrum variorum vicariorum potestas sit dicenda ordinaria, an vero delegata.

[3] Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 28 nn. 8-11; Wernz, loc. cit. n. 545, III.

dis, quibus aut officium quoddam ordinarium confertur, aut delegata potestas datur (1).

**140. Qu. 3. Quaenam sint vicariorum iura et onera.**

**Resp.** Vicariorum **habentium officium ordinarium** iure communi definitum iura et onera communia in genere eadem sunt quae reliquorum magistratuum ordinariorum, singularia vero uniuscuiusque officii particularis ex iure speciali sunt eruenda. — Vicariorum vero **habentium potestatem delegatam** tantum iura et onera definienda sunt ex iure constituto de iuribus et obligationibus delegatorum in genere (cfr. § sq. n. 145) atque ex mandato speciali delegationis (2).

**141. Qu. 4. Qua ratione vicarii officium cesset.**

**Resp.** Vicarii officium pro natura officii ordinarii vel delegati **cessat sicut generatim** officia ordinaria vel delegata amitti solent, **salvis specialibus** amissionis officii **modis**, qui in singulari quodam officio, v. g. Vicarii Generalis, obtinent (3).

## § 2. — De officio delegati.

***Summarium.*** Quinque sunt huius paragraphi quaestiones: 1) delegati notio et delegatorum divisio; 2) delegandi potestas et forma; 3) habilitas ad delegationem recipiendam; 4) delegati iura et obligationes; 5) delegationis cessatio.

**142. Qu. 1. Quinam dicatur delegatus, et quotuplex distinguatur.**

**Resp. 1.** Delegatus seu iudex delegatus stricto sensu **dicitur**, qui non vi officii suo nomine et proprio iure, sed

(1) Cfr. Wernz, loc. cit. nn. 546 et 547.
(2) Ita Wernz, loc. cit. n. 548.
(3) Ita Wernz, loc. cit. n. 549.

vi commissionis sive a iure sive ab homine factae nomine alieno transeunter in causa vel causis particularibus iurisdictionem habet. — Exinde **differt** delegatus ab ordinario, qui vi officii ex iure proprio suam habet iurisdictionem, a vicario qui alterius in officio implendo vices gerens stabili quadam ratione iurisdictionem habet, ab executore, qui merum exercet ministerium, atque iurisdictione proprie dicta caret (²).

**Resp. 2.** Delegati **distinguuntur**:

1) delegati **a iure** aut **ab homine**, prout commissam iurisdictionem obtinent ex ipsa legis ecclesiasticae dispositione, aut a magistratibus ecclesiastica potestate delegandi vel subdelegandi instructis;

2) delegati **speciales** aut **universales** (ad universalitatem causarum), prout ipsis committuntur una alterave causa particularis, aut omnes species causarum in certo genere (v. g. in cura parochiali vel episcopali), vel saltem omnes causae in certa specie contentae;

3) delegati **personales** aut **reales**, prout iurisdictio ipsis commissa est ratione personae, aut ratione officii sive dignitatis;

4) delegati **iudices** aut **magistratus** aut **simplices**, prout ipsis committuntur solae causae vere iudiciales cognoscendae vel definiendae, aut tota iurisdictio ad gubernandum, uti sunt v. g. Vicarii Apostolici, aut causae iurisdictionis voluntariae sive non iudicialis (¹).

### 143. Qu. 2. Quinam delegare possint; quaenam sit delegationis forma.

**Resp. 1. Delegare** (respective subdelegare) **possunt:**

---

(¹) Cfr. Wernz, loc. cit. n. 551, II.

(²) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29 nn. 30-40; Wernz, loc. cit. n. 551, III.

1) Omnes **magistratus ordinarii** [1], saltem fori externi [2], nisi ex natura rei vel iuris communis dispositione vel speciali Rom. Pontificis ordinatione negotium aliquod solis ordinariis magistratibus reservetur. — Verum totam suam iurisdictionem delegare, inconsulto competente Superiore, non possunt magistratus ordinarii; hoc enim foret potius officio sese abdicare et loco sui alium magistratum constituere: quod utique propria auctoritate fieri nequit.

2) **Delegati Rom. Pontificis** [3], dummodo sive ex causae gravitate sive ex delegationis tenore [4] non demonstretur electa industria personalis, nec alicui committatur nudum ministerium exequendum, salva tamen Legatorum Sedis Apostolicae auctoritate [5]. — Notandum fori interni sacramentalis iurisdictionem etiam a Rom. Pontifice delegatam subdelegari non posse nisi id in indulto exprimatur [6].

3) **Delegati ad universalitatem causarum,** etiam ab inferioribus Ordinariis, sed ad causam particularem

---

[1] Cfr. cap. 7 *de officio ordinarii* in 6° I, 16; R. I. 68 coll. 67 et 72 in 6°.

[2] Ex vigenti disciplina delegare amplius non possunt qui solam interni fori habent iurisdictionem; sic parochi, quam habent fori interni iurisdictionem ordinariam delegare non possunt. Possunt tamen plures functiones per alios exercere; ratio est, quod ad huiusmodi actus sufficit licentia, et non requiritur iurisdictio proprie dicta. Cfr. De Brabandere, tom. I, n. 101.

[3] Intelligendus etiam videtur delegatus ab aliqua S. Congregatione. Cfr. De Brabandere, tom. I, n. 103 in fine.

[4] Iuxta Wernz, (loc. cit. n. 553, II) in casu delegatio non est prohibita, dummodo partes consentiant, praeterquam si inquisitionem fieri, aut ecclesiis de Praelatis vel aliis ministris provideri Rom. Pontifex mandaret.

[5] Cfr. cap. 62 X *de appell.* II, 28; cap. 3, 28 et fin. X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.

[6] Cfr. De Brabandere, tom. I, n. 103 c).

tantum, non totam suam iurisdictionem. Hoc nititur communi DD. sententia et universali consuetudine potius quam iuris textibus; accedit ratio, quia licet iurisdictionem ordinariam non habeant, tamen in usu suae iurisdictionis Ordinario aequiparari possunt ex eo quod universalem habet iurisdictionem.

De cetero delegati ab inferioribus Ordinariis subdelegare non possunt (1) nisi speciali concessione ab illo inferiore Ordinario facta sit potestas subdelegandi, aut subdelegatio restringatur ad incidentem quemdam articulum saltem non iurisdictionalem, non ad causam cognoscendam vel definiendam extendatur.

Tandem animadvertendum delegandi potestatem a lege datam non esse, ut quis malitiose ipse sese exoneret (2); hinc quoad usum saltem licitum ex gravi causa pro prudenti arbitrio delegantis est exercenda (3).

**Resp. 2. Nulla** per se delegationis **specialis forma** requiritur. Hoc manifestum est pro delegatione a iure; neque etiam in delegatione ab homine necessario adhibenda est forma specialis, nisi in casu aliquo particulari expresse praescribatur. Sufficit generatim quilibet Superioris delegantis actus factum delegationis manifestans: qui tamen actus debet esse positivus, i. e. expressus vel saltem ita praesumptus ut quibusdam signis indicetur consensus de praesenti, si facta delegatio necessaria est ad valorem actus ponendi; sufficit vero in pluribus delegatio seu licentia rationabiliter praesumpta seu ratihabitio rationabiliter sperata, si tantum ad actus ponendi liceitatem requiritur. — Num requiratur dele-

(1) Cfr. cap. 62 X *de appell.* II, 28.

(2) Cfr. cap. 28 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.

(3) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29, nn. 55-65; Santi-Leitner lib I, tit. 29, nn. 7-12; Wernz, loc. cit. nn. 552-554.

gationis acceptatio, non convenit inter DD ; videtur affirmandum, quia non censetur concedi nisi acceptetur ; unde invalide datur ignoranti (1).

**144. Qu. 3. Quinam constitui possint delegati.**

**Resp. 1. Generatim** delegati constitui possunt **omnes** iurisdictionis recipiendae **capaces**, et ad eamdem exercendam **idonei**, dummodo habeant aetatem viginti (vel ex partium consensu octodecim) annis maiorem : minor octodecim annis delegari non potest nisi a Rom. Pontifice (2), quod tamen non nisi ex certa scientia fecisse censendus est Pontifex. — Porro delegari potest etiam non subditus, dummodo libere delegationem acceptet, siquidem non subditum invitum ad acceptandam delegationem compelli non posse, sicuti potest subditus, per se patet.

**Resp. 2. Speciatim delegatus a Rom. Pontifice** vel a Legatis Sedis Apostolicae ex iure ordinario (3) debet esse constitutus in dignitate ecclesiastica, vel personatum obtinere, vel esse canonicus ecclesiae cathedralis, vel Officialis sive Vicarius generalis, vel prior conventualis (4) ; imo Conc. Trident. (5) statuit, ut ex dictis personis qualificatis saltem quatuor (qui iudices synodales vocantur) designentur, quibus solis praeter Ordinarios locorum, causae delegandae committantur. Quod tamen ius ita est intelligendum, ut semper salva sit S. Sedis auctoritas ex certa scientia delegandi

---

(1) Cfr. De Brabandere, tom. I, n. 109 ; Craisson, loc. cit. nn. 320-322.

(2) Cfr. cap. 41 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.

(3) Cfr. cap. 11 *de rescript.* in 6° I, 3, et cap. 2 *de rescript.* in Clement. I, 2.

(4) Intelligitur omnis, quocumque nomine vocatur, Superior conventualis Regularium.

(5) Sess. XXV, cap. 10 *de reform.*

et alios: praeterea praedictum ius non est applicandum, ex sententia communi contra quosdam, subdelegatis a delegatis pontificiis: hinc quemadmodum Episcopi aliique Ordinarii inferiores delegare possunt simplices clericos, ita eosdem vi delegationis pontificiae obtentae subdelegare valent.

Tandem animadvertendum cum Santi, hodiernis temporibus causas S. Sedi delatas regulariter omnes a Congregationibus Romanis definiri, adeoque admodum infrequentes esse casus delegationis quaestionum extra Urbem; litteras vero apostolicas et rescripta pro executione committi Ordinariis locorum. Ita se habet hodie ordinaria praxis S. Sedis (1).

**145. Qu. 4. Quaenam sint delegati iura et obligationes.**

**Resp. 1. Iura** (potestas) definienda sunt ex mandato accepto, eaque **generatim extenduntur** ad ea omnia, sine quibus acceptum mandatum impleri nequit, ita tamen ut numquam excedatur potestas ipsius delegantis (2)

**In specie** ad delegatum spectat:

1) **Cognitio totius causae** eiusque **definitio;** hinc potest citare partes et testes necnon prohibere omnes qui suae iurisdictionis exercitio obstaculum ponunt, idque cum potestate irrogandi poenas in contumaces, etiam in personas tertias, modo subsint potestati delegantis (3); unde delegatus S. Sedis gaudet potestate in omnes fideles etiam in eos qui in altiore dignitate sunt

---

(1) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29, nn. 66-73; Wernz, tom. II, nn. 555 et 556; Santi-Leitner, lib. I, tit. 29, nn. 13-17.

(2) Cfr. Wernz, tom. II, n. 558.

(3) Cfr. cap. 1, 5 et 7 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29; Santi-Leitner lib. I, tit. 29, n. 30; Wernz tom. II, n. 559.

constituti, imo in proprios superiores, ita tamen ut in coactionibus inferendis dignitati deferat et personae (1);

2) **Sententiae latae executio,** quae certo competit delegato S. Sedis, et quidem sive per se sive per alium, v. g. Ordinarium, quem recusantem censuris compellere potest (2), ad quam executionem peragendam retinet iurisdictionem per integrum annum numerandum a lata sententia (3); imo potestas exequendi saltem per se, idque per integrum annum a lata sententia numerandum, probabilius vindicanda videtur etiam delegato ab Ordinario inferiore contra plures qui docent in casu executionem remittendam esse ad delegantem; ratio habetur ex eo, quod in causa commissa censentur commissa (modo delegans committere possit, nec sibi reservet) ea omnia quae pertinent ad plenam causae expeditionem, ad quam utique pertinet latae sententiae executio. Qua tamen controversia nondum authentice decisa in praxi expedit ut Ordinarius inferior, nisi executionem sibi reservare velit (quod tunc in delegatione est exprimendum), saltem ad cautelam delegato exequendi facultatem expresse concedat (4).

**Resp. 2.** Officium delegati has complectitur **obligationes:**

1) Ut in causa vel negotio **non procedat ante probatum sibi mandatum delegationis:** quae probatio in delegatione ab Ordinario inferiore sufficit etiam per testes, in delegatione vero a Summo Pontifice requiritur probatio per litteras apostolicas au-

---

(1) Cfr. cap. 28 tit. proxime cit.

(2) Cfr. cap. 7 tit. proxime cit.

(3) Cfr. cap. 26 tit. proxime cit.

(4) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29 nn. 103-110; Schmalzgrueber, lib. I, tit. 29 nn. 37 et 38; Wernz, tom. II, n. 559.

thenticas, ita ut non sufficiat notitia privata, quantumvis certa; hasce insuper litteras in casu delegationis ad stricte dictam iurisdictionem exercendam exhibere debet Ordinario loci ipsisque partibus, secus eiusdem iurisdictio recusari potest (1).

2) Ut **servet formam delegationis**, et quidem generatim loquendo sub poena nullitatis (2). Hinc

**a**) in mandato seu rescripto iustitiae attendendum ad modum procedendi forsan specialiter praescriptum, item ad designatum forsan locum et tempus delegationis exercendae; secus servanda est forma iuris communis, causa tractanda est intra provinciam ubi partes commorantur, et finienda per latam sententiam (non etiam per latae sententiae executionem) intra annum;

**b**) in mandato seu rescripto gratiae servandae sunt conditiones sub quibus concessa est delegatio, veras conditiones denotant ablativi absoluti: ad quod notandum huiusmodi conditiones habendas esse stricte dictas, ideoque sub poena nullitatis servandas, si continent aliquid a iure communi non praescriptum, sin autem praescribitur servandum, quod iam ex lege debet observari, potius est monitio ut servetur lex.

3) Ut **admittat** partium **probationes** et legitimas **exceptiones,** etiamsi in mandato habeatur clausula *Quacumque exceptione remota*, utpote qua clausula removentur solae exceptiones futiles et irrationales; insuper admittat necesse est legitimas **appellationes** (3).

---

(1) Cfr. cap. 12 X *de appellat.* II, 28; cap. 3 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29; supra n. 79 sub. 2) **b** in fine.

(2) Cfr. cap. 22 X *de rescript.* I, 3; cap. 11 *de rescript.* in 6° I, 3; cap. 26 X *de officio et potest. iud. delegat.* I, 29; supra n. 79 sub 3).

(3) Cfr. cap. 13 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29; Reif-

Tandem delegatus prohibetur a partibus munera accipere, nec eidem licet expensas facere nisi moderatas pro itinere vel in negotio tractando necessarias (1).

*Nota.* Potest fieri **plurium** quoad **eamdem** causam **delegatio**, et quidem aut **collegialiter**, ita ut omnes simul procedere debeant, aut **in solidum,** ita ut singulis delegetur tota iurisdictio in causam, aut **conditionate**, ita ut si omnes interesse non possint ex iis unus vel plures procedant. — Varia haec delegationis species dignosci debet ex ipsis delegationis litteris: in dubio, delegato mero ministerio, delegatio in solidum facta iudicanda est, ut nempe hoc modo facilius habeatur copia executoris, delegata vero iurisdictione ad litem terminandam, delegatio habenda est facta collegialiter, ut sic tutior sit causae definitio (2).

In **prima** delegationis **specie** omnes negotium tractare et definire debent per votorum maioritatem, et sententia lata vel uno absente et non audito foret nulla (3). — In **secunda** locus est praeventioni, qua scil. causam cognoscat et definiat ex delegatis ille solus, qui eamdem prius occupat edendo, post acceptas a par-

---

fenstuel, lib. I, tit. 29 nn. 94-101; Santi-Leitner, lib. I, tit. 29 nn. 18-23; De Angelis, lib. I, tit. 29 pag. 127-134.

(1) Cfr. cap. 11 *de rescript.* in 6° § *Insuper* I, 3.

(2) Cfr. De Angelis, lib. I, tit. 29 pag. 137 sq.

(3) Hinc in casu etiam mortuo uno ex designatis personaliter (designata dignitate delegatio transit in successorem) omnium iurisdictio expirat, nisi aliud in delegationis mandato sit expressum (v. g. per clausulam *Si non omnes* etc), vel vivente adhuc illo delegato causa inchoata fuerit, vel delegatus qui est mortuus vivens alii condelegato vices suas commiserit. Cfr. Wernz, tom, II, n. 561, et Santi-Leitner, lib. I, tit. 29 n. 28 explicans apparentem contradictionem cap. 14 et 42 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.

tibus delegationis litteras, mandatum citationis, ceteris penitus exclusis, nisi qui inceperit iusta causa impeditus fuerit, aut in causa incepta procedere nollet vel malitiose recusaret. — In **tertia** specie nullus per se solus procedere valet, nisi prius canonice constet ceteros aut non posse aut nolle accedere (1).

**146. Qu. 5. Quibus modis cessent generatim delegati potestas et officium.**

**Resp.** Delegati potestas et officium **cessant** potissimum his qui sequuntur modis (2):

1) **Resignatione** delegati legitime facta, atque **revocatione** debite intimata. — Revocatio semper, etiam re non amplius integra (3), valide fit a Superiore ordinario, atque etiam a delegato cum hac tamen limitatione, ut iurisdictionem, quam totam respectu alicuius causae subdelegavit, re amplius non integra, valide revocare non possit (4). — Ut revocatio sit licita, requiritur iusta causa.

2) **Morte** (resignatione, depositione etc.) **delegantis**, si agitur de causis iustitiae et res est integra (5); si vero agitur de causis gratiae (abstractione facta a clausula *Ad beneplacitum nostrum*), re integra morte

(1) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29 nn. 116-124; Santi-Leitner, lib. I, nn. 25-29; Wernz, tom. II, n. 537.

(2) Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 29 nn. 125-154; Santi-Leitner, lib. I, tit. 29 nn. 33-41; Wernz, tom. II, n. 561.

(3) Cfr. supra n. 82. 2.

(4) Cfr. cap. 37 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.

(5) Quando iurisdictio delegata est ad universalitatem causarum, sufficit ad eam retinendam, ut una causa inchoata fuerit, nisi in actu concessionis apposita fuerit clausula *Ad beneplacitum nostrum*. Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 115 *a*).

etc. delegantis expirat tantum gratia facienda, non gratia facta (1).

3) **Morte delegati**, si delegatio est personalis; delegatio vero realis, etiam re integra, in successorem transfertur. — In dubio delegationes praesumuntur personales, quia iurisdictio delegata est odiosa, adeoque stricte interpretanda.

***Nota.*** Ex S. Officii resolutione 24 Nov. 1897, a SSmo Dño Leone Pp. XIII insequenti die 26 Nov. approbata, facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessae non suspenduntur vel desinunt ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transeunt, ad formam et in terminis decreti a suprema hac Congregatione editi 20 Febr. 1888 quoad dispensationes matrimoniales: quo decreto, ex eiusdem S. C. declaratione 3 Maii 1899, comprehenduntur etiam facultates Ordinariis concessae, quibus utuntur quoties voluerint, licet ad praefinitum tempus, necnon quibus dumtaxat uti valent pro determinato casuum numero (2).

4) **Lapsu temporis** pro quo est concessa, nisi in causis iustitiae ante elapsum tempus praefixum mutuo partium consensu terminus fuerit prorogatus (3). — Item **impleta conditione** cui a delegante cessatio iurisdictionis in delegato fuit alligata.

5) **Recusatione** (qua scil. iudex delegatus ob suspicionem in ipsius personam cadentem recusatur) legitime proposita, et pronuntiata super eam sententia (4).

6) **Finito negotio** seu ex quo delegatus officio suo

---

(1) Cfr. superius n. 82 2).
(2) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n 116.
(3) Cfr. cap. 4 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.
(4) Cfr. Santi-Leitner, lib. I, tit. 29 nn. 40 et 41.

functus est (1), nisi fuerit delegatus ad universalitatem causarum, utpote qui aequiparatur iudici ordinario: idque etiamsi invalide suo officio functus sit, nisi invaliditas oriatur ex eo quod mandati formam non servavit, quia in eo casu concessa potestate revera non est usus (2). — Similiter cessat delegatio, si delegatus post inspectas litteras decretum tulit de earumdem nullitate ob vitium quo laborant; siquidem per hoc decretum munere suo est perfunctus (3).

Idem applicatur executoribus dispensationum apostolicarum, qui, postquam (servata tamen mandati forma) dispensaverunt etiam nulliter, aut non tantum putaverunt sed et pronuntiaverunt, etiam ex errore, non esse dispensandum, non valent amplius reassumere negotium, sed egent nova delegatione. — Exceptio est quoad rescripta S. Poenitentiariae pro foro conscientiae, quae si fuerint directa oratoris confessario, et hic aut distulerit exequi aut iudicaverit se exequi non posse, nihilominus exequi potest aut idem confessarius mutata sententia, aut etiam alius (quem adire valebit orator, si velit); ratio habetur ex diversa fori conscientiae natura, quae est, ut non adstringatur poenitens acquiescere sententiae unius confessarii et idemmet confessarius sententiam mutare possit (4).

---

(1) Cfr. cap. 9 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.

(2) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 114, 3°.

(3) Cfr. cap. 38 X *de officio et potest. iud. deleg.* I, 29.

(4) Cfr. De Angelis, tom. I, part. 2 p. 141; Feye, *de imped.* etc. (Ed. 4) n. 733.

# PARS III.

# DE MAGISTRATIBUS SINGILLATIM

## Titulus XI.

## De Romano Pontifice et Curia Romana.

(Decret. lib. I tit. 31 *de officio iud. ordin.*).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom. II nn. 564-679; Craisson, tom. I nn. 671-801; Bargilliat tom. I nn. 372-503.

***Synopsis tituli.*** Inter magistratus ecclesiasticos eminet Romanus Pontifex cum Curia Romana: est autem stricto sensu [1] Curia Romana ordinata collectio personarum, congregationum, tribunalium, officiorum [2] quibus Rom. Pontifex ad Ecclesiam universalem regendam ordinarie utitur. — Agitur hoc titulo distinctis paragraphis de Rom. Pontifice, de Cardinalibus S. R. E., de SS. Congregationibus, de Tribunalibus, de Officiis, de Sede Apostolica vacante.

---

[1] Lato sensu Curia Romana comprehendit etiam illos qui Papae adsistunt servitii domestici et familiaris praestandi causa, et veniunt sub nomine familiae pontificiae. Cfr. *La Gerarchia cattolica.*

[2] Curiae Romanae Congregationes, Tribunalia et Officia communi *dicasteriorum* nomine designantur.

Decreta a Pio X reformatio Curiae Romanae continetur eiusdem Const. *Sapienti consilio* 29 Iun. 1908, ad quam accedit *Lex propria sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae*, necnon *Ordo servandus in sacris Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae*, quo statuuntur *Normae communes* (NC.) et *Normae peculiares* (NP.).

## § 1. De Romano Pontifice.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) Rom. Pontificis munus et insignia; 2) Rom. Pontificis electio; 3) Rom. Pontificis potestas et iura; 4) dignitatis pontificiae amissio.

**147. Qu. 1. Quodnam sit Rom. Pontificis munus; quaenam eiusdem insignia.**

**Resp. 1. Rom. Pontificis munus** consistit in pascenda, regenda et gubernanda Ecclesia universali cum plenitudine potestatis, cui (excepto iure divino, quod tamen authentice interpretandi ius habet) omnia subsunt, atque hac una lege constringitur, ut nihil possit in destructionem, ita tamen ut eiusdem iudicio reservetur diiudicandum quid et quatenus in destructionem Ecclesiae sit.

Hinc Rom. Pontifex gravissimum habet ius et officium perpetuae assiduaeque vigilantiae atque supremae et universalis legislationis. Quo in officio exercendo duplici utitur potestate, ordinaria scil., quae sequitur ordinem iuris positivi, et ad limites dispositionis eiusdem iuris regulatur, — et absoluta, qua Pontifex est supra omne ius positivum humanum, et proin supra id pro suo arbitrio disponere valet. Verum hac absoluta potestate non censetur Pontifex uti, nisi de hoc constet per appositam clausulam *Non obstantibus* etc., vel *De apostolicae potestatis plenitudine.*

Cfr. Reiffenstuel loc. cit. nn. 7 et 8 (1).

***Nota.*** Praeter universalis Ecclesiae pastorem et rectorem Rom. Pontifex etiam est Patriarcha occidentalis, Primas Italiae et insularum adiacentium, Me-

(1) Quae in textu apponuntur citationes denotant auctores, ex quibus prae ceteris doctrina exposita est recepta, quive maioris explicationis gratia utiliter consuluntur.

tropolita Provinciae Romanae, et Episcopus Urbis Romae territoriique circumiacentis, quod dicitur « Comarca di Roma ». — Decreta, quae in una ex hisce qualitatibus pro respectivo territorio edit Rom. Pontifex, extra illud non obligant. Possunt tamen — ita Benedictus XIV (1) — et debent (nisi quid obstet) pro regula et exemplo a ceteris episcopis haberi et suscipi.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 598.

**Resp. 2. Insignia dignitatis pontificiae** sunt :

1) Pedum rectum, quod in summitate crucem habet, ut sit symbolum supremi muneris pastoralis nomine Christi crucifixi exercendi. Numquam vero utitur baculo pastorali, qui, utpote curvus, limitatam et ab alio participatam potestatem significat.

2) Tiara (triregnum) tribus ornata coronis, in signum triplicis potestatis aut ordinis, iurisdictionis spiritualis, et iurisdictionis temporalis, aut doctoris, legislatoris, et iudicis. Tiaram Pontifex gestat tantum in certis actibus solemnibus.

3) Pallium denique, quod est signum plenitudinis officii pontificalis. Pallio semper et ubique utitur Pontifex in Missarum solemniis.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 607.

**148. Qu. 2. Quaenam sit disciplina vigens in eligendo Rom. Pontifice.**

**Resp.** Quum in fontibus revelationis nulla reperiatur singularis lex divina de electoribus et forma electionis Rom. Pontificis, **potestas statuendi modum** (2) designa-

(1) *De synodo* lib. XI, cap. 12 n. 6.

(2) Disputant DD., num haec potestas etiam includat facultatem designandi stricto sensu (non tantum mere commendandi) personam successoris in cathedra S. Petri : quae facultas, saltem in casu verae

tionis competat necesse est supremae in Ecclesia auctoritati, quae est **penes Rom. Pontificem**.

**Disciplina vigens** continetur Pii X Const. *Vacante Sede Apostolica* 25 Dec. 1904 tit. 2 [1]: ex qua Const., considerato insuper iure divino, haec prae ceteris statuta notanda sunt:

1) **Electores** sunt soli et omnes Cardinales legitimi, mente sani, in conclavi praesentes [2], et quidem statim post eorundem creationem in Consistorio, licet iisdem cardinalitius galerus nondum traditus sit, neque os clausum, vel si clausum, nondum apertum fuerit: nec quisquam ex iis cuiuslibet censurae aut alterius impedimenti ecclesiastici praetextu vel causa ab electione activa et passiva ullo modo excludi potest; Cardinalis vero, qui saltem in Diaconatus ordine constitutus non est, nullatenus ad eligendum admitti debet, nisi certo et indubitato privilegio pontificio munitus sit.

Quod exclusivum Cardinalium ius salvum manet etiam tempore Concilii oecumenici, quod statim ab accepto certo nuntio de morte Pontificis suspensum ipso iure intelligi debet [3].

2) **Valide eligi possunt** omnes, qui iure sive divino sive ecclesiastico irritante non impediuntur; hinc valide eligibilis est masculus, qui usu rationis polleat ad acceptandam electionem et exercendam iurisdictionem verum-

---

et extraordinariae necessitatis vel utilitatis Ecclesiae certis argumentis impugnari non videtur, praesertim quum nostra aetate adversarii vix iam negare possint, Felicem IV (526-530) sensu stricto designasse suum successorem Bonifacium II, neque hanc designationem ante mortem revocasse. Cfr. Wernz, tom II, n. 567 sub. III.

[1] Cfr. *Acta Pii X* tom. III, p. 229 sqq.; *Acta Ordinis* Anno XXVIII (1909) p. 249 sqq.

[2] Cfr. cit. Pii X Const. nn. 34-37.

[3] Cfr. cit. Pii X Const. nn. 27-32.

que sit membrum Ecclesiae, etsi laicus tantum. Arcentur igitur tamquam inhabiles a valida electione, praeter feminas, infantes qui ad annos discretionis nondum pervenerunt, item habituali amentia laborantes, non baptizati, haeretici, schismatici ; verum amplius non arcentur a valida electione simoniaci, utpote sublata a Pio X (1) irritatione electionis simoniacae a Iulio II (vel alio qualicumque decreto pontificio) statuta. — Licite eligi nequit, qui caret debita honestate et scientia, et omnibus in Domino consideratis non est dignior.

3) **Electio fieri debet in conclavi,** et eo clauso, sublata tamen nullitate electionis a Gregorio XV (vel alio quovis decreto pontificio) hac de re statuta (2). — Praesentes Cardinales expectare debent absentes per decem tantummodo dies, quibus exequiae defuncti Pontificis celebrantur ; quibus elapsis statim Conclave ingredi et ad electionis negotium procedere tenentur (3).

4) **Forma electionis** triplex distinguitur (4) :

a) Per inspirationem, quando scil. omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant (5).

b) Per compromissum, quando scil. Cardinales ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore (6).

c) Per scrutinium, quae est forma ordinaria, et fit votis secretis et scripto datis atque clausis, secundum

(1) Cit. Pii X Const. n. 79.

(2) Cit. Pii X Const. n. 47. — Qua in Const. nn. 38-53 de Conclavi plura statuuntur.

(3) Cit. Pii X Const. n. 33.

(4) Cit Pii X Const. n. 54.

(5) Cit. Pii X Const. n. 55.

(6) Cit. Pii X Const. n. 56.

formam accuratissime statutam [1]: qua in forma haec est lex per plura iam saecula religiosissime servata, ut ille tantummodo Romanus Pontifex habendus sit, in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia consenserint [2]. — Speciatim notanda modificatio a **Pio X** [3] introducta, ex qua loco accessus (antea statuti), semel tam mane quam vespere, post completum scrutinium, si quidem in eo secuta non sit electio, Cardinales statim ad novum scrutinium peragendum procedere debent, in quo rursus suffragia sua ferant, iis, quae in primo scrutinio lata sunt, minime computatis.

Quodsi **electio aliter celebrata** fuerit, quam in scrutinio per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi praesentium, electi suffragio non computato [4]; vel per viam compromissi ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi praesentibus, nemine dissentiente, initi et ita ut nemo seipsum elegerit; vel quasi per inspirationem, nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium praesentium in Conclavi, communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum « *eligo* » intelligibili voce prolatum aut scripto, si voce non potuerint, expressum; nulla sit et invalida eo ipso absque ulla declaratione, ita ut electo nullum ius tribuat [5].

De aliis quae servanda vel vitanda sunt in electione Rom. Pontificis cfr. cit. Pii X Const. n. 79-86, ex quibus prae ceteris notanda prohibitio de interponendo civili

---

[1] Cit. Pii X Const. nn. 58-77.
[2] Cit. Pii X Const. n. 57.
[3] In cit. Const. n. 76.
[4] Cfr. cit. Pii X Const. n. 57 alinea *Numerus autem*.
[5] Cit. Pii X Const. n. 78.

*Veto* seu *Exclusiva* (uti dicitur): quod *Veto,* etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessiones quaslibet certa scientia et proprio motu omnino reprobat Pius X Const. *Commissum Nobis* 20 Ianuarius 1904 (1).

5) **Effectus electionis** canonice factae est, ut praestito consensu illico electus verus sit Papa, atque actu plenam absolutamque iurisdictionem supra totum orbem acquirit et exercere potest. — Qui consensus per Cardinalem Decanum nomine totius S. Collegii est requirendus, et praestandus intra terminum, quatenus opus sit, prudenti arbitrio Cardinalium per maiorem votorum numerum determinandum. — Deinde populo expectanti novus Rom. Pontifex a Priore Diaconorum publicatur. — Quod si electus nondum sit presbyter vel episcopus, a Decano Collegii Cardinalium ordinabitur et consecrabitur. — Tandem per Decanum Cardinalem Diaconum coronatur (2).

Cfr. Wernz tom. II, nn. 567-585.

**149. Qu. 3. Quaenam sint Rom. Pontificis potestas et iura.**

**Resp. 1. Potestas Rom. Pontificis,** quam tamquam successor S. Petri vi primatus in universam Ecclesiam iure divino habet,

1) quoad **naturam** non tantum consistit in officio inspectionis vel directionis, sed in potestate iurisdictionis;

2) quod **qualitatem** est potestas ordinaria, episcopalis et immediata;

3) quoad **intensitatem** totam plenitudinem supremae potestatis ecclesiasticae, non tantum potiores partes complectitur;

---

(1) Cfr. *Acta Ordinis* Anno XXVIII (1909) p. 267 sqq.

(2) Cit. Pii X Const. nn. 87-91.

4) quoad **obiectum** non solum ad fidem et mores, sed etiam ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinet;

5) quoad **extensionem** denique cuiuscumque ritus et dignitatis pastores et fideles, tam seorsim singulos quam simul omnes, ad hierarchicam subordinationem veramque obedientiam obstringit.

Cfr. Egger *Enchir. theol. dogm. generalis* (Ed. 3) n. 395; Conc. Vatic. Sess. IV cap. 3.

**Resp. 2. Iura Rom. Pontificis** ad haec praecipua capita apte revocari videntur:

1) Eiusdem **magisterium** supremum in rebus fidei et morum, in quo exercendo Rom. Pontifex cum ex cathedra loquitur, id est cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit (1).

Vi huius supremi magisterii Rom. Pontifex universales leges fidei condere, atque iudicio authentico et definitivo omnes controversias fidei dirimere potest, ut doctrina christiana conservetur, propagetur, defendatur. — In hoc magisterio speciatim continetur ius conficiendi et approbandi symbola fidei necnon praescribendi emittendam solemnem fidei professionem, praescribendi vel commendandi in universa Ecclesia catechismos aliosque libros pro instructione religiosa, erigendi universitates ac dirigendi latis legibus studium theologicum et instructionem religiosam, dirigendi missiones in toto orbe, leges condendi

---

(1) Cfr. Conc. Vatic. Sess. IV cap. 4; Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum* etc. n. 1839.

de approbatione et editione librorum, prohibendi lectionem quorumdam librorum, damnandi libros pravos necnon propositiones doctrinae catholicae contrarias, interpretandi authentice et infallibiliter ius naturale ordinis tum privati tum publici.

2) Ius **supremae legislationis** ordinarium et immediatum, condendo leges disciplinares quascumque, etiam poenales et irritantes, pro universa Ecclesia, — easdem leges, etiam a Conciliis oecumenicis latas, interpretando, mutando, abrogando, — privilegia quoque et dispensationes in iisdem concedendo. Huc pertinet etiam ius canones urgendi atque aptas recipiendi relationes, quod ius exercere potest Rom. Pontifex etiam per missos Legatos vel Nuntios Sedis Apostolicae.

3) Ius **tractandi causas maiores** exclusivum: causae maiores sunt illae, quae suapte natura sunt maioris momenti atque Rom. Pontifici propriae, aut quae sunt dubiae et arduae quoad executionem, vel pertinent ad personas in sublimitate constitutas, ideoque saltem ex positiva ordinatione Rom. Pontifici reservantur.

Inter causas maiores praecipue numerantur causae de fide et moribus, quoties non solvuntur ex definitionibus iam factis, — convocare Concilium oecumenicum, eique praesidere et illud confirmare, — approbatio religiosorum Ordinum proprie dictorum, eorumque suppressio, mutatio etc. — beatificatio et canonizatio, — exemptio a iurisdictione Ordinariorum, — dispensatio in legibus ecclesiasticis generalibus, — concessio indulgentiarum praesertim plenariarum, — erectio, unio, divisio, suppressio dioecesium, — erectio capitulorum, novarum dignitatum, monasteriorum, — Episcoporum creatio, translatio, renuntiatio, destitutio et depositio, necnon concessio coadiutorum, — causae Episcoporum saltem criminales graviores, quae privationem Sedis merentur, — tandem negotia, quae Rom.

Pontifex speciatim sibi reservavit, vel quibus (ut dicitur) manum apposuit.

4) Ius **supremi iudicii** immediatum, quo Rom. Pontifex omnes causas ad forum ecclesiasticum spectantes, spreto quoque iudice medio, iudicare et decidere potest, ita ut de ipsius iudicio iudicare nemini liceat. Hinc in causis ecclesiasticis ab omnium sententiis ex universa Ecclesia fieri potest appellatio vel recursus ad tribunal Rom. Pontificis tamquam in ultima instantia; imo et in prima instantia de dictis causis iudicare potest Sedes Apostolica, quae — ut loquitur De Angelis (1) — concurrit etiam in hoc cum omnibus iudicibus ecclesiasticis primae instantiae.

5) Ius **administrandi bona ecclesiasiastica** supremum ac plenum. Hinc Rom. Pontifex potest ex iusta causa bona ecclesiastica, etiam in notabili quantitate, alienare, raptorum bonorum Ecclesiae restitutionem detentoribus condonare, necnon commutare ultimas voluntates piorum fundatorum et bona ab iisdem relicta in alios pios usus convertere.

Cfr. Wernz tom. II, nn. 589-597; De Brabandere tom. I, nn. 143-184.

**150. Qu. 4. Qua ratione dignitas pontificia amittatur.**

**Resp.** Pontificia dignitas **amittitur** triplici ratione:

1) **Per mortem,** uti per se patet; item **per amentiam certam et perpetuam**, quae morti aequivalet: ratio habetur ex eo quod per certam et perpetuam amentiam penitus aufertur habitualis rationis usus, qui est fundamentum exercendae iurisdictionis papalis, quo fundamento destructo et ipsa iurisdictio corruat necesse est, propter pacem et necessitatem Ecclesiae.

---

(1) Tom. I, part. 2 p. 186 in fine.

2) **Per resignationem,** ex solemni S. Coelestini V decreto [1]; qua declaratione per ipsius S. Coelestini et Gregorii XII resignationem luculenter comprobata omnis disputatio inter DD. est sublata. Et sane, quum nullo fundamento inamissibilis ostendatur dignitas pontificia, hinc nulla apparet ratio, cur per liberam et publice declaratam resignationem non amittat primatum iurisdictionis Rom. Pontifex, qui per liberam electionis acceptationem eumdem est assecutus.

3) **Per haeresim** [2] **notoriam** et **palam** divulgatam, et quidem ipso facto, etiam ante omnem sententiam declaratoriam Ecclesiae, ex probabiliore Bellarmini sententia cum communiore contra alios [3]: etenim qui non est amplius membrum corporis Ecclesiae, i. e. Ecclesiae ut societatis visibilis, eiusdem caput esse nequit; sed ex ipso facto haeresis notoriae quis cessat esse membrum corporis Ecclesiae. Nihilominus reiicienda non est sententia criminis mere declaratoria hoc sensu, ut Concilium generale declaret factum criminis, quo ipse Papa haereticus sese ab Ecclesia separavit suaque dignitate privavit.

Praeter haeresim (schisma) nullum aliud habetur crimen, ob quod suam iurisdictionem ipso facto amittit Rom. Pontifex; multoque minus verus et indubitatus Papa ob quodcumque crimen per sententiam iudicialem deponi potest, quia « prima sedes a nemine iudicatur ».

Cfr. Wernz tom. II, nn. 612-618.

***Nota.*** **Litterae apostolicae** distinguuntur **ratione materiae** in constitutiones, quae respiciunt univer-

---

[1] Cfr. cap. 1 *de renuntiat.* in 6° I, 7.

[2] Crimini haereseos merito aequiparatur schisma.

[3] Qui aut suppositum non admittunt, aud idem opinantur in casu haeresis occultae, aut propositam doctrinam omnino reiiciunt, aut sententiam saltem declaratoriam criminis requirunt.

sam Ecclesiam, aut aliquam vel aliquas provincias particulares aliamve Ecclesiae partem, et in rescripta, quae respiciunt tantum personas privatas. — Constitutiones speciatim dicuntur decreta (motus proprii) quatenus eduntur nulla praecedente relatione vel consultatione, decretales quatenus feruntur ex aliorum relatione vel consultatione, encyclicae quatenus diriguntur ad omnes omnino vel alicuius regionis Episcopos.

**Ratione formae** distinguuntur in bullas, brevia et chirographa seu epistolae. — Bullae forma est, ut scribatur cum multis clausulis ordinarie lingua latina, in magna et crassa membrana, antea theutonico (bollatico gotico) nunc communi charactere latino, ac muniatur impresso sigillo rubri coloris referente imagines Apostolorum Petri et Pauli, inscriptione nominis Pontificis regnantis circumdata; pro certis tamen negotiis maioris momenti etiam nunc sicut antea adhibetur sigillum plumbeum, quod filo serico vel canabino appenditur (1). Bullae superscribuntur nomine Pontificis (sine numero) adiectis verbis *Episcopus servus servorum Dei,* expediuntur per Cancellariam Apostolicam (2), et subscribuntur per Cardinalem Datarium, eoque impedito per Cardinalem a secretis Status, contraposita subscriptione illius officialis, qui primus ordine temporis post Datarium sit, et in officio adsit (3); solummodo solemnes bullae quae dicuntur *consistoriales* subscribuntur ab ipso Rom. Pontifice et a Cardinalibus quorum consilio utitur. Datum in bullis apponitur pro more antiquorum

(1) Cfr. Leonis XIII Motu proprio *Universae Ecclesiae* 29 Decembris 1878.

(2) Unus erit earumdem expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariae*, iuxta normam seorsim dandam, sublatis iis modis qui dicuntur per *viam secretam, de Camera* et *de Curia*. Pii X Const. *Sapienti consilio* 29 Iun. 1908 de Curia Romana.

(3) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 9, 4°.

Romanorum, anni autem initium in posterum (1) ducetur non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die 25 mensis Martii, sed a Kalendis Ianuariis. — Brevis forma est, ut absque multiplicibus clausulis exarentur lingua plerumque latina, in oblonga et tenui membrana, charactere communi latino, ac muniantur sigillo rubro referente imaginem S. Petri piscationem agentis, ex quo dicuntur dari *sub annulo Piscatoris*. Brevia superscriptum habent nomen Pontificis cum numero (v. g. Pius Pp. X), et subscribuntur a Cardinali a secretis Status. Datum apponitur secundum kalendarium nunc receptum anni initio ducto a 1 Ian. — Distinguuntur etiam chirographa, quae sunt litterae apostolicae a secretaria brevium ad Principes et epistolarum latinarum in charta ordinario modo conscriptae atque a Rom. Pontifice propria manu subscriptae: in commentario officiali A. A. S. ponuntur sub titulo *Epistolae*.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 137-140; Oietti verb. *Litterae apostolicae*.

## § 2. — De S. R. E. Cardinalibus.

***Summarium.*** Quinque sunt huius paragraphi quaestiones: 1) Cardinalium notio et munus, origo, ac numerus; 2) eorumdem creatio, ac 3) obligationes necnon iura et privilegia; 4) consistorium; 5) dignitatis Cardinalitiae amissio.

**151. Qu. 1. Quinam nomine Cardinalium intelligantur, et quodnam generatim sit eorumdem munus; quaenam sit eorumdem origo; quinam eorumdem numerus.**

**Resp. 1.** Nomine Cardinalium ex disciplina nunc vigente **intelliguntur** supremae post Rom. Pontificem in

(1) Ex Pii X statuto in cit. Const. *Sapienti consilio* sub III *Officia* 5°.

Ecclesia dignitates constituentes collegium eum in finem institutum, ut Sede Romana plena ex officio in regimine universalis Ecclesiae Rom. Pontificem ad instar senatus principaliter adiuvent, et sede vacante, quatenus a iure permissum est, suppleant novumque Rom. Pontificem eligant. — Cardinalium collegio, quod dicitur *Sacrum Collegium*, praeest decanus, qui semper est antiquior ex Cardinalibus episcopis, ratione promotionis ad regimen unius ex ecclesiis suburbicariis, et simul obtinet sedem Ostiensem; subdecanus semper est Cardinalis episcopus Portuensis; seniores Cardinales in singulis ordinibus dicuntur capita ordinum. Praeterea Cardinalium Collegium habet Cardinalem camerarium pro administratione bonorum Collegii, qui quotannis eligitur, necnon secretarium, qui non est Cardinalis, aliosque officiales minores pro gerendis et expediendis S. Collegii negotiis.

**Duplex** proinde distinguitur generale **Cardinalium munus:** unum Sede plena Rom. Pontificem in regimine totius Ecclesiae consilio et opera coadiuvandi aut universim in Consistorio (1), aut singillatim explendo munera singulis a Rom. Pontifice demandata praesertim in SS. Congregationibus; — alterum Sede vacante exercendi regimen ecclesiasticum in iis negotiis, de quibus speciatim et expresse in iure cautum est (2), praesertim vero eligendi novum Pontificem.

**Resp. 2.** Cardinalium collegium, prout nunc existit, duxit **originem** e presbyterio Romano, cuius consilio iam ab antiquo usus est Rom. Pontifex in commisso sibi officio sollicitudinis omnium ecclesiarum. Huiusmodi presbyterium initio constabat presbyteris principalibus, qui 25 titulis

---

(1) Cfr. Qu. 4 huius paragraphi.
(2) Cfr. § 6 huius tituli.

Urbis fuerunt intitulati sive incardinati, atque septem diaconis regionariis; quibus postea stabiliter adiuncti sunt Episcopi, qui, utpote Urbi viciniores, suburbicarii dicuntur (1).

Dignitatem Cardinalitiam divinae esse institutionis docuerunt plures; at horum opinio, quippe quae neque in S. Scriptura neque in traditione divina ullum habet solidum fundamentum, plane improbabilis habenda est. Neque institutionibus Apostolorum adscribenda est praefata dignitas, sed est institutionis mere ecclesiasticae.

**Resp. 3.** Cardinalium **numerus,** qui vario tempore varius fuit, ex iure vigente a Sixto V statuto septuagenarius est, exemplo 70 seniorum, quos Moyses pro regimine populi Dei sibi assumpsit. — Triplex distinguitur Cardinalium ordo, episcopalis scil., presbyteralis, et diaconalis; qui varius ordo non desumitur a gradu ordinis quo singuli sunt insigniti, sed a titulis ecclesiarum quas tenent. — E septuagenario Cardinalium numero sex sunt ordinis episcopalis, qui scil. tenent episcopatus suburbicarios: Ostiensem cum Veliterno (Ostia e Velletri), Portuensem eum sede S. Rufinae seu Silvae Candidae (Porto e S. Rufina), Albanensem (Albano), Tusculanum (Frascati), Praenestinum (Palestrina), et Sabinum (Sabina), quinquaginta sunt ordinis presbyteralis, et quatuordecim sunt ordinis diaconalis.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 621-624.

### 152. Qu. 2. Quinam sit Cardinales creandi modus.

**Resp.** Cardinales **creantur** ex sola Rom. Pontificis voluntate, creandorum nominibus in Consistorio pu-

(1) Cfr. Saegmueller, § 88, p. 320 sq.

blicatis (1). Hinc nostra aetate mera caeremonia est quod Rom. Pontifex in Consistorio exquirit sententiam Cardinalium, antequam novos Cardinales creat. Similiter caeremoniales sunt certae solemnitates, quae in ipsa creatione ex usu antiquo servari solent, inter quas traditio birreti et galeri rubri, clausio et aperitio oris, traditio annuli atque designatio tituli; iam enim, non obstante Eugenii IV Const. *In eminenti* 26 Oct. 1431, indubium est, ex praxi a Pio V per decretum 26 Ian. 1571 expresse approbata, Cardinales omnia iura cardinalitia consequi per solam promotionem seu publicationem nomine Rom. Pontificis in Consistorio factam, et ante insignium traditionem et oris aperitionem.

Singularis modus in creandis Cardinalibus est qui fit per reservationem in pectore, uti dicitur: est autem hic, ut Rom. Pontifex aliquem in Consistorio ad dignitatem cardinalitiam promoveat tacito eiusdem nomine, postea pro Pontificis arbitrio quandocumque publicando (2). Quae publicatio si postea fiat, vim suam exserit a die promotionis in Consistorio factae; publicatione quamcumque ob causam non facta creatio illa cum reservatione nominis in pectore nullum producit effectum.

De promovendis ad Cardinalatum eorumque qualitatibus Conc. Trident. (3) decernit, ea omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina et

---

(1) Licet ad Cardinalium creationem stricto iure sufficiat sola Rom. Pontificis voluntas quomodolibet sufficienter expressa, etiam per aliquem codicillum vel per testamentum post mortem Pontificis aperiendum, tamen ad praecavenda difficultates et dubia praesertim de Rom. Pontificis electione omnino expedire videtur, ut in Cardinalibus creandis adhibeatur consueta publicatio in Consistorio. Cfr. *Act. S. Sedis* vol. VIII, p. 304 sq. coll. Santi-Leitner, tom. I, tit, 31 nn. 23 et 24.

(2) Cfr. nota praecedens.

(3) Sess. XXIV, cap. 1 *de reform.*

ceteris qualitatibus alias in eadem synodo constituta sunt, exigenda esse etiam in creatione S. R. E. Cardinalium etiamsi diaconi sint, quos — addit Conc. — sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos reperit, assumet.

Quod generale statutum Sixtus V (1), aliquatenus modificans quoad requisitam aetatem postulando in creandis Cardinalibus diaconis annum vigesimum secundum, de cetero magis determinavit.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 625-628 : Santi-Leitner, lib. I, tit. 31, nn. 21-24.

*Nota.* **Ius optandi** seu optionis, quod competit solis Cardinalibus in Curia residentibus, consistit in eo, ut ab inferiore ordine vel titulo ad superiorem in S. Collegio ascendere possint. Huiusmodi optio fieri nequit absque consensu Summi Pontificis, et perficitur per propositionem et approbationem in consistorio factam.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 629 ; Santi-Leitner, lib. I, tit. 31, n. 20.

**153. Qu. 3. Quaenam sint Cardinalium obligationes, necnon iura et privilegia.**

**Resp. 1.** Cardinalium **obligationes** praecipuae sunt, ut

1) coadiuvent Rom. Pontificem, cuius sunt consiliarii ac coadiutores in regimine universalis Ecclesiae, consiliis et assistentia, quin tamen ipsis competat ullum ius exigendi, ut Rom. Pontifex in negotiis expediendis, sive ad validitatem sive ad liceitatem actus, ipsorum requirat consilium vel consensum, et hinc

2) in Curia Romana resideant, ita ut absque Rom. Pontificis licentia Curiam Romanam et Statum

(1) Const. *Postquam* 3 Dec. 1586.

pontificium relinquere et alibi commorari non possint, sub gravibus poenis, etiam usque ad privationem dignitatis cardinalitiae, a solo Rom. Pontifice infligendis. — Excipiuntur ab hac obligatione Episcopi residentiales (non suburbicarii), qui ad cardinalatum promoti ex vigente disciplina ad residentiam personalem in suis dioecesibus obligantur.

Cfr. Wernz, tom. II nn. 630, 631 ac n. 479.

**Resp. 2.** Cardinalium **iura** et **privilegia** plura numerantur, inter quae prae ceteris notanda :

1) Cardinales omnes, solo cardinalatus titulo, habent ius suffragii decisivi in Conciliis oecumenicis, exceptis Cardinalibus diaconis nondum in ordine diaconali constitutis.

2) Ipsis solis competit praerogativa, ut tamquam Legati a latere per Romanos Pontifices mittantur.

3) Obtinent iurisdictionem in suis titulis. Cardinales episcopi in suis ecclesiis suburbicariis eamdem exercent iurisdictionem quam ceteri episcopi residentiales in suis dioecesibus, nisi iure speciali probetur extensio vel limitatio. — Cardinalibus vero presbyteris et diaconis per Innocentii XII Const. *Rom. Pontifex* 17 Sept 1692 sublata est iurisdictio quasi-episcopalis, quam antiquitus habebant in suis titulis quoad clerum et populum, et in Cardinalem Vicarium translata est, relicta ipsis tantum domestica quadam potestate in iis quae respiciunt servitium ecclesiae seu loci pii circa disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem ; at quoad honorifica iura pontificalia et benedictiones more Episcoporum peragendas res integra mansit, ita ut haec ad Cardinalem titularem exclusive pertineant (1), neque amiserunt Cardinales quamdiu in Cu-

(1) Cfr. decisio specialis commissionis quinque Cardinalium 25 Ian. 1879 apud Santi-Leitner, lib. I, tit. 31 n. 38.

ria Romana praesentes sunt, ius libere conferendi beneficia, quae ad ipsorum titulos spectant.

4) Participant in omnibus privilegiis iure communi Episcopis concessis.

5) Cardinalium iura honorifica haec praecipua sunt, ut praeter praecedentiam immediate post Rom. Pontificem gaudeant praerogativa principum Romanorum, qua solis regibus locum cedentes reliquis principibus familiarum regnantium merito saltem aequiparentur, nomen habeant exclusivum « *Cardinalium* », cum titulo « *Eminentiae* », necnon ipsis competant insignia galeri, birreti, pileoli rubri, insuper mitra serica damasceni operis, vestimenta purpurea (Cardinales ex Ordinibus religiosis assumpti retinent in vestimentis colorem proprii Ordinis) cum cappa magna, instrumenta pontificalia, v. g. crux pectoralis (1), annulus cardinalitius, baldachinus in ecclesiis suorum titulorum.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 632-634.

**154. Qu. 4. Quid sit Consistorium, et quotuplex distinguatur.**

**Resp.** Nomine Consistorii ex vigente Ecclesiae disciplina **intelligitur** solemnis conventus totius Collegii Cardinalium in Curia praesentium coram Rom. Pontifice ad actus quosdam solemnes peragendos, aut ad consulendum vel decidendum de gravissimis quibusdam negotiis ecclesiasticis.

Consistorium **distinguitur** praesertim **duplex** (2):

(1) Cfr. Pii X Motu proprio 24 Maii 1905 apud *Monitore ecclesiastico* Seconda Serie tom. VII, p. 194.

(2) Quidam distinguunt tertiam Consistorii speciem, quod dicunt semipublicum, et celebratur pro causis canonizationum, atque in eo eiusmodi canonizationes praeparantur; huic Consistorio interesse et votum dare permittitur Episcopis quotquot in Curia praesentes sunt. Bargilliat, tom. I, n. 440 b).

a) Publicum sive extraordinarium, quod a Rom. Pontifice convocatur ad extraordinarias quasdam solemnitates (v. g. traditionem galeri Cardinalibus noviter creatis); in eo praeter Cardinales admittuntur etiam alii viri dignitate conspicui.

b) Secretum seu ordinarium constans solis Cardinalibus, in quo fiunt creationes Cardinalium, provisiones sedium episcopalium et aliorum officiorum consistorialium; translationes Episcoporum, concessiones palliorum; circumscriptiones, divisiones, uniones dioecesium; deputationes Legatorum a latere, et Coadiutorum pro Episcopis: solemnes allocutiones de gravissimis negotiis ecclesiasticis et generatim consultationes de negotiis Ecclesiae, quae maximum et extraordinarium habent momentum. — Olim, quum negotia in Curia tractanda nondum erant inter Congregationes distributa, huiusmodi Consistorium saepius et statis temporibus celebrabatur; hodiedum vero eiusdem celebratio non adeo saepe fit, et prudenti Rom. Pontificis arbitrio determinatur.

Cfr. Wernz, tom, II, 656; Bargilliat, tom. I, n. 440.

**155. Qu. 5. Quibus modis dignitas cardinalitia amittatur.**

**Resp.** Dignitas cardinalitia **amittitur,** praeterquam per mortem, per renuntiationem factam in manibus Rom. Pontificis ab eoque probatam, per electionem ad Rom. Pontificatum, tandem per depositionem de qua solus Rom. Pontifex iudicat, etiam absque consilio et consensu Collegii Cardinalium. — Similiter solus Rom. Pontifex Cardinali deposito dignitatem plene restituere potest.

***Nota.*** Inter personas ad Curiam Romanam pertinentes praeter Cardinales recensentur Praelati aliique inferiores Curiales.

1) **Praelati** (praesules, antistites) ex disciplina vigente **intelliguntur** strictissimo sensu qui insigniti sunt saltem ordine episcopali, sensu latiore Praelatis adnumerantur clerici qui iurisdictione in foro externo gaudent, sensu latissimo etiam illi qui, absque ordine episcopali omnique iurisdictione in foro externo, titulo et iuribus quibusdam honorificis Praelatorum sunt instructi.

Praelati Curiae Romanae **distinguuntur** in primis ratione promotionis in Praelatos iustitiae qui praelaturam consecuti sunt impletis certis conditionibus aetatis, studiorum, proventuum a iure (1) requisitis, et Praelatos gratiae, qui ad praelaturam sunt admissi non servatis, ex dispensatione pontificia, dictis conditionibus, — deinde ratione potestatis vel officii in Praelatos veros (reales) qui sive singillatim sive collegialiter vera quadam potestate vel administratione ecclesiastica praediti sunt, et honorarios, qui vera potestate vel administratione ecclesiastica carentes aut simplices quasdam functiones obeunt aut mera praerogativa honorifica gaudent.

Inter Praelatos Curiae Romanae praecipuum locum occupant **Praelati domestici**, ad quos inter clericos praeter collegium Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum adsistentium ad solium pontificium spectant imprimis collegium Protonotariorum Apostolicorum qui distinguuntur in quatuor classes (2), deinde collegium Auditorum S. Romanae Rotae, postea collegium Clericorum Rev. Camerae Apostolicae, denique Praelati domestici singulares (ad nullum e praedictis collegiis pertinentes). — Sequuntur **Camerarii secreti** (participantes aut supranumerarii). — Post hos veniunt **Camerarii honorarii** (in abito paonazzo, aut

(1) Cfr. Alexandri VII Const. *Inter caeteras* 13 Iun. 1659.
(2) Cfr. supra n. 132 pag. 299.

extra Urbem). — Deinde **Camerarii secreti componentes Collegium Magistrorum Caeremoniarum Pontificiarum** (simpliciter, aut supranumerarii). — Postea **Cappellani secreti** (simpliciter, honorarii, aut honorarii « Extra Ur- « bem ». — Praeterea **Clerici secreti**. — Tandem Collegium **Cappellanorum communium pontificiorum** (simpliciter, aut supranumerarii) (1).

**Concessio Praelaturae** libere fit a Rom. Pontifice aut motu proprio aut etiam ex recommendatione Episcoporum.

**Iura et privilegia** honorifica Praelatis Curiae Romanae propria praesertim eruenda sunt ex specialibus Rom. Pontificum Constitutionibus hac de re latis.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 637 et 638.

2) **Curiales** inferiores **intelliguntur**, qui praeter Cardinales et Praelatos aliquod officium vel munus in Curia Romana exercent. Inter Curiales numerantur :

**a**) Singulorum dicasteriorum administri minores, maiores (ni fallor) Praelatis adcensentur. Quinam autem sint in singulis dicasteriis administri maiores vel minores definit *Ordo servandus* etc, NP., ubi statuitur eorumdem constitutio.

**b**) Advocati, quorum munus est ad instantiam partium aut ex officio et mandato magistratus in processibus Curiae Romanae meritum causae ex principiis iuris scripto proponere. — Ad advocati titulum in Curia Romana obtinendum requiritur, praeter lauream doctoralem saltem in iure canonico, triennale tyrocinium qua adiutor penes aliquem ex Auditoribus Rotae, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, et facto speciali examine approbatio a Collegio rotali (2).

---

(1) Cfr. *Gerarchia Cattolica* anni 1910 pag. 351-404.

(2) Cfr. *Ordo servandus* NC. cap. 7, 1° coll. *Lex propria S. Romanae Rotae* etc. can. 44 § 2.

Inter advocatos principem locum obtinent qui dicuntur consistoriales, quibus reservatum est in Consistorio causas perorare Servorum Dei Beatis vel Sanctis adscribendorum, necnon pallia postulare: sunt numero duodecim, ex quibus septem antiquiores dicuntur numerarii sive participantes (quibus solis competit praedictum ius petendi pallium et scribendi in causis beatificationis et canonizationis), ceteri quinque iuniores appellantur supranumerarii sive non participantes: nominantur a Rom. Pontifice iuxta formam a Benedicto XIV (1) statutam, et tum ex clericis tum ex laicis assumuntur. — Advocati consistoriales sunt advocati proprii ac nativi sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae; admittuntur tamen et alii sive sacerdotes sive laici, qui titulo advocati in Curia Romana legitime gaudent (2); hi dicuntur advocati rotales. — Qui cupiat advocati munus exercere apud SS. Rituum Congregationem in Sanctorum causis, is legitimum sibi titulum comparet advocati rotalis, ceterisque satisfaciat consuetudinis formis, quae ab eo sacro Consilio praescripta sunt (3).

c) Procuratores seu agentes (4), qui scil. ad negotia in Curia Romana curanda et tractanda assumuntur sive a privatis personis sive ab Episcopis, et hinc sunt sive privati sive publici. Procurator privatus assumi potest quilibet vir catholicus, integrae famae, et ad dicasterium, in quo negotium est tractandum, minime pertinens; publicus debet inscriptum habere nomen in procurato-

(1) Const. *Inter conspicuos* 29 Aug. 1744 §§ 3, 4 et 5.

(2) Cfr. *Lex propria S. Romanae Rotae* etc. can. 44.

(3) Cfr. *Ordo servandus* NC. cap. 7, 3°.

(4) Olim procuratores ab agentibus distinguebantur et dicebantur qui ad causas in tribunalibus Urbis agendas nomine partium sive praesentium sive absentium in casibus a iure permissis constituebantur.

rum albo, quod patebit in Officio a secretis S. Congregationis Consistorialis, servatis normis statutis (1),

Expeditionum ministri seu expeditores apostolici (spedizionieri apostolici) stricte sic dicti, quatenus scil. fruuntur privilegio *exclusivae* in Datariae Officio, sunt suppressi (2).

Notariorum et sollicitatorum, quos cum expeditoribus inter Curiales numerant AA., mentionem non facit *Ordo servandus*.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 639-643.

### § 3. — De SS. Congregationibus.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: 1) SS. CC. notio et communis constitutio; 2) potestatis ipsis competentis indoles; 3) singularum SS. CC. constitutio et competentia; 4) SS. CC. decretorum auctoritas.

**156. Qu. 1. Quid sint SS. CC.; quaenam earumdem communis constitutio.**

**Resp. 1.** SS. CC. **definiuntur**, ut sint collegia minora Cardinalium permanentia per Rom. Pontifices instituta ad certa negotia ecclesiastica expedienda: dicuntur *permanentia*, ut designentur SS. CC. stricto sensu sic dictae; siquidem qui data occasione pro peculiari negotio expediendo ad tempus deputantur Cardinalium coetus potius commissiones appellantur (3).

**Resp. 2.** SS. CC. **constant** Cardinalibus, e quibus unus Praefecti officio fungitur, nisi Rom. Pontifex praefecturam sibimetipsi reservaverit; Praefecto ad-

(1) Cfr. *Ordo servandus* NC. cap. 10.
(2) Cfr. *Ordo servandus* NC. cap. 8.
(3) Cfr. Santi-Leitner, lib. I, tit. 31 n. 40.

sistit Secretarius cum ceteris administris seu officialibus qui distinguuntur maiores et minores (1); praeterea pleraeque Congregationes habent suos Consultores e clero saeculari et regulari. — Administri maiores a Summo Pontifice libere eliguntur, minoribus eligendis titulorum doctrinaeque certamen proponitur (2).

Duplex distinguitur in Congregationibus administrationis organum: ordinarium seu Congressus, qui constat administris maioribus, praeside Cardinali Praefecto, extraordinarium seu plena Congregatio quae constat Cardinalibus. — In negotiis a plena Congregatione decernendis Cardinalibus solis competit votum decisivum: decisiones fiunt per votorum maioritatem, et ad ferendam validam decisionem Cardinales coadunati saltem tres esse debent, nisi ex speciali indulto Rom. Pontifex aliter statuerit (3).

Cfr. Wernz, tom. II, n. 651-653: De Meester, *de Reformatione Curiae Romanae*, pag. 13-16.

**157. Qu. 2. Quaenam sit potestatis SS. CC. competentis indoles.**

**Resp.** Potestas seu iurisdictio SS. CC. competens est 1) quoad **naturam** extraiudicialis seu voluntaria (4), adempta iisdem omni, quam ante reformationem a Pio X Const. *Sapienti consilio* decretam exercebant, potestate seu iurisdictione stricte iudiciali seu contentiosa, quae attribuitur tribunalibus proprie dictis, et nominatim

(1) Cfr. *Ordo servandus* NC. cap. 1.

(2) Cfr. *Ordo servandus* NC. cap. 2; ibidem NP. cap. 6, ubi determinatur munus variarum administrorum communiter.

(3) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 2, ubi determinantur negotia quae ad utrumque organum spectant.

(4) Cfr. supra n. 94, 2).

S. Rotae et Signaturae Apostolicae (1): quaestio utrum aliqua res in via disciplinari seu administrativa tractanda sit, an stricto ordine iudiciali agendum, deciditur ab illo dicasterio, ad quod delatus est supplex libellus, et quidem si ad S. Rotam libellus est delatus a Decano cum duobus Auditoribus primis, si vero ad aliquam Congregationem ab eiusdem ordinario Congressu (2). — Vi praefatae potestatis extraiudicialis SS. CC. intra limites suae competentiae imprimis concedere possunt favores et dispensationes; deinde non solum possunt leges a Summo Pontifice latas suis Actis authentice publicare ac promulgare, sed etiam authentice dare legum interpretationes inclusivas, imo et videntur posse suis decretis ac ordinationibus, ex spiritu iuris leges salva eorumdem substantia magis determinando ac aliquatenus etiam extendendo vel aliter modificando, providere disciplinae ecclesiasticae (3); tandem dirimere possunt controversias inter partes in via disciplinari seu administrativa (ut dicitur), remota litis contestatione, exclusa auditione testium nullisque scriptis patronorum seu advocatorum receptis, auditis tamen semper partibus quorum interest excussisque documentis ab iisdem productis (4); item adhibere possunt paternas correctiones. — Ceterum potestas legislativa stricte dicta, introducendo disciplinam substantialiter novam, nonnisi ex speciali Rom. Pontificis mandato SS. CC. competere videtur, exceptis forsan nonnullis iuxta dicta supra n. 28 Resp. 3.

Quae SS. CC. potestas vere et proprie est ordinaria, nisi forte procedant ex speciali SSmi commissione in

---

(1) Cfr. Pii X Const. *Sapienti consilio* II, *Tribunalia* 2° et 3°.

(2) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 1, 3°.

(3) Cfr. dicta supra n. 22 pag. 55 *Notandum tamen* etc.

(4) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 3 art. 2; Oietti *de Romana Curia* nn. 12 et 13.

materia ipsis per se non competente ; praeterea apostolica est, utpote quae exercetur auctoritate et nomine Rom. Pontificis, et hinc suprema est, a cuius decisionibus et sententiis non datur vera appellatio, neque recursus stricte dictus, sed tantum peti et obtineri potest beneficium novae audientiae, quod beneficium efflagitandum est intra decem dies ab evulgata sententia. Penes Cardinalem Praefectum est, audito Congressu dictum beneficium concedere aut recusare, prout rerum adiuncta suaserint. Quodsi Patrum Cardinalium decisio adnexam habet clausulam *et amplius* (subintelligitur *non proponatur*), non poterit novae audientiae beneficium concedi, nisi ab ipsa Congregatione plena (1).

2) Quoad **materiam** seu obiectum SS. CC. potestas restringitur ad illud particulare genus negotiorum, quae auctoritate apostolica ipsis sunt assignata, et ad causas natura sua publicas tantum. — Quae quoad determinatam materiam potestas est omnino privativa seu exclusiva, abrogata omni iurium cumulatione ; nihilominus, quia in peculiaribus casibus dubitationi aut errori locus esse potest, firma manet antiqua lex, qua, delato et excepto ab aliqua S. C. supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente sive ad iustitiam, nemini ulla de causa licet aliam suo marte S. C. ad eumdem finem adire ; sed opus est S. C. ipsius quacum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii ; quaevis concessio ab alia S. C. obtenta, contra memoratam legem, nullius est valoris (2). — Dubia circa competen-

(1) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 4, 10°.

(2) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 1, 2°, ex quo textu patet hanc legem, una cum abrogatione potestatis cumulativae, valere communiter pro omnibus Curiae Romanae dicasteriis.

tiam SS. CC. solvere pertinet ad Congregationem Consistorialem; excipiuntur dubia circa competentiam S. Officii quae ab ipsa hac Congregatione dirimuntur, ut dicetur inferius.

Praeter ordinarias facultates quas SS. CC. exercent, recipere possunt potestatem delegatam, qua expedire valent negotium quod ipsis non incumbit. Hac delegata potestate plurimum agent, quando decreto accessit auctoritas Rom. Pontificis per verba *facto verbo cum Sanctissimo:* quae clausula praesertim additur, si Congregatio videatur incompetens, vel si iuris mutatio aut extensiva interpretatio requiratur.

3) Quoad **territorium** attendenda est triplex ambitus seu extensionis species;

a) Nullis determinati territorii limitibus in suae competentiae rebus circumscribuntur S. Officium, Congregatio Indicis, sacrorum Rituum Congregatio, Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Congregatio caeremonialis; — item Congregatio de disciplina Sacramentorum in iis quae matrimonium spectant, salva tamen potestate S. Officii et Congregationis pro negotiis Rituum orientalinm, quam unitam habet Congregatio de Propaganda Fide; — item Congregatio negotiis Religiosorum sodalium proposita in rebus omnibus quae statum, disciplinam, studia et sacram ipsorum ordinationem spectant, salvo iure Congregationis de Propaganda Fide in Religiosos qua missionarios.

b) Iuris communis territorio (ubi scil. sacra hierarchia est constituta) in suae competentiae negotiis circumscribuntur Congregationes Consistorialis, de disciplina Sacramentorum (excepta re matrimoniali iuxta dicta sub a), Concilii, et Studiorum.

c) Missionum territorio (ubi scil. sacra hierarchia nondum constituta status missionis perseverat) in suae

competentiae negotiis circumscribitur Congregatio de Propaganda Fide (1).

4) Quoad **exercitium potestatis** statuta est duplex norma observanda: *a*) ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a Moderatoribus Rom. Pontifici fuerit antea significatum, et *b*) ut sententiae quaevis, sive gratiae via sive iustitiae pontificia approbatione indigeant, exceptis iis pro quibus Moderatoribus speciales facultates tributae sint exceptisque semper sententiis tribunalis S. Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis (2).

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 654 et 655; De Meester, *de reformatione Curiae Romanae* p. 7-16.

***Nota. 1.*** **De modo adeundi dicasteria** cum iisque agendi praecipue notandum, cuique fideli patere aditum ad S. Sedis dicasteria, et facultatem esse cum iisdem de suis negotiis agendi, sive per se sive opera alicuius advocati vel procuratoris. — Item Ordinarii possunt ipsi per se, nullis interpositis procuratoribus, sive praesentes in Curia sive per litteras, in variis Apostolicae Sedis dicasteriis negotia libere tractare, non solum quae se ipsos spectant, sed etiam quae dioecesim ac sibi subditos fideles. — Advocati et procuratores, si iisdem opus est, constitui debent iuxta normas quae supra n. 155 *Nota 2*) sub b) et c) sunt notatae (3).

Modum practicum tractandi res in Curia Romana explicat Pruemmer *Manuale iuris ecclesiastici* tom. I in fine *Appendix II* (p. 442 sqq.).

*2.* **De taxationibus** haec prae ceteris sunt attendenda:

(1) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 1.

(2) Cfr. Pii X Const. *Sapienti consilio* in fine, ex quo textu patet duplicem hanc normam vigere communiter pro Congregationibus, Tribunalibus et Officiis.

(3) Cfr. *Ordo servandus* NC. cap. 10.

**a**) In omni rescripto, indulto, dispensatione a suo dicasterio indicabitur non modo taxatio S. Sedi solvenda et remuneratio Agenti debita, sed etiam pecuniae summa cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro executione rescriptorum, si haec est necessaria.

**b**) Taxatio S. Sedi et Agenti debita pauperibus, sive cives privati sint sive Instituta piaeve causae, si petita gratia moraliter necessaria sit et non lucrosa oratori, ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris manentibus impensis postalibus, exscriptionis etc.

**c**) Ordinarii, secreto facta informatione apud parochos, significabunt in singulis casibus, num agatur de paupere vel quasi paupere, ideoque num competat ipsi ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata tum Episcopi tum parochi conscientia super expositorum veritate cum obligatione restituendi quidquid iniuria sublatum est.

Si qui iniqua voluntate renuant satisfacere taxationem praescriptam ad aliquam consequendam dispensationem, cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et peccata vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Iidem, impetratae gratiae notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri prudenterque licebit) ex iustitia aliquid S. Sedi deberi.

Utcumque tamen gratiae validitati nihil umquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis conditionem.

Cfr. De Meester loc. cit. pag. 11. II, IV ; *Ordo servandus* NC. cap. 11. — De taxatione expensarum iudicialium cfr. *Lex propria S. Rotae etc. Appendix.*

*3.* **De modo respondendi.** Sententiae vel decisiones a SS. CC. generatim dari solent simplicissimis illis formulis *Affirmative* vel *Negative ;* quodsi data responsio videatur aliqua ratione moderanda, adduntur verba *et ad men-*

*tem*, quae mens aliquando in rescripto exprimitur sub verbis *mens est*, aliquando solis interesse habentibus notificatur. — Formulae *Dilata* vel *Iterum* (proponatur) denotant, decisionem differri propter defectum informationum vel allegationum. — Negativam quamdam responsionem insinuant formulae *Reponatur*, *Lectum*, *Relatum*, *Non expedire*, *Nihil*.

Animadvertendum cum Santi-Leitner (1), certum non esse Cardinales in decernendis causis moveri illis argumentis, quae sive in animadversionibus ex officio sive in votis Consultorum vel allegationibus partium adducuntur; hinc rationes decidendi certas non constituunt, nec proinde ex iisdem pro iure explicando argumenta certa deduci possunt tamquam iuris principia ab ipsis SS. CC. constituta.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 655. Ampliora habentur apud Lega tom. II, n. 102 (*Compendium* n. 561).

**158. Qu. 3. Quaenam sit singularum SS. CC. competentia, ac constitutio.**

**Resp.** Sacrae Congregationes, iuxta reformationem a Pio X inductam, a die 3 Nov. 1908, numerantur hae undecim quae sequuntur:

1) **Congregatio Sancti Officii**. Haec S. Congregatio

a) doctrinam fidei et morum tutatur, ac proinde ipsi soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus quae suspicionem haeresis inducunt, uti sunt apostasia ab Ordine vel a Religione, magia, sacrilegium, abusus Sacramentorum, sollicitatio in Sacramento Poenitentiae.

b) Ad ipsam quoque devoluta est universa res de indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat. — Qua de re notanda est lex quae statuit, « impe-

(1) Lib. I, tit. 31. n 63.

trantes generales indulgentiarum concessiones (1) teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar eorumdem concessionum ad Secretariam sacrae Congregationis deferre ».

**c**) Integra manet S. Officii facultas ea cognoscendi huae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis (2) versantur.

Ad haec notandum, dubia quae circa competentiam S. Officii in aliqua re oriri possunt ab ipsamet hac Congregatione per se dirimi, servatis semper terminis a Const. *Sapienti consilio* praefinitis.

Huius S. Congregationis praefecturam Rom. Pontifex sibi reservavit ; administri maiores, post Cardinalem a secretis, sunt Adsessor et Commissarius ; accedunt Consultores et nonnulli Censores vulgo *Qualificatori* dicti, aliique administri minores.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 1°, necnon *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 1 ; A. A. S. tom. I, pag. 109 sq.

**2) Congregatio Consistorialis**. Huius S. Congregationis est

---

(1) Indulgentiarum concessiones generales intelliguntur quibus conceduntur indulgentiae, quas omnes fideles quovis tempore et quovis loco lucrari possunt. Cfr. Beringer *Die Ablaesse* (Ed. 12a) pag. 101, 5.

(2) Comprehenditur etiam facultas dispensandi in hisce impedimentis, nisi agatur de Ritibus Orientalibus, pro quibus huiusmodi dispensationes conceduntur a Congregatione pro negotiis Rituum Orientalium. Quae spectant privilegium Paulinum etiam pro dictis Ritibus pertinent ad S. Officium. Cfr. *Acta Apostolicae Sedis* tom. I, pag. 149. VI. — Num vero etiam comprehendatur potestas iudicialiter tractandi causas nullitatis matrimonii ex dictis capitibus motas in dubium vocatur. Cfr. Oietti, *de Curia Romana* n. 33 ; De Meester, pag. 19. — Cfr. etiam Congregationis Consistorialis declaratio circa competentiam relate ad matrimonia mixta (*Acta Apostolicae Sedis*, tom. II, pag. 56).

**a**) imprimis parare agenda in Consistoriis, ac praeterea in locis Congregationi de Propag. Fide non subiectis novas dioeceses et capitula tum cathedralia tum collegiata constituere, — dioeceses iam constitutas dividere, — Episcopos, Administratores Apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere, — canonicas inquisitiones seu processus super eligendis indicere actosque diligenter expendere, — ipsorum periclitari doctrinam. — At si viri eligendi, vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, a Secretaria Status documenta excipientur, et positio conficietur Congregationi Consistoriali subiicienda (1).

**b**) In regionibus iuri communi subiectis ad ipsam spectant negotia quae ad singularum dioecesium regimen universim referuntur : ad ipsam proinde spectant vigilantia super impletis vel minus impletis obligationibus Ordinariorum, cognitio relationum Episcoporum de statu dioecesium, indictio visitationum apostolicarum earumdemque absolutarum examen ac Rom. Pontifice consulto praescriptio eorum quae necessaria vel opportuna visa fuerint, denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia seminariorum pertinent.

**c**) Huius S. Congregationis est in conflictatione iurium, dubia circa SS. CC. competentiam solvere, uno excepto S. Officio, uti superius sub 1) dictum est.

Huius S. Congregationis praefecturam gerit ipse Rom. Pontifex ; unus e Cardinalibus est Secretarius : post ipsum administri maiores sunt Adsessor et Substitutus ; accedit collegium Consultorum cum numero sufficiente administratorum inferiorum.

---

(1) Oietti n. 44 eas tantum extra Italiam dioeceses comprehendi putat, quae sitae sunt in iis regionibus, quarum Gubernia relationes fovent diplomaticas cum S. Sede.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 2° : *Ordo servandus* NP. cap. 7 art. 2 ; A. A. S. tom. I, pag. 111 sq.

3) **Congregatio de disciplina Sacramentorum.** Huic S. Congregationi proposita est universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure S. Officii iuxta dicta superius sub 1), et SS. Rituum Congregationis circa caeremonias in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servandas. Hinc magis speciatim

a) ipsi tribuuntur ea omnia, quae hucusque a variis Romanae Curiae dicasteriis decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis ; — tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis de Religiosis moderandi eorumdem ordinationem ; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti : aliaque id genus.

b) Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes eadem S. Congregatio dirimit, incolumi iure S. Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad S. Romanae Rotae tribunal remittat (1).

(1) Hac de re ita scribit Ojetti n. 50 in fine : « Causas autem matrimoniales de valore vinculi iudiciario ordine tractandas esse necessario iudicare debet S. Congregatio, tum ex ipsa natura rei tum ex praescriptis iuris, quas proinde omnes ad Rotam remittere debebit ». — Contra Leitner p. 16 ita habet : « Si agatur de matrimonio quod impugnatur ob clandestinitatem, ob vim et metum [haec per modum exempli sunt posita], incedi potest vel via disciplinari vel contentiosa. Iudicium utra via sit eligenda est penes S. Congregationem ».

c) Peculiariter ad ipsam pertinet has concedere facultates, quae ad omnem tollendam ambiguitatem recensentur in NP. cap. 7, art. 3, sub. 10, scil.: adservandi SSmam Eucharistiam in templis aut in sacellis eo iure carentibus: — celebrandi Sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans; — erigendi altaris ad litandum sub dio, — celebrandi ante auroram et post meridiem; — legendi Missam feria V in Coena Domini, itemque tres Missas in Nativitate Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione SSmae Eucharistiae; — coeco aut coecutienti ut litare possit cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis: — celebrandi Sacrum in navibus: — Episcopum consecrandi die alio ab iis qui in Pontificali Romano statuti sunt; — sacros Ordines extra tempora conferendi; — eximendi fideles, ipsosque Sodales religiosos, quoties opus sit, a lege ieiunii Eucharistici.

Huius Congregationis praefecturam habet unus e Cardinalibus, post quem administri maiores sunt sunt Praelatus a secretis et Subsecretarii tres: accedunt Consultores et congruus administratorum minorum numerus.

*Nota.* Ex NP. cap. 7, art. 3, sub 19-21 dispensationes matrimoniales distinguuntur minoris gradus et maioris gradus. — Dispensationes gradus minoris sunt ab impedimentis: *a*) consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio, et quarti vel tertii gradus mixti cum secundo; *b*) affinitatis in primo gradu, et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat; *c*) cognationis spiritualis cuiusvis generis; *d*) publicae honestatis, sive per sponsalia sive per matrimonium, super quod iam dispensatum sit, fueritque solutum. — Dispensationes

a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis*. Sic vero concessae perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint: ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I. 3°; *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 3; A. A. S. tom. I, pag. 112 sq.

4) **Congregatio Concilii.** Huic S. Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populique christiani refertur. Quamobrem

a) ipsius est curare, ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de Sacramentis pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles;

b) moderatur quae ad parochorum, canonicorum, et universim cleri saecularis iura et officia referuntur, etiam si negotia aut causae aguntur inter ipsos et Episcopum [1];

c) eidem tribuuntur quae pias sodalitates, pias uniones (exceptis Tertiis Ordinibus saecularibus) [2], pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi attingunt;

d) videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent;

e) eidem reservata est facultas eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectat;

f) ad eamdem pertinent eā omnia, quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur;

---

[1] Cfr. De Meester pag. 25 b).

[2] Cfr. dicenda, ubi de S. C. Religiosorum,

g) iudicat controversias omnes de praecedentia, exceptis iis quae Sodales religiosos attinent (quae controversiae S. C. de Religiosis sunt reservatae), iisque pariter demptis quae Cappellam vel Aulam pontificiam, et Patres Cardinales spectant (ad S. C. Caeremonialem deferendae);

h) ad eam pertinet videre, administrationis et disciplinae tramite, de servitutibus quas aedi sacrae constituisse aliquis iactet, aut quas eidem velit imponere, qualia sunt habitatio in superiori contignatione, murorum impositio, atque horum similia: — est etiam haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, in linea disciplinari pertractandas indicaverit; cetera ad S. Romanam Rotam erunt deferenda; tandem

i) notandae sunt nonnullae peculiares facultates uni huic S. Congregationi reservatae, quae ad omnem ambiguitatem tollendam singillatim recensentur in NP. cap. 7, art. 3, sub 4, scil. concedendi collegiis Canonicorum seu Capitulis dispensationes ab obligatione celebrandi Missam feriae et vigiliae, Missae canendae et applicandae conventualis, canendi atque in choro recitandi horas canonicas; — tum Capitulis, tum singulis e clero saeculari anticipationem recitationis officii matutini; — Capitulis anticipationem Vesperarum et Completorii ante meridiem, — sacerdotibus e clero saeculari commutationem recitationis officii divini cum aliis precibus; — dispensationem a ieiunio praescripto ante consecrationem sacrarum aedium; — facultatem in interno templi vel publici sacelli pariete fenestram faciendi extruendique parvi chori aut aperiendi ostii, quo privatus aditus patefiat; — dispensationem a laurea doctoris sive ex tabulis institutionis sive ex lege praescripta ad beneficium vel officium assequendum, quorum largitio ad Ordinarium pertinet.

Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur.

S. C. Concilii Praefectus est unus e Cardinalibus, post quem administratores sunt Praelatus a secretis et subsecretarius; accedunt Consultores, necnon administri minores.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 4°; *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 4: A. A. S. tom. I, pag. 114 sq.

5) **Congregatio negotiis Religiosorum Sodalium praeposita**. Haec S. Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad Sodales religiosos utriusque sexus, tum solemnibus tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita ratione eorum cum aliis. Hinc

a) ad hanc Congregationem pertinent non solum ea omnia, quae status religiosi (latissimo sensu sumpti) ac Sodalium religiosorum, necnon tertiorum ordinum saecularium bonum regimen ac directionem concernunt [1], sed ipsa etiam

b) ea omnia moderanda sibi assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus Sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore [2]; ceterae ad S. Rom. Rotam sunt

---

[1] Cfr. Oietti, n. 64 p. 100 in fine *Competentia* etc.

[2] Hanc huius Congregationis competentiam restrictam putat Oietti, n. 66 ad eas causas, quae respiciunt regimen et disciplinam internam Sodalium religiosorum: quod confirmari ipsi videtur ex decisione S. Congregationis Consistorialis 8 Iul. 1909 (*Acta Apostolicae Sedis*, tom. I, p. 575), ex qua decisione Congregationi Concilii competit moderari ea omnia, quae ad compositionem bonorum eccle-

deferendae, incolumi semper iure S. Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes. Imo

c) huic Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis (1), exceptа tamen dispensatione a lege ieiunii eucharistici, quae etiam quoad Sodales religiosos conceditur a Congregatione de Sacramentis, ut dictum est superius 3 sub. c) in fine.

Munus Praefecti gerit unus e Cardinalibus, post quem administri maiores sunt Praelatus a secretis et Subsecretarius; adest collegium Consultorum, ac habentur aliquot administri minores; A. A. S. tom. I, pag. 115 sq.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 5°; *Ordo servandus* NP. cap. 7 art. 5.

**6) Congregatio de Propaganda Fide.** Huius S. Congregationis

a) quoad loca iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat, additis nonnullis regionibus, quae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt. Praeterea ad ipsam pertinent Vicariatus omnes Apostolici, Praefecturae seu missiones quaelibet, eae quoque quae tempore editae Const. *Sapienti consilio* suberant Congregationi a Negotiis ecclesiasticis.

A iurisdictione huius S. C. exemptae et ad ius commune deductae per Const. *Sapienti consilio* decernuntur

---

siasticorum pertinent, etsi de Religiosis agatur. — Pariter ex resolutione Congregationis Consistorialis 9 Dec. 1909 (A. A. S. tom. I, pag. 814) Congregationi Concilii competit moderamen confraternitatum et piarum unionum, quae dependent ab Ordinibus et Congregationibus religiosis, vel erectae sunt in eorum ecclesiis seu domibus. — Etiam seminaria viris religiosis commissa dependent a Congregatione Consistoriali. — Religiosi qua missionarii subsunt S. C. de Propag. Fide.

(1) Hac facultate comprehendi non videntur alumni alicuius certii Ordinis. Cfr. Oietti, pag. 101 in nota (1).

in Europa ecclesiasticae provinciae Angliae, Scotiae, Hiberniae et Hollandiae, ac dioecesis Luxemburgensis, — in America provinciae ecclesiasticae dominii Canadensis, Teriae Novae et Statuum Unitorum.

b) Quoad materiam huius S. C. iurisdictio complectitur generatim omnia fori externi negotia ecclesiastica occurrentia in locis ipsi subiectis, exceptis iis quae aut fidem attingunt, aut matrimonium, aut sacrorum rituum disciplinam; huiusmodi enim negotia haec S. C. deferre debet respective ad S. Officium, aut ad Congregationem de Sacramentis, aut ad SS. Rituum Congregationem, at quoad res his Congregationibus reservatas ipsa Congregatio de Propag. Fide remanet organum transmissionis (1).

c) Quoad personas huius S. C. iurisdictio restringitur ad suos subditos; hinc facultates et indulta, quae antea haec S. C. concedebat iis quoque qui in locis existebant iuri communi subiectis (prout erant facultates quinquennales et decennales Episcopis ab hac S. C. concedi solitae), nunc suis subditis tantum tribuere potest (2). — Praeterea quod spectat ad Sodales religiosos eadem Congregatio sibi vindicat quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos sive simul sumptos, tangit: quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos sive simul sumptos, attingit, ad Congregationem Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

Huius S. C. praefecturam gerit unus e Cardinalibus, cui adiungitur Praelatus a secretis et subsecretarius, qui sunt administri maiores, quibus plures adduntur administri minores; adest etiam Collegium Consultorum.

*Nota. 1.* S. C. de Propag. Fide unitam habet **Congregationem pro Negotiis Rituum orientalium**, cui

---

(1) Cfr. De Meester, p. 28.
(2) Cfr. Oietti, n. 74.

integra manent quae huc usque servata sunt (1). — Habet haec Congregatio communem cum Congregatione de Propaganda Fide praefectum Cardinalem, distinctum vero Secretarium distinctosque officiales minores, ac proprios Consultores.

*2.* Praefectura specialis pro re oeconomica esse desinit ; omnium vero **bonorum administratio**, etiam Reverendae Camerae Spoliorum, ipsi Congregationi de Propag. Fide committitur.

*3.* Cum S. C. de Propag. Fide coniungitur **Coetus pro unione Ecclesiarum dissidentium**, qui Coetus a s. m. Leone XIII Motu proprio *Optatissimae* 19 Mart. 1895 institutus est ad promovendam schismaticarum ecclesiarum reductionem ad unitatem Ecclesiae.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* 1, 6° ; *Ordo servandus* NP. cap. 7 art. 6 ; resolutiones S. Congregationis Consistorialis 12 Nov. 1908 et 29 Iul. 1909 de competentia S. C. de Propag, Fide (A. A. S. tom. I, pag. 148 sqq., et 678 sqq.)

7) **Congregatio Indicis**. Huius S. Congregationis est

a) non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos, si oportuerit, prohibere, et exemptiones concedere, sed etiam

b) ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis damnanda, imo

c) in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque S. Sedi denunciare, ad normam Const. *Officiorum* 25 Ianuarii 1897.

Huius S. Congregationis Praefectus est unus e Cardinalibus, cui adsistunt Magister S. Palatii Apostolici tam-

(1) Cfr. supra pag. 360 in nota (2).

quam assistens perpetuus, necnon secretarius; accedunt alii administri minores, et collegium Consultorum.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 7°; *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 7.

8) **Congregatio sacrorum Rituum.** Haec S. Congregatio generatim ius habet videndi et statuendi omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae seu, ut aiunt, in linea disciplinari disceptetur. Hinc magis speciatim eiusdem est

**a**) praesertim advigilare, ut sacri ritus et caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant. Deinde

**b**) debet advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiae Latinae, eos inspicere, corrigere aut reprobare, salva S. Officii competentia in iis, quae fidei capita seu dogmata respiciunt; — excutere atque approbare nova officia divina et calendaria; — dubia de ritibus iudicare ac dirimere; — quae hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere, veteri retento catalogo, novis tamen disciplinae normis circumscripto, iis praesertim quae superius allata sunt sub 3), c) de Congregatione Sacramentorum, et sub 4), g), h), i) de Congregatione Concilii. Denique

**c**) ea omnia exequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad S. Reliquias quoquo modo referuntur.

Huius Congregationis praefecturam gerit unus e Cardinalibus cui adiungitur Secretarius, quem adiuvat Substitutus. Praeter hos sunt plures Praelati officiales; accedunt alii administri minores, et Collegium Consultorum (1).

***Nota.*** Huic Congregationi adiunguntur:

**a**) Coetus **liturgicus**, cuius finis nunc est, ut difficilioribus quaestionibus liturgicis studeat, quas Congregatio, ordinarie loquendo, nonnisi ipso consulto dirimit; constat hic coetus paucis membris (hucusque numerum septenarium non excesserunt), e quibus unus praesidis, alter secretarii munere fungitur.

**b**) Coetus **historico-liturgicus**, cuius finis est, ut consiliis suis adiuvet Congregationem in iis, quae ad historiam pertinent vel cum historia connectuntur; componitur paucis membris, e quibus unus praesidem, alius secretarium agit.

**c**) Coetus **pro sacro concentu**. Constat hic coetus paucis membris, e quibus unus praesidis, alter secretarii munere fungitur.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 8°, *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 8.

**9**) **Congregatio caeremonialis**. Haec S. Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat. Hinc

**a**) ad ipsam pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum, peragunt; itemque

**b**) quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad S. Sedem mittunt.

Huius S. C. praefecturam tenet Cardinalis Decanus S. Collegii, cui adiungitur Secretarius. Consultores habet

(1) Cfr. Oietti, n. 94.

omnes et solos Magistros caeremoniarum pontificiarum (1).

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 9°; *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 9.

**10) Congregatio pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis.** Haec S. C. hoc singulare habet, quod nullum certum determinatumque obiectum iurisdictionis et actionis in specie ipsi sit commissum, sed in ea tantum negotia incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem Secretarium Status, praesertim ex illis, quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent, et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

Haec S. C. caret Praefecto, cuius tamen munus in ea explet Cardinalis Secretarius Status; habet suum Secretarium cum Subsecretario, non autem secretariam propriam, cuius locum tenet prima sectio Secretariae Status. Adsunt administri minores; Consultores vero non amplius habentur (2).

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 10°; *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 10.

**11) Congregatio Studiorum.** Huic S. Congregationi

**a**) commissa est moderatio studiorum, in quibus versari debeant maiora athenaea, seu quas vocant Universitates seu Facultates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae Sodalibus administrantur. Praeterea

**b**) novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

(1) Cfr. Oietti, n. 105.

(2) Cfr. Oietti, n. 109; *Gerarchia Cattolica* (anni 1910) pag. 447.

Huius S. C. praefecturam habet unus e Cardinalibus. Accedunt Secretarius cum Substituto et paucis administris minoribus. Adest etiam collegium Consultorum [1]

Cfr. Const. *Sapienti consilio* I, 11°; *Ordo servandus* NP. cap. 7, art. 11.

***Nota.*** Praeter has Congregationes manet etiam **Congregatio Reverendae fabricae S. Petri**, quae tamen nunc unam sibi curandam habet rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum.

Praeterea existunt quidam **Coetus** independentes, scil; studiis provehendis sive S. Scripturae, sive historiae; Obulo S. Petri administrando; Fidei in Urbe praeservandae. Hi Coetus permanent in statu quo antea.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* in fine; Oietti *Appendix.*

**159. Qu. 4. Quaenam sit. SS. CC. decretorum in re disciplinari auctoritas.**

**Resp.** Variae distinguendae sunt decretorum [2] species:

1) SS. CC. **decisiones** vel **resolutiones**, quibus controversiae inter partes dirimuntur, aut iuris communis principia ad casus speciales applicantur, etsi certe ligent eos pro quibus sunt datae, universalis tamen legis vim per se non habent; inservire autem possunt ad genuinum legum canonicarum sensum investigandum [3]. — Nihil autem omnino in casibus si-

---

[1] Cfr. Oietti, n. 112; *Gerarchia Cattolica*, pag. 448.

[2] Variis nominibus, iisque non raro promiscue adhibitis appellantur; stricto autem sensu *declarationes* dicuntur interpretationes iuris iam constituti; *resolutiones* vel *decisiones* potius appellantur responsiones et sententiae in casibus particularibus; denique *decreta* videntur vocanda novae plane leges. Cfr. Wernz, tom. I, n. 148 in fine.

[3] Magna tamen hac in re opus est prudentia, ne quae specialibus nitantur circumstantiis ius commune habeantur.

milibus valent SS. CC. dispositiones, quibus, attentis specialibus circumstantiis, praxis quaedam toleratur, aut aliquid dispensando conceditur.

2) SS. CC. **decreta formaliter generalia,** quae aut vi praecedentis mandati specialis, aut subsequentis specificae confirmationis Rom. Pontificis universae Ecclesiae vere promulgantur, citra omnem controversiam vim legum generalium habent, licet legem vere et obiective obscuram et dubiam declarent, aut etiam sive interpretando sive simpliciter ius novum constituant; obligant enim vel tamquam interpretationes authenticae, vel tamquam constitutiones pontificiae modo legitimo editae.

3) Quoad SS. CC. **declarationes formaliter particulares**, sed **aequivalenter generales**, quae scil., sive ex officio seu per responsiones ad dubia generalia, sive ad instantiam seu per responsiones ad dubium a persona particulari propositum, iuris iam constituti sensum exponendo determinant, disputant DD.

Iuxta plures huiusmodi declarationes, quae interpretationem iuris dubii et obscuri, non meram expositionem legis clarae (1), continent, magnam quidem habent auctoritatem, et tamquam interpretationes vere authenticae obligant personas quibus datae sunt, attamen supremum gradum auctoritatis, i. e. legum universalium, non attingunt, nisi universae Ecclesiae legitime promulgentur, aut iteratis declarationibus transierint in stylum Curiae, aut in praxim et disciplinam communiter vigentem.

Alii communius et verius (ut videtur) docent, dictas declarationes, etiamsi legis obscurae sensum interpretantur, vim legis universalis habere absque nova promulgatione, dummodo ius vere novum (2) non consti-

(1) Quo in casu universalis obligatio communiter affirmatur.

(2) Cfr. supra n. 22 pag. 55 alinea *Notandum tamen* etc.

tuant ac decisivo [1] iudicio ferantur. Ratio habetur ex natura interpretationis authenticae: authenticas autem esse huiusmodi declarationes dubitari non potest

Quidquid autem est de hac controversia in praxi non videtur recedendum a SS. CC. decretis et declarationibus, quae iuris intellectum respiciunt, utpote quae non solum in ratione scientiae sunt maximi ponderis, sed et Ecclesiae in iure observando mentem manifestant. « Impudentissimus esset — ita Benedictus XIV *Instit. eccles.* 107, n. 6 — qui contenderet maioris ponderis habendum esse privatum hominem, qui suae tantum mentis lumine ducitur, quam sententia praeclarissimi coetus, quem amplissimi Cardinales ecclesiasticae disciplinae et ss. canonum peritissimi constituunt ». — Nihilominus ex data SS. CC. declaratione non illico recedendum a legitima in aliqua regione vel dioecesi vigente consuetudine, aut a Statutis ab Episcopo intra limites potestatis factis, quum nec legitimos locorum usus nec contraria Synodorum statuta eaedem declarationes invertere et labefactare censeantur [2]. Hinc ad conservandam, sicut oportet, uniformitatem disciplinae in singulis dioecesibus vigentis tenendum videtur quod tradit Maschat in *Proleg. Jur. Can.* § 4, n. 22 contra quosdam qui zelo indiscreto propter SS. CC. declarationes omnia susque deque vertere volunt: « Si immutanda sunt quaedam in dioecesibus recepta et usu firmata, exspectandum erit mandatum Ordinarii ».

Tandem animadvertendum SS. CC. decreta et declarationes nullimode esse attendenda, nisi de eorumdem genuitate constet, sive ex documento in forma authentica

---

[1] Non enim strictam obligationem imponunt, quando proponunt prudentem et probabilem normam legem implendi. Cfr. Bouquillon *Theol. moralis fundam.* Ed. III. n. 126.

[2] Cfr. Benedictus XIV *de synodo* lib. 112 cap. 7, n. 7.

exhibito sive ex authentica (si exstat) collectione sive etiam ex fide et relatione AA. gravis notae et cognitae sinceritatis.

Cfr. Wernz, tom. I, n. 146 coll. supra n. 35 et Bouquillon, n. 127; Lega, tom. II, n. 282 sqq., praesertim nn. 289-297; De Brabandere-Van Coillie, tom. I, nn. 228-237.

## § 4. — De Tribunalibus.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua explicatur tribunalium competentia ac constitutio.

### 160. Quaenam sit singulorum tribunalium competentia et constitutio.

**Resp.** Ex disciplina vigente **tria** existunt **tribunalia** in Curia Romana, quae sunt:

1) **S. Poenitentiaria**. Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat, quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque,

a) externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes;

b) excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit (1).

---

(1) Applicando scil. doctrinam vel legem casibus concretis sibi propositis; quaestiones vero mere doctrinales interpretationesque dubii iuris remittere tenetur ad S. Officium aliasque Congregationes competentes, si dubium in foro externo proponi liceat; quodsi propter adiuncta publicari nequeat, S. Poenitentiaria, quin controversiam dirimat, casui providebit, dispensando ad cautelam aut normam practicam oratori indicando. Ita De Meester, p. 33.

S. Poenitentiariae, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites (1).

Iuxta Benedicti XIV in Const. *In Apostolicae* 13 Aprilis 1744 praescripta omnia secreto et gratis in hoc sacro tribunali expediuntur.

Huius sacri tribunalis administri sunt, praeter Cardinalem Poenitentiarium, Regens, Praelati quinque Signaturae (2), scil. theologus, datarius, corrector, sigillator et canonista, — deinde procurator seu a secretis, et substitutus, tandem aliquot inferiores officiales.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* II, 1°; *Ordo servandus* NP. cap. 8 art. 1; Oietti, n. 130, ubi explicantur praecipuae clausulae in rescriptis S. Poenitentiariae adhiberi solitae, et n. 133, ubi adnotantur plures abbreviationes, quibus S. Poenitentiaria in suis responsis utitur.

***Nota.*** Ad S. Poenitentiariam referuntur etiam aliquo modo minores poenitentiarii in Urbe et in Aede Lauretana, qui, ex sententia plurium et gravissimorum auctorum in praxi tutissima, confessiones excipere valent omnium omnino christifidelium, Regularium quoque absque ulla Superiorum licentia.

Cfr. Oietti n. 126; Andreas Tarani a Spallannis Ord. FF. Min. *Manuale theoretico-practicum pro minoribus poenitentiariis apostolicis* n. 82.

**2) Sacra Romana Rota**. Ad hoc tribunal spectant generatim omnes causae contentiosae (3), tam civiles quam

---

(1) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 1, 1 sub g).

(2) Signatura intelligitur consilium seu coetus pro negotiis decidendis; constat Cardinali Poenitentiario, Regente cum quinque Praelatis, qui Signaturae dicuntur; Signaturae intervenit etiam secretarius, sed non habet ius ad votum. Cfr. Oietti, n. 125.

(3) Huc referuntur, vel saltem referri possunt causae matrimoniales, causae beneficiales, causae criminales excedentes limites paternae correctionis et oeconomicae administrationis. Ita De Meester. p. 8.

criminales, disceptationem in stricta forma iudiciali requirentes, quae in Romana Curia aguntur. Speciatim

**a**) Sacra Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio sive ad instantiam partium Romanus Pontifex ad suum tribunal avocaverit, et S. Rotae commiserit (1); easque si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium iuxta praescripta can. 12 *Legis propriae* (2).

**b**) Iudicat in secunda instantia causas quae a tribunali Emi Urbis Vicarii et ab aliis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint, et ad S. Sedem per legitimam appellationem deferuntur. Itemque eas iudicat, si opus sit, etiam in tertia iuxta modum in cit. can. 12 praescriptum.

**c**) Iudicat denique in ultima instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriori gradu iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint, et per legitimam appellationem ad S. Sedem referuntur.

**d**) Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum a sententiis quibusvis, quae transierint in rem iudicatam et remedium invenire non possunt apud iudicem secundae instantiae iuxta titulum *De rest. in integr.*; dummodo tamen non agatur de re iudicata ex sententia

---

(1) Huiusmodi commissionis rescriptum necessarium est etiam si agatur de causis in prima instantia iudicandis, quas ipsae sacrae Congregationes ad S. Rotam remittunt, exceptis causis dispensationis super matrimonio rato, quas S. C. de Sacramentis potest iure proprio remittere ad S. Rotam, ut de facto consummationis videat. Cfr. S. C. Consistorialis 28 (29) Ian. 1909 apud A. A. S. tom. I, pag. 211 sqq.

(2) Cfr. dicenda inferius *Nota 1.*

Sacrae Romanae Rotae; et in his iudicat tum de forma, tum de merito (1).

S. Rotae, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites (2).

Ab ambitu competentiae huius tribunalis excluduntur causae maiores, sive tales sint ratione obiecti sive personarum, quae reservantur Rom. Pontifici, necnon dispositiones Ordinariorum quae non sint sententiae forma iudiciali latae, contra quas appellatio seu recursus reservatur sacris Congregationibus. — Porro defectus auctoritatis S. Rotae in videndis praedictis causis est absolutus, ita ut ne obiter quidem de his cognoscere queat, et si tamen sententiam proferat, haec ipso iure sit nulla.

Constat S. Rota decem Praelatis qui Auditores vocantur; constituunt Collegium, cui praesidet Decanus ceu primus inter pares; singulis Auditoribus adsistit unus studii adiutor. — Accedunt promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, necnon defensor sacri vinculi matrimonii, professionis religiosae, et sacrae ordinationis. — Deinde habentur notarii quot necessarii sunt pro actibus S. Rotae rogandis, qui praeterea actuarii et cancellarii munere in sacro tribunali funguntur. — Tandem adiunguntur aliqui ministri inferiores.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* II, 2°; *Lex propria* tit. 1, cap. 1 et 2; *Ordo servandus* cap. 8 art. 2.

***Nota.*** *1.* Duabus formis ius dicit S. Rota, aut per turnos trium Auditorum, aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua particulari causa Summus Pontifex statuerit sive ex se, sive ex consulto sacrae alicuius

(1) Ex his igitur patet, S. Rotam pro sua potestate ordinaria esse tribunal appellationis, et nonnisi ex delegatione legitima tribunal primae instantiae.

(2) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 1, 1 sub g).

Congregationis. — Turni hoc ordine procedunt. Primus turnus constituitur ex tribus ultimis Auditoribus (10, 9, 8); secundus et tertius ex sex praecedentibus (7, 6, 5 - 4, 3, 2); quartus ex decano et duobus ultimis Auditoribus qui denuo in turni seriem redeunt (1, 10, 9); quintus et sextus turnus ex Auditoribus sex qui praecedunt (8, 7, 6 - 5, 4 3); septimus ex subdecano et decano rotali cum ultimo Auditore qui rursus in seriem venit (2, 1, 10); denique octavus, nonus, et decimus turnus ex novem reliquis Auditoribus (9, 8, 7 - 6, 5, 4 - 3, 2, 1): et sic deinceps, servata ea vice perpetuo. — In unoquoque turno seu Auditorum coetu praeses est semper Auditor cui prior locus competit. Praeses turni seu Auditorum coetus qui tribunal constituit, per se est etiam Ponens seu Relator causae: quod si iustam habeat rationem declinandi hoc officium, auditis ceteris turni seu coetus Auditoribus, suo decreto statuet qui vice sua Ponentis munus suscipiat. — Sententia rotalis ea est, in qua firmiter conveniant duo saltem ex Auditoribus, aut pars absolute maior praesentium, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur: eadem lingua latina est conscribenda, et rationes tam in facto quam in iure continere debet; subsignabitur a Praeside turni et ab aliis Auditoribus una cum aliquo ex notariis Sacrae Rotae.

Cfr. *Lex propria* tit. 1, cap. 1, can. 11 et 12, et cap. 3, ubi statuitur S. Rotae modus iudicandi.

2. Decisiones seu sententiae S. Rotae obligationem pariunt pro partibus tantum, nec stricte cogunt iudices inferiores, ut in causis similibus similiter iudicent. Ceteroquin habent valorem decisionis doctrinalis et directivae, non authenticae interpretationis; magnae tamen sunt auctoritatis, quam nanciscuntur ex securitate modi procedendi, ac ex auctoritate et prudentia Auditorum.

Cfr. De Meester, pag. 37, sub e).

3) **Signatura Apostolica.** Supremum hoc tribunal videt tamquam sibi propria ac praecipua :

**a**) de exceptione suspicionis contra aliquem S. Rotae Auditorem, ob quam ipse recusetur;

**b**) de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus rotalibus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint, iuxta can. 9 *Legis propriae* ;

**c**) de querela nullitatis contra sententiam rotalem ;

**d**) de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit.

Signaturae Apostolicae, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites (1).

Constat hoc tribunal sex Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur ; eidem adsistit Praelatus a secretis, ad quem spectat praestare omnia quae ad propositae causae instructionem eiusque expeditionem necessaria sunt. — Praeterea habentur unus saltem notarius conficiendis actibus, conservando archivio et adiuvando Secretario, necnon custos conclavium eiusdem Signaturae. — Accedunt aliquot Consultores, quibus poterit examen alicuius quaestionis pro voto ferendo committi.

Cfr. *Lex propria* tit. 2, cap. 1 ; ibidem cap. 2 statuitur modus iudicandi Apostolicae Signaturae.

## § 5. — De Officiis.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua exponitur Officiorum variorum competentia, et constitutio.

### 161. Quaenam sit singulorum Officiorum competentia et constitutio.

**Resp.** In curia Romana a Pio X reformata **quinque** habentur **Officia**, quae sunt :

(1) Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 1. 1 sub g).

1) **Cancellaria Apostolica**. Ad Cancellariae officium hoc unum tamquam proprium reservatur munus, apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et Capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

Huic Officio praesidet unus ex Cardinalibus, qui nunc *Cancellarii* (non Vice-Cancellarii, ut antea) nomen habet; ipse iuxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis ex officio notarii munere fungitur. – Post ipsum proxime venit Cancellariae Regens. — Sequuntur Protonotarii Apostolici, qui vocantur *participantes de numero,* ad quos suppressis *Abbreviatoribus maioris vel minoris residentiae* seu *de parco maiori vel minori,* horum translata sunt munia in subscribendis apostolicis bullis (1). — Accedunt alii officiales, qui sunt adiutor studii, notarius secretarius qui et archivii custos est, tabularum seu protocolli custos, et quatuor scriptores.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* III, 1°; *Ordo servandus* NP. cap. 8 art. 1; A. A. S. tom. I, pag. 132.

2) **Dataria Apostolica**. Ad Datariam hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas Litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

Huic Officio praeest unus e Cardinalibus, qui *Datarii* (non Pro-Datarii, ut antea) nomen obtinet, quem iuvat et

---

(1) Ad tempus quousque dicti Protonotarii munus subscribendi bullas non assument, quinque alii Praelati ad hoc praestandum sunt designati. Cfr. Oietti, pag. 159 in nota (1).

fere in omnibus supplet Subdatarius. — Deinde veniunt Praefectus cum suo Substituto, aliique officiales. — Tandem accedunt aliquot Consultores.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* III, 2°, *Ordo servandus* NP. cap. 9, art. 2; A. A. S. tom. I, p. 132 sq.

3) **Camera Apostolica**. Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur.

Huic Officio praeest Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. *Vacante Sede Apostolica* 25 Decembris 1904 (1). — Deinde veniunt Vice-Camerarius, Auditor generalis, Thesaurarius generalis, quibus accedit Collegium Clericorum de Camera. — Tandem habentur quidam officiales.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* III. 3°; *Ordo servandus* NP. cap. 9 art. 3; A. A. S. tom. I, pag. 133.

4) **Secretaria Status**. Secretariae Status stricte talis munus est praecipue agere cum Moderatoribus supremis rerum publicarum, sive per Nuntios apostolicos sive per speciales Legatos. Pariter omnis rerum tractatio quae fit a S. Sede cum repraesentantibus Principum seu ipsorum legatis per secretariam vel potius per Cardinalem a secretis Status peragitur; — pariter per Secretarium Status distribuit Pontifex munera Curiae suosque officiales eligit (2).

Ceterum hoc Officium triplice parte constat:

**a**) Prima pars in negotiis extraordinariis versatur, quae Congregationi iisdem propositae examinanda subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis;

---

(1) Cfr. inferius hoc tit. § 6.
(2) Cfr. Oietti, n. 186.

b) altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera (1), pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui praeposito sunt reservatae;

c) tertia expeditioni Apostolicorum Brevium, quae a variis Congregationibus ei committuntur, vacabit.

Huius Officii supremus moderator est Cardinalis a secretis Status; post quem primae parti seu sectioni praeest Secretarius Congregationis pro negotiis extraordinariis, alteri Substitutus pro negotiis ordinariis, tertiae Cancellarius Brevium Apostolicorum. — Inter harum partium praesides primus est Secretarius S. C. negotiis extraordinariis praepositae, alter Substitutus pro negotiis ordinariis, quos sequuntur Cancellarius Brevium Apostolicorum, et Subsecretarius pro negotiis extraordinariis. — Singulae partes seu sectiones habent suos officiales.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* III, 4°; *Ordo servandus* cap. 9, art. 3; A. A. S. tom. I, pag. 134.

5) **Secretaria brevium ad principes, et epistolarum latinarum.** Duplex hoc Officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

Utrumque habet suum Secretarium, cui adiunguntur adiutores studii, in priore Officio duo, in posteriore unus.

Cfr. Const. *Sapienti consilio* III, 5°; *Ordo servandus* cap. 9, art. 3; A. A. S. tom. I, pag. 135.

---

(1) Non specificantur in Const. *Sapienti consilio.*

## § 6. — De Sede Apostolica vacante.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) potestas S. Collegii Cardinalium; 2) continuatio nonnullorum peculiarium officiorum; 3) competentia sacrarum Congregationum, et Tribunalium.

**162. Qu. 1. Quaenam sit, Sede Apostolica vacante, potestas S. Collegii Cardinalium.**

**Resp. 1.** Sedis Apostolicae vacatione durante S. Collegium Cardinalium **in iis quae pertinebant ad Pontificem Maximum** dum viveret **nullam omnino potestatem** aut iurisdictionem habet, neque gratiam neque iustitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, ita ut irritum et inane sit quidquid potestatis aut iurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis coetus ipse Cardinalium duxerit, eadem vacante Ecclesia, exercendum, **nisi** quatenus in Pii X Const. *Vacante Sede Apostolica* expresse permittatur.

Speciatim cavetur, ne S. Collegium de iuribus Sedis Apostolicae Romanaeque Ecclesiae quomodolibet disponere valeat, neque in quopiam iuribus eiusdem sive directe detrahere attentet, sive indirecte per conniventiae speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus eadem iura, etiam post obitum Pontificis seu vacationis tempore, perpetratorum, attentare videatur; sed ut omnium virium contentione eadem custodire et defendere debeat; — item ne leges Rom. Pontificum, potissimum Constitutiones pontificiae latae ad ordinandum negotium electionis Rom. Pontificis, per coetum Cardinalium, Romana Ecclesia vacante, corrigi vel immutari ullo modo possint, aut quicquam eis detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsas seu aliquam earum partem.

**Resp. 2. Potest** tamen S. Collegium, idque solum, **super dubiis** circa sensum praescriptionum, quae praefata Pii X Constitutione continentur, vel etiam circa rationem, iuxta quam ad usum ea traduci debet, sive super quovis alio dictae Constitutionis capite **sententiam** ferre ac dictam Constitutionem **interpretari ac dubia declarare**: qua in re, quemadmodum in reliquis, de quibus ad cit. Constitutionis tramites, excepto ipso electionis actu, deliberari contingat, satis omnino erit si maior congregatorum Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat.

Pariter **in casu urgentis negotii**, quod ex voto maioris congregatorum Cardinalium partis in aliud tempus differri non valeat, S. Collegium, item iuxta maioris partis sententiam, **de opportuno remedio disponere** potest et debet.

Cfr. Pii X Const. *Sede Apostolica vacante* nn. 1-5.

**163. Qu. 2. Quaenam statuta sunt de nonnullis peculiaribus officiis Sede Apostolica vacante.**

**Resp. 1.** Per obitum Pontificis **non cessant** officia S. R. E. Camerarii et Poenitentiarii Maioris: quorum alterutro vel utroque officio vacante ante novi Pontificis electionem per Cardinalium vota seu suffragia modo specialiter definito deputandus est, qui Camerarii vel Poenitentiarii Maioris vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis cum facultatibus omnibus, quamdiu Sedes vacaverit, quas ipse Camerarius vel Poenitentiarius Maior exercere poterat; — item morte Rom. Pontificis non expirant officium et iurisdictio Cardinalis in Urbe Vicarii; ipso autem Vicario Urbis, Sede vacante, e vivis decedente existens Vices gerens dicti Vicarii, quandiu Sedes vacaverit, omnes et singulas habet facultates, auctoritatem et potestatem quae eidem Vicario pro exercitio officii Vicariatus quomodolibet competebant, quasque Ponti-

fex ipse, occurrente vacatione Vicariatus Sede plena, Vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scil. successorem Vicarium deputaverit, attribuere solet; — item non cessant Sede vacante officium et potestas Legatorum, Nuntiorum ac Delegatorum Apostolicorum; — tandem defuncti Pontificis Eleemosynarius suum munus exercere pergit cum debita S. Collegio Cardinalium subiectione et ab eo dependentia, donec novus Pontifex eligitur.

**Resp. 2.** Per obitum Rom. Pontificis **omnino exspirant** officia S. R. E. Cancellarii, (olim Vicecancellarii), Datarii (olim Prodatarii), Cancellarii (olim Secretarii) Brevium: frangenda sunt Annulus Piscatoris et Plumbum Cancellariae Apostolicae, et Datarius vel Subdatarius, ac Cancellarius Brevium supplicationes gratiarum, quae penes ipsos sunt, sub sigillo clausas S. Collegio tradere debent (1); — item per obitum Pontificis cessat munus Cardinalis Secretarii status, eoque munere, Sede vacante, fungitur Praelatus S. Collegii Secretarius, cuius officium si vacare contingat, eiusdem S. Collegii erit aliquem ad illud, quamdiu scil. Sedes Apostolica vacaverit, deputare.

Cfr. Const. *Sede Apostolica vacante* nn. **12-21**.

**164. Qu. 3. Quaenam sit, Sede Apostolica vacante, competentia SS. Congregationum et Tribunalium.**

**Resp.** Circa **competentiam SS. Congregationum et Tribunalium**, Sede vacante, hae quae sequuntur statutae sunt normae:

**1)** SS. Congregationes, Sede vacante, nullam potestatem habent in iis, quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum Sanctissimo*, vel *ex audientia*

(1) Cfr. Pii X Const. *Sede Apostolica vacante* n. 11 sub I).

*SSmi*, vel *vigore specialium* et *extraordinariarum facultatum*, quae a Rom. Pontifice earumdem Congregationum Praefectis vel Secretariis concedi solent.

2) Facultates quae SS. Congregationibus per Litteras Apostolicas attributae sunt, et proinde tamquam ordinariae atque ipsarum propriae censentur, eae morte Rom. Pontificis non extinguuntur. — Attamen his facultatibus ordinariis SS. CC. libere, pro rei opportunitate, uti valent solummodo in iis gratiis concedendis quae minoris momenti sunt; in iis vero expediendis definiendisque negotiis quae graviora vel controversa esse videntur, si res talis sit, quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici reservetur omnino: sin autem nullam admittat moram, tunc Collegio Cardinalium conceditur, ut committere possit negotium Praefecto et aliquot aliis Cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter commisisset, qui, negotio accurate discusso, illud decernere possint, per modum tamen provisionis, donec eligatur Pontifex.

3) Quoad S. Poenitentiariam, Poenitentiarius Maior eiusque officiales, Sede vacante, ea facere et expedire valent, quae a Benedicto XIV constituta ac definita sunt Const. *Pastor bonus* Idibus Apr. 1744 §§ 51-55.

***Nota.*** Facultates ordinariae Tribunalium fori externi morte Pontificis non quiescunt, quum propria auctoritate iudicent. Si tamen ageretur de gravi et extraordinario negotio, quod iuxta iussum Const. *Sapienti consilio* ante causae discussionem Pontifici esset significandum (1) videtur differendum, si differri potest, usque dum Pontifex electus fuerit.

Cfr. Const. *Sede Apostolica vacante* nn. 22-25, et n. 16; De Meester, pag. 44 sqq.

(1) Cfr. supra n. 157 sub 4) *a*).

## Titulus XII.

## De Legatis, et Vicariis Apostolicis.

(Decret. lib. I, tit. 30 *de officio legati*).

Cfr. Reiffenstuel, aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom. II. nn. 681-691 et nn. 698-706; Craisson, tom. I, nn. 802-816; Bargilliat, tom. I, nn. 504-512.

***Synopsis tituli.*** Hoc titulo exponitur officium quorumdam Rom. Pontificis ministrorum extra Curiam, qui scil. a Rom. Pontifice per regna et provincias destinantur, ut vices supremi Pastoris gerentes ex auctoritate apostolica negotia ecclesiastica inspiciant, curent atque administrent. Inter hos praecipue adnumerantur Legati, et Vicarii Apostolici, de quibus hoc tit. distinctis paragraphis agitur.

### § 1. — De Legatis.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) Legatorum notio et divisio; 2) Legatorum officium et potestas, eiusdemque cessatio.

**165. Qu. 1. Quinam dicantur Legati, et quomodo distinguantur.**

**Resp. 1.** Sedis Apostolicae Legati generatim **intelliguntur** viri ecclesiastici, qui a Rom. Pontifice in certam provinciam vel in aliquod regnum mittuntur cum potestate quadam ordinaria administrandi negotia ecclesiastica: hi veri nominis sunt Legati et dicuntur Legati iudices, ut distinguantur a legatis nuntiis [1] vel oratoribus (italice *ambasciatori*), qui mittuntur ad exercendum nudum

[1] Alii ac hodierni Nuntii Apostolici, de quibus paulo inferius.

ministerium absque iurisdictione, ideoque stricte dictis legatis adnumerari nequeunt.

**Ius mittendi legatos** Rom. Pontifici evidenter competit ex intima vi et ratione primatus; si enim Rom. Pontifex cum suprema et plena, ordinaria et immediata potestate regit Ecclesiam, societatem nempe non tantum perfectam, sed et universalem atque ex Christi Domini mandato per totum orbem diffundendam, consequenter etiam gaudet iure omnino independente cum suis subditis communicandi, et hinc in totum orbem terrarum mittendi Legatos, qui vices suas gerant. Neque Legati Rom. Pontificis ad ingrediendam Status ditionem licentiam Gubernii civilis requirant necesse est, quasi ingredientes ditionem alienam, totus siquidem terrarum orbis proprium est Ecclesiae territorium, Rom. Pontifici ut supremo Ecclesiae pastori ex iure divino subiectum. — Quod ius etiam demonstrat antiquus et constans per saecula usus, ac expressae declarationes et sanctiones quoque poenales, quibus hanc singularem praerogativam sibi vindicarunt Rom. Pontifices.

**Resp. 2.** Legati Apostolicae Sedis **distinguuntur:**

a) Legati a latere (1), qui ex Cardinalibus assumpti ad graviora et extraordinaria negotia ordinanda mittuntur.

b) Legati missi, qui ordinarie ex Praelatis seliguntur ad magis ordinaria negotia expedienda: inter hos, qui non transeunter tantum (ut scil. finitis negotiis revertantur in Urbem), sed cum stabili residentia in certum regnum mittuntur, ex usu loquendi nunc magis recepto Nuntii Apostolici appellantur (2).

---

(1) Nempe quasi dimissi ex latere Rom. Pontificis, cui semper adhaerere censentur.

(2) Nuntiaturae aliae sunt primi, aliae secundi ordinis: primi ordinis sunt nuntiaturae Austriae, Galliae, Hispaniae et Lusi-

c) Legati nati, quorum dignitati, quam in Ecclesia obtinent, legationis munus est adnexum.

Cfr. Reiffenstuel cit. tit. nn. 1-10; Wernz, tom. II, nn. 681-684.

**166. Qu. 2. Quodnam sit Legatorum officium seu potestas; quibus modis cesset.**

**Resp. 1.** Legatorum **officium** generatim est, ut in territorio sibi commisso evellant et dissipent, aedificent et plantent (1); unde ad ipsorum officium pertinet ut supremam quoad spiritualia atque ecclesiastica negotia inspectionem ibidem exerceant, disciplinae ecclesiasticae observantiam procurent, abusus cohibeant, mores depravatos et defectus corrigant, et ea quae rem ecclesiasticam in suo territorio concernunt ad S. Sedem referant. — Eorumdem **potestas** generatim ordinaria est, varia tamen pro varia ipsorum specie iuxta iuris communis, praesertim Decretalium, dispositiones, ex quibus complura iura omnibus sunt subducta, aliae praerogativae omnibus sunt communes, aliae tandem certis Legatis propriae. Legati a latere ceteris praestant non solum dignitate sed et auctoritate.

**Ex praxi hodierna** Legati nati ut legati, saltem ordinarie, destituuntur omni vera iurisdictione et ad praerogativas quasdam honorificas sunt redacti; Legati a latere et simpliciter missi (quatenus distinguuntur a Nuntiis Apostolicis) iam rarius deputantur, et generatim nonnisi pro determinato negotio, proindeque eorum potestas potius ab ipso tenore concessionis a Rom. Pontifice factae quam ex iuris dispositione pendet; Nuntii Apostolici licet

---

taniae; ceterae sunt secundi ordinis. Nuntii minores sunt Internuntii (Delegati Apostolici), hisque minores Negotiorum gestores. Cfr. *Gerarchia Cattolica* (1910) pag. 467.

(1) Cfr. cap. 2 *de legatis* in 6° I, 15.

speciatim Guberniis civilibus accreditentur (uti dicitur), ipsorum munus nequaquam restringendum est ad solas relationes diplomaticas cum Guberniis penes quae sunt accreditati, sed complures etiam habent facultates ad exercendam veram iurisdictionem; v. g. quoad processum informativum de promovendis episcopis (1), concessionem dispensationum, admissionem appellationum, potestatem condendi praecepta et decreta, cuius iurisdictionis ambitus definiendus est ex tradito brevi facultatum.

Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 30 nn. 11-43; Wernz, tom. II, n. 690.

**Resp 2.** Legatorum officium **cessat**:

**a**) Lapsu temporis praefixi aut finito-negotio, si ad certum tempus aut ad determinatum negotium data est legatio; item causa quadam ad Rom. Pontificem relata quoad illam causam cessat legati competentia.

**b**) Revocatione insinuata, firmis manentibus actis Legati usque ad tempus acceptae notitiae de facta revocatione, imo ad egressum e legationis territorio actualiter secutum.

**c**) Renuntiatione a Rom. Pontifice acceptata item discessu e legationis territorio cum animo non revertendi, qui animus si desit suspenditur tantum iurisdictio contentiosa, manente voluntaria.

**d**) Morte Legati (2); item dimissa vel amissa sede episcopali, quacum officium Legati nati coniunctum est, non autem morte Pontificis mittentis, nisi legatio concessa fuerit cum clausula: *Ad beneplacitum nostrum*.

---

(1) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXII cap. 2 *de reform.*

(2) Si agitur de Legato nato in casu mortis legationis officium non transit ad Capitulum et Vicarium capitularem, sed successori denuo conceditur, siquidem legatio etiam ratione sedis episcopalis obtentae magis personalis censetur quam realis.

Cfr. Reiffenstuel, lib. I, tit. 30 nn. 44-46; Wernz, tom. II, n. 691.

*Nota.* In aliquibus regionibus constituuntur Praelati, qui personam Pontificis in rebus spiritualibus, non vero diplomaticis gerant, et speciali titulo **Delegatorum Apostolicorum** designantur (1). Horum generale officium est invigilare rerum ecclesiasticarum administrationi in regione ipsis concredita, ac de eadem ad S. Sedem referre (2); ipsorum potestas dimetienda est ex specialibus delegationis litteris. — Huiusmodi Delegationes Apostolicae in praesenti existunt duodecim, quarum septem dependent a S. C. de Propag. Fide, quinque a S. C. Consistoriali (3).

## § 2. — De Vicariis Apostolicis.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) Vicariorum Apostolicorum notio et divisio; 2) Vicariorum Apostolicorum officium et potestas, eiusdemque cessatio.

**167. Qu. 1. Quinam intelligantur nomine Vicariorum Apostolicorum, et quomodo distinguantur.**

**Resp. 1.** Nomine Vicariorum Apostolicorum ex disciplina vigente generatim **intelliguntur** qui a Rom. Pontifice deputantur, ut alicuius regionis vel dioecesis pastorale regimen immediatum auctoritate S. Sedis gerant.

Rom. Pontifex quum non solum in rebus fidei et morum, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, disponente Domino habeat principatum ordinariae potestatis atque iurisdictionem vere episcopalem et immediatam, idcirco

---

(1) Cfr. Laurentius *Institutiones iuris ecclesiastici* n. 164.

(2) Cfr. *Collectanea S. C. de Propag. Fide* (Ed. novissima) numero 1953 vol. II, pag. 341.

(3) Cfr. *Gerarchia Cattolica* (1910) pag. 35.

ubicumque hierarchia ordinaria nondum est instituta velut in regionibus missionum, ibidem sive per se sive per delegatos iurisdictionem suam episcopalem et immediatam plenissimo iure exercere potest. Quae plenitudo potestatis est legitimus iuris titulus ex quo Rom. Pontifex necessitate suadente etiam in provinciis ecclesiasticis ordinaria hierarchia iam donatis Vicarios Apostolicos constituere non prohibetur.

**Resp. 2.** Vicariorum Apostolicorum **duplex distinguitur species:** alii constituuntur in regionibus missionum, in quibus hierarchia ordinaria nondum est erecta, qui si charactere episcopali sunt insigniti et ad regimen vicariatuum apostolicorum proprie dictorum deputantur sunt Vicarii Apostolici stricte dicti, secus appellantur Praefecti Apostolici (1), eorumque regio Praefectura Apostolica; — alii constituuntur in regionibus quae iam pridem donatae sunt hierarchia ordinaria, ut dioecesim aliquam regant, aut sede vacante loco Capituli cathedralis, aut sede plena loco Episcopi, qui ob aliquod iuris vel facti impedimentum prohibetur, quominus aut omnino aut saltem bene administret: quibus in casibus proprie vocantur Administratores Apostolici (2).

---

(1) Praefecti Apostolici sunt duplicis speciei. Sunt enim qui, quum territorium proprium habeant, sunt veri missionis Superiores seu loci quasi Ordinarii, quorum auctoritas quibus finibus contineatur, litteris S. C. de Propag. Fide est definitum. — Sunt alii, quorum Praefectura territorio continetur alicui Episcopo subiecto, quo in casu Episcopi ipsius congruam rationem haberi necesse fuit in faculexercitiotatibus quae eisdem Praefectis concedi solent, vel saltem in earum Cfr. Zitelli-Solieri, *Apparatus seu Compendium iuris ecclesiastici* tom. I, nn. 241-244.

(2) Cfr. Lombardi *Iuris Canonici privati institutiones* (Ed. 2) pag. 281 sq.

**168. Qu. 2. Quodnam sit Vicariorum Apostolicorum officium seu potestas; quomodo cesset.**

**Resp.** Potestas tum Vicariorum (stricte dictorum) quum Administratorum Apostolicorum definienda est ex arbitrio Rom. Pontificis, cuius vices ipsi agunt, ac proinde omnino attendendae sunt Litterae Apostolicae, per quas in munere constituuntur. Ceterum de eorumdem officio seu potestate haec praecipue notanda.

1) **Vicarii Apostolici** (stricte dicti) et eo magis Praefecti Apostolici, inter vere et proprie dictos locorum Ordinarios minime sunt accensendi, quum officium eis demandatum nihil aliud importet, quam ut fidei propagandae ac sacris ministrandis incumbant intra limites facti sibi mandati (1). — Nihilominus Vicarii Apostolici in missionibus assignatis delegatione generatim eamdem habent potestatem, quam Episcopi ex iure communi in suis dioecesibus, additis facultatibus extraordinariis, quae pro diversitate formularum a S. C. de Propag. Fide ipsis conceduntur. At etiamsi sint Episcopali titulares, absque privilegio apostolico vel consuetudine a S. Sede ob speciales circumstantias tolerata nequeunt uti omnibus illis honori-

---

(1) Cfr. Lombardi, pag. 283 sub III; Zitelli-Solieri tom. I; n. 211; *Collectanea S. C. de Propag. Fide* (Ed. novissima) n. 178 ad 3 et 4 et n. 182 ac 1. — Notat autem Lombardi (ibidem sub IV), interdum hanc regulam quoad Vicarios Apostolicos fallere: hoc autem v. g. verum est, quando in iis deputandis expresse dicitur, eos esse habendos tamquam illarum regionum veros Ordinarios, vel etiam quando agitur de Vicariis, qui constituuntur in iis regionibus, ubi Episcopi aliqua ex causa impediti fidelibus praeesse nequeunt. — Item tum Vicarii quum Praefecti Apostolici habentes iurisdictionem cum territorio separato numerantur, ex S. Officii decretis 20 Febr. 1888 et 20 April. 1898, inter Ordinarios, quibus committendae sunt dispensationes matrimoniales et facultates omnes habituales. Cfr. Lombardi, pag. 284 sub V.

bus et privilegiis, quibus solis Episcopis ordinariis in suis territoriis frui datum est: unde non possunt concedere indulgentias 50 dierum quotiescumque pontificaliter celebrant, neque thronum in ecclesia habere, neque cappam magnam deferre valent, neque etiam eis ius est ut eorum nomina in canone Missae commemorentur, neque ut crux ante ipsos feratur facere possunt.

Non cessat eorumdem deputatio Sede Apostolica vacante, sed indeterminate facta per se perdurat usque ad obitum, nisi speciali S. Sedis dispositione ab officio removeantur.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 701-703; Zitelli-Solieri, tom. I, nn. 213-240, ubi speciatim explicantur extensio iurisdictionis Vicariorum Apostolicorum, eorumdemque obligationes et privilegia.

2) **Administratores Apostolici** ut veri Ordinarii sunt habendi [1]; qui si constituuntur

**a**) sede vacante, imprimis eamdem habent potestatem, quam ex iure communi Vicarius capitularis, additis non raro, ob temporum, locorum personarumque adiuncta, extraordinariis facultatibus ex pontificio deputationis brevi dignoscendis. — Quodsi charactere episcopali sunt insigniti (quod propter provisoriam illorum administrationem ordinarie non obtinet) ea quoque peragere possunt, quae episcopalem requirunt ordinem. — Praeterea illud in eiusmodi Administratoribus Apostolicis singulare est, quod, non obstante deputatione pontificia, ab ipsorum sententiis ad Metropolitam appellari possit, neque ad Rom. Pontificem appellatio interponi debeat.

Horum Administratorum Apostolicorum iurisdictio non cessat Sede Apostolica vacante, sed durat usque

---

[1] Cfr. cap. 42 *de elect.* in 6° I, 6; Lombardi pag. 282 sub I.

ad tempus ipsis constitutum vel captam a novo Episcopo possessionem vel remotionem a Sede Apostolica ex aliis iustis causis statutam.

b) Si sede plena deputetur Administrator Apostolicus, ad vitandam confusionem ordinarie totum iurisdictionis exercitium in administranda dioecesi, exceptis quibusdam casibus, spectat ad Administratorem Apostolicum, non amplius ad Episcopum ab administratione dioecesis remotum. Quare Episcopus etiam in Administratorem Apostolicum omni caret iurisdictione; at vicissim Administrator Apostolicus quoque, absque speciali S. Sedis delegatione, non potest sese immiscere in personales causas Episcopi, sive criminales sive civiles, neque iudicare et punire Vicarium Generalem Episcopi. — Quaenam iurisdictio Episcopo forte maneat, et num administratio Sacramenti Ordinis, vel celebratio Synodi dioecesanae etc. etiam Administratori Apostolico sit concessa, ex Litteris Apostolicis deputationis et ex S. Sedis declarationibus est colligendum.

Amittit in casu suam potestatem Administrator Apostolicus, si Episcopo restituatur iurisdictio, vel ipse ob alias causas ab officio suo removeatur. — Sede ob mortem Episcopi vacante Administrator ordinarie in suo munere perdurat loco Vicarii capitularis, ad cuius proinde deputationem Capitulum procedere nequit. — Multo minus ob mortem Rom. Pontificis exspirat iurisdictio Administratoris Apostolici.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 704 et 705.

## Titulus XIII.

## De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis.

(Decret. lib. I tit. 31 *de officio iud. ordin.*, tit. 8 *de auctor. et usu pallii*).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom II, nn. 712-728; Craisson, tom. I, nn. 820-853; Bargilliat, tom. I, nn. 516-529.

***Synopsis tituli.*** Hoc titulo agitur de illis Praelatis, inter Rom. Pontificem et ordinarios Episcopos constitutis, quibus extra Curiam Romanam praeter regimen propriae dioecesis vi officii et ratione sedis episcopalis ac participatione potestatis pontificiae diversis gradibus maioritas ordinaria in alios Episcopos stabilitur sive in perpetuum est concessa. Sunt autem Patriarchae, Primates, et Metropolitae, quorum officia hoc tit. distinctis paragraphis exponuntur.

### § 1. — De Patriarchis.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: Patriarcharum 1) notio et divisio, 2) officium et potestas.

**169. Qu 1. Quinam dicantur Patriarchae, et quomodo distinguantur.**

**Resp.** Patriarchae (stricto sensu) **dicuntur** Ecclesiae Praelati, qui ex officio et vi sedis episcopalis habent superiorem quamdam iurisdictionem ecclesiasticam in omnes Episcopos et Metropolitas et Primates (Exarchas) vel catholicos alicuius regionis.

**Distinguuntur** in maiores, qui, post Rom. Pontificem, Patriarcham occidentis, ceterorum et auctoritate et dignitate principem, sunt quatuor antiqui orientales: Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, — et in minores, qui sunt Lisbonensis, Venetiarum, et Indiarum tum orientalium tum occidentalium: quibus Patriarchis minoribus in Ecclesia occidentali adnumerari possunt Patriarchae variorum rituum orientalium, qui nunc de facto existunt et unionem cum Sede Apostolica retinent, et sunt Alexandrinus Coptorum, Antiochenus Graecorum-Melchitarum, Antiochenus Maronitarum, Antiochenus Syrorum, Ciliciae Armenorum, et Babylonensis Chaldaeorum.

*Nota.* In **constituendis** officiis Patriarcharum (item Primatum et Metropolitarum), iuxta disciplinam iam a multis saeculis vigentem, solus Rom. Pontifex est competens; imo et merus titulus Patriarchae (Primatis, Archiepiscopi), vel alia eorumdem iura honorifica unice dependent a Rom. Pontificis concessione.

**Provisio** canonica praedictorum officiorum ex iure communi nunc vigente liberae collationi Rom. Pontificis est reservata; ex iure autem particulari admittuntur et alii modi, quibus Episcopi ad ecclesias cathedrales promoventur, v. g. electio vel postulatio canonica Capitulorum cathedralium, aut praesentatio vel nominatio personarum privilegiatarum, imo iure speciali de peculiari quodam provisionis modo cautum est, uti v. g. accidit in compluribus Patriarchatibus Ecclesiae orientalis.

**Amissio** praefatorum officiorum generatim fit iisdem modis, quibus maiora beneficia seu officia ecclesiastica, et speciatim dignitates Episcoporum amittuntur, scil. per mortem naturalem, per renuntiationem legitime factam, per legis dispositionem, per particularem provisionem Rom.

Pontificis, per sententiam condemnatoriam privationis vel depositionis a Rom. Pontifice latam.

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 719, 720 et 728.

**170. Qu. 2. Quodnam sit Patriarcharum officium et potestas.**

**Resp.** Patriarcharum **potestas** quum vi officii concedatur, ordinaria est dicenda, et generatim iis circumscribitur limitibus, ut ipsi in sui patriarchatus praesules nihil possint, nisi quod illis sacri canones expresse concedunt, vel prisca consuetudo contulit ab antiquo [1]. Ex praxi autem antiqua Patriarchis in specie competebat ius confirmandi et consecrandi Archiepiscopos et Episcopos electos sui patriarchatus, — convocandi et dirigendi concilia patriarchalia, — acceptandi appellationes ex omnibus provinciis suae iurisdictioni subiectis, sed salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam, — elargiendi pallium graecum suis Suffraganeis, et recipiendi ab iisdem pro se professionem canonicam et pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiae, postquam ipsi a Rom. Pontifice receperunt pallium latinum praestito illi fidelitatis et obedientiae iuramento, — instituendi et eximendi per stauropegium monasteria, — deferendi ubique ante se dominicae crucis vexillum, nisi in urbe Roma et ubicumque Rom. Pontifex praesens existat aut eius Legatus utens insigniis apostolicae dignitatis.

Hodiedum quatuor antiqui Patriarchae orientales titulares sunt ritus latini, excepto Hierosolymitano item ritus latini a Pio IX restituto cum iurisdictione potius metropolitica quam patriarchali. — Minores occidentales, S. Sedis privilegio Patriarchae titulo donati iurisdictione Metropolitas vix superant. — Ceteri Patriarchae va-

[1] Cfr. cap. 9 X *de officio iud. ordin.* I, 31.

riorum rituum orientalium iurisdictionem eamdem fere, quam olim maiores, in Metropolitas et Episcopos suae nationis seu ritus exercent, ita ut eorum iurisdictio non tam territorialis (ut antea), sed potius nationalis seu ritualis sit.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 721; De Brabandere-Van Coillie, tom. I, nn. 276 et 277.

## § 2. — De Primatibus.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: Primatum 1) notio, 2) officium et potestas.

**171. Qu. 1. Quinam dicantur Primates.**

**Resp.** De antiqua Primatum dignitate magna inter eruditos est disputatio. Alii enim existimant eo nomine designatos fuisse Patriarchas, alii Metropolitas, plures vero Episcopos earum sedium, quibus dignitas Legati nati adnexa erat. Probabilius medium obtinebant locum inter Patriarchas et Metropolitas (1).

Nunc autem Primates (in Oriente Exarchae) stricto sensu **dicuntur** Praesules ecclesiastici, quorum sedi episcopali vi muneris in perpetuum adnexum est ius quoddam super omnes Metropolitas et Episcopos alicuius regionis, ita tamen ut ipsi Patriarchae subiiciantur, vel si forte Rom. Pontifici immediate sint subiecti, nomen Patriarchae non obtineant.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 712 II.

**172. Qu. 2. Quodnam sit Primatum officium et potestas.**

**Resp.** Primatibus certe olim vi muneris competebat quaedam **potestas** ordinaria, quae eadem regula fuit li-

(1) Ita De Brabandere-Van Coillie tom. I, n. 79.

mitata qua potestas Patriarcharum ; at satis difficulter in Ecclesia occidentali definitur complexus quidam iurium, qui ex antiquo iure communi omnibus Primatibus aequaliter fuerit concessus. — Salvis quibusdam praerogativis singularibus, quae ex specialibus titulis sunt repetendae, haec fere iura frequentius in particularibus canonibus vel decretalibus pontificiis Primatibus concessa reperiuntur, scil. : Ius praecedentiae et honoris prae omnibus Episcopis et Metropolitis regionis Primati subiectae, consecrandi (et confirmandi) Metropolitas atque ab eis exigendi professionem obedientiae canonicae, convocandi concilia plenaria sive nationalia eisque praesidendi, acceptandi appellationes a sententiis Metropolitarum, deferendi ante se dominicae crucis vexillum in omnibus provinciis ecclesiasticis, in quas ius Primatiae exercent, coronandi reges quorum regna iurisdictioni ecclesiasticae Primatis subiiciuntur.

Ex disciplina vigente Primatum iura in omnibus sedibus episcopalibus, quorum Praesules titulo Primatis iure gaudent, ad merum titulum absque iurisdictione et ad praerogativas quasdam honorificas sunt redacta : excipitur Archiepiscopus Strigoniensis in Hungaria (iuxta plures etiam Archiepiscopus Armacanus in Hibernia), qui vere quaedam iura iurisdictionis primatialis retinet.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 722.

### § 3. — De Metropolitis.

***Summarium***. Duae sunt huius paragraphi quaestiones: Metropolitarum 1) notio, 2) officium et potestas.

**173. Qu. 1. Quinam dicantur Metropolitae.**

**Resp.** Metropolitae **dicuntur** illi Antistites, qui ex officio ut plurimum sedi suae adnexo praesunt unius provinciae ecclesiasticae Episcopis, alios Episcopos sub se non

habentibus: qui Episcopi secundum antiquam et novam disciplinam appellantur Episcopi comprovinciales, atque inde ex saeculo octavo pro more in Gallia orto etiam vocantur suffraganei.

Metropolitae hodiedum communiter designantur etiam nomine **Archiepiscopi** (1), licet nomina Metropolitae et Archiepiscopi non prorsus idem denotent: quilibet Metropolita recte quidem nuncupatur Archiepiscopus, non autem e converso; qui enim vere Metropolita dicitur semper sub se habet *Episcopos suffraganeos*, proinde est Archiepiscopus cum iurisdictione; Archiepiscopi autem esse possunt titulares, qui scil. exempti, aut etiam absque ulla exemptione a iure metropolitico aliis Episcopis comprovincialibus solummodo praecedunt titulo honorifico Archiepiscopi.

Cfr. Reiffenstuel lib. I tit. 31 nn. 32-34; Wernz tom. II n. 712.

**174. Qu. 2. Quodnam sit Metropolitarum officium et potestas.**

**Resp.** Metropolitis competit **potestas** quaedam ordinaria in suos suffraganeos eorumque subditos ac dioeceses, at nonnisi in casibus in iure iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam expressis: quae potestas vocatur ius metropoliticum, auctoritas metropolitana, lex metropolitana, et in genere consistit in quodam inspectionis genere et iure devolutionis circa quaedam disciplinae capita.

Ex disciplina vigente, fundata in iure decretalium a

---

(1) Nomen *Archiepiscopi* olim potius fuit titulus honorificus, qui Episcopis insignioribus, velut Patriarchis et Exarchis communis et proprius fuit, et nonnisi ex saeculo sexto paulatim vel ipsis Metropolitis dari coeptus est. Cfr. Saegmueller § 92.

Conc. Trident. reformato, **iura auctoritatis metropolitanae** haec fere recenseri possunt:

1) **In Suffraganeos** Metropolitae pollent iure et officio

a) convocandi eos singulis trienniis in concilium provinciale eique praesidendi;

b) visitandi ipsorum dioeceses postquam propriae dioecesis visitationem compleverunt, et perficiendi talem visitationem causa probata fuit in Concilio provinciali;

c) denuntiandi Rom. Pontifici, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda, suffraganeos non residentes aut ultra annum absentes;

d) supplendi negligentiam suffraganeorum tum in collatione beneficiorum quum in institutione eorum qui a patronis praesentati sunt; item deputandi Vicarium capitularem et oeconomum, Capitulo cathedrali negligente, aut constituente non idoneos, aut etiam omnino deficiente;

e) corripiendi et compellendi suffraganeos negligentes in erectione et conservatione seminarii dioecesani;

f) confirmandi vel reformandi in casu appellationis sententias iudiciales a Suffraganeis in prima instantia latas; item admittendi recursus ab ordinationibus extraiudicialibus suffraganeorum, attamen saltem ordinarie cum solo effectu devolutivo.

*Nota.* Ex iure antiquo Metropolita fuisse videtur iudex ordinarius in Suffraganeorum causis sive civilibus sive criminalibus. At hoc ius quoad causas criminales correctum est a Conc. Trident (Sess. XXIV cap. 5 *de reform.*), statuendo Episcoporum causas criminales maiores reservari Rom. Pontifici, minores vero esse tractandas in Synodo provinciali vel a deputatis Synodi eiusdem. — Imo per disciplinae ecclesiasticae immutationem etiam

civiles Episcoporum causae Metropolitae iudicio subtractae esse videntur (1).

Item ex iure antiquo plures DD. Metropolitae adscribunt ius infligendi censuras in Suffraganeos. — At hoc ius, considerato iure vigente, de facto exerceri nequit, nam ad censuras legitime infligendas praecedat necesse est cognitio iudicialis de crimine patrato, sed huiusmodi cognitio ex dictis in casu Metropolitae non competit (2). — Nihil tamen impedit, quominus Metropolita ad tuendum ius metropolitanum alios rebelles, v. g. Officiales vel Vicarios generales suorum Suffraganeorum, a Conc. Trident. non exceptos per censuras compescat (3).

**2) In subditos Suffraganeorum** Metropolitae gaudent hisce facultatibus:

**a**) In legitima dioecesium Suffraganeorum visitatione Metropolitae possunt sive per se sive per alios praedicare Verbum Dei, confessiones subditorum Suffraganeorum audire et absolvere etiam a peccatis Suffraganeis reservatis confitentes, corrigere in foro externo crimina notoria (alia reliquantur Suffraganeis) et poenam pro illis debitam infligere, denique punire notorie impedientes ipsorum iurisdictionis exercitium.

**b**) Sunt iudices competentes in secunda instantia quoad causas a subditis Suffraganeorum per legitimam appellationem ad se delatas; imo si causa in Curia Suffraganei intra biennium non finiatur, liberum est partibus vel etiam uni parti tribunal Metropolitanum adire.

(1) Cfr. Reiffenstuel lib. I tit. 31 nn. 37-39; Santi-Leitner lib. I tit. 31 n. 153, 10; Wernz tom. II n. 724, 7) cum nota (154).

(2) Responderi posse videtur, hanc rationem nihil obstare quin Metropolita Suffraganeos contumaces ad obedientiam obstringere valeat censurarum comminatione, easque censuras incursas publicare. Cfr. Craisson tom. I n. 837.

(3) Cfr. Wernz tom. II n. 724, 8).

c) Possunt adigere Suffraganeos ad eligendos arbitros si Suffraganei a suis subditis tamquam suspecti iudices reiiciuntur.

d) Possunt per totam provinciam, saltem tempore visitationis (1), concedere indulgentias 40 dierum: quae facultas ex Pii X decreto 28 Aug. 1903 ad 100 dies fuit extensa.

e) Possunt per totam provinciam celebrare officia divina in pontificalibus atque populo tam benedictione solemni quam simplici benedicere (2); in aliis vero functionibus pontificalibus, v. g. ad conferendos ordines in dioecesi Suffraganei, indigent illius licentia.

**3) In exemptos** Metropolitae tamquam Delegati Sedis Apostolicae gaudent potestate

a) compellendi negligentes Abbates et Praelatos regulares ad praedicationem Verbi divini in ecclesiis parochialibus subiectis monasteriis quae in nulla dioecesi existunt, ut illi quoad hoc satisfaciant suo officio;

b) convocandi personas regulares, quae in erigendis et ordinandis Congregationibus a Conc. Trident. Sess. XXV cap. 8 *de regul.* praescriptis negligentes fuerint, et urgendi executionem universi illius decreti Tridentini.

Cfr. Reiffenstuel lib. I tit. 31 nn. 35-63; Wernz tom. II n. 724; Craisson tom. I nn. 832-843.

***Scholion.*** **De auctoritate et usu pallii.** Pallium est et ornamentum sacrum consistens in fascia lanea (3) can-

---

(1) Iuxta Beringer *Die Ablaesse* etiam extra tempus visitationis.

(2) Praesente Legato Rom. Pontificis id nequeunt, nisi Legatus annuat; praesente autem Nuntio debet Archiepiscopus eum rogare ut benedicat, et Nuntius debet id remittere Archiepiscopo.

(3) Lana, ex qua pallia conficiuntur, desumitur ex duobus agnis, qui in festo S. Agnetis benedicuntur et Papae offeruntur. — Pallia ipsa a Papa benedicuntur in vigilia SS. Petri et Pauli, et deponuntur in confessione basilicae S. Petri prope ipsius Apostoli corpus: unde

dida tres circiter digitos lata in modum circuli contexta, quae humeros cingit habetque ab utraque parte lineas sive fasciolas, quarum anterior ante pectus, posterior inter humeros dependet, intextis partim in binis hisce fasciolis, partim in circulo humeris incumbente sex sericis nigrisque crucibus, tribusque aciculis aureis consuitur et alligatur. De hoc solo pallio hic agitur, quod dicitur latinum ut distinguatur a pallio graeco, quod est indumentum longius et largius Patriarcharum orientalium crucibus rubris ut plurimum distinctum, et post receptum pallium latinum ab iisdem Patriarchis etiam conceditur Metropolitis et Episcopis ecclesiarum insigniorum. — Significatione mystica antiqua pallium denotavit officium pastoris, cui significationi postea accessit altera de participatione quàdam potestatis pontificiae super alios Episcopos ad obtinendam plenitudinem dignitatis pontificalis.

**Concessio pallii latini** competit soli Rom. Pontifici: de iure autem conceditur Praelatis supraëpiscopalibus, qui vera iurisdictione metropolitana vel primatiali vel patriarchali gaudent (1). — Concessioni praecedere debet petitio facienda in Concistorio a praedictis Praelatis, sive personaliter sive per procuratorem ex Advocatis consistorialibus assumptum, intra spatium trium mensium a consecratione, vel si iam Episcopus erat, a die confirmationis seu promotionis in Concistorio.

**Auctoritas pallii,** quae ad instar effectus eiusdem concessionem consequitur, consistit in hoc, quod inde

---

dicuntur sumi de corpore S. Petri, quo insuper significatur potestatem supraëpiscopalem esse participationem potestatis primatialis residentis in Rom. Pontifice.

(1) Episcopis simplicibus et inferioribus Praelatis titularibus aliquando conceditur ex singulari gratia et ad meram honoris significationem, ita ut nullam vim exserat in ipsorum iurisdictionem et iura pontificalia.

a legitima pallii susceptione obtinetur ius gerendi nomen officii supraëpiscopalis proprium, ac plenitudo iurisdictionis supraëpiscopalis. — Hinc pallio nondum accepto praefati Praelati abstinere debent imprimis ab exercenda iurisdictione exclusive metropolitana etc. (v. g. cogere Concilium provinciale, visitare provinciam), — deinde etiam a functionibus ordinis episcopalis, quae ab ipsis fieri non possunt nisi cum pallii gestatione (v. g. consecrare ecclesias, ordinare clericos, conficere chrisma), — imo in rigore iuris et a nomine dignitatis proprio gestando. — At non prohibentur, quominus ante receptionem pallii alteri Episcopo delegent in suo territorio peragendos actus episcopales, quos ipsi sine usu pallii peragere non possunt, aut ipsi extra suum territorium peragant cum licentia ordinarii loci, quum ibidem pallium gestare omnino non possint; multo minus arcentur ab exercendis actibus iurisdictionis, qui omnibus Episcopis sunt communes, aut a peragendis functionibus episcopalibus, qui sine pallii gestatione fieri possunt et debent; imo nec ipsis indiscriminatim abiudicandum videtur omne exercitium iurisdictionis etiam metropolitanae etc.

**Usus pallii** (excepto Rom. Pontifice, cui, utpote ad plenitudinem ecclesiasticae potestatis assumpto, usus pallii in Missarum solemniis semper et ubique competit) pro ceteris Praelatis supraëpiscopalibus restringitur imprimis intra limites propriae provinciae seu territorii et intra ecclesias, etiam exemptas, deinde ad Missarum solemnia et ad certos dies determinatos in Pontificali Romano et Caeremoniali Episcoporum. — Deinde usus pallii limitatus est simul ad illam personam et ad illam provinciam sive sedem, cui vel pro qua est concessum; hinc pallium nequit commodari, neque successori neque etiam Coadiutori cum iure successionis relinqui; mutata sede prius pallium adportari, et novum peti

et exspectari debet; dimissa sede adhiberi amplius nequit. — Tandem praesente Rom. Pontifice vel Legato a latere, omnibus aliis Praelatis inferioribus usus pallii est interdictus, excepto Cardinali Episcopo Ostiensi, cui tamquam Decano S. Collegii Cardinalium consecratio novi Rom. Pontificis tempore electionis nondum in sacris ordinibus constituti ex antiquo privilegio est concessa.

Cfr. Reiffenstuel lib. I tit. 8; Wernz tom. II. n. 726; Zitelli-Solieri nn. 196-199.

## Titulus XIV.

## De Episcopis.

(Decret. lib. I tit. 31 *de officio iud. ordin.*)

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz tom. II nn. 730-765; Craisson tom. I nn. 854-1081; Bargilliat tom. I nn. 530-587, 606-665 et 687-697.

***Synopsis tituli.*** Exponitur hoc tit. Episcoporum officium, quod praeter primatum Rom. Pontificis est alter magistratus ecclesiastici gradus ab ipso Christo, etsi dispari ratione, immediate institutus. Agitur distinctis paragraphis de Episcoporum officio generatim, — de Episcoporum potestate et iuribus, — de eorumdem obligationibus.

### § 1. — De Episcoporum officio generatim.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) Episcoporum notio; 2) Episcoporum canonica institutio; 3) episcopalis officii amissio.

**175. Qu. 1. Quinam dicantur Episcopi.**

**Resp.** Episcopi **intelliguntur** Praelati ecclesiastici plenitudine sacerdotii novi Testamenti sive ordine episco-

pali insigniti, quibus insuper vi officii a Christo in genere instituti competit iurisdictio ad regendas particulares dioeceses. Episcopi igitur, sicuti in hierarchia ordinis ex iure divino supremum occupant gradum et potestate ordinis presbyteris sunt superiores, ita in hierarchia iurisdictionis ex Christi institutione proprium habent officium spirituale, vi cuius ipsis competit iurisdictio imprimis particularis, adstricta scil. ad assignatam ditionem, cui partem sollicitudinis in quam vocati sunt impendant, et consequenter iurisdictio quaedam universalis (quae tamen proprie non est nisi synodica), qua nempe habent, et quidem iure proprio, votum decisivum in Concilio oecumenico tum in definiendis fidei quaestionibus, tum in legibus pro universa Ecclesia ferendis (1). — Quam vero exercent Episcopi iurisdictionem, ipsis non competit vi ordinis episcopalis, quo ad gregem Christi regendam non confertur nisi habilitas specialis, quae ut in actum transeat, ad consecrationem accedere debet iniunctio legitima seu missio canonica, a Rom. Pontifice immediate vel mediate obtenta, ex qua tamquam ex causa proxima (non immediate a Deo), iuxta sententiam ab antiquis et novis DD. multo communius receptam et iam certam et indubitatam, derivanda est Episcoporum iurisdictio non solum particularis quam singuli in suas exercent dioeceses, sed etiam illa universalis quam coadunati in Concilio oecumenico una cum Rom. Pontifice exercent in universam Ecclesiam.

Episcopi praecipue **distinguuntur** in Episcopos residentiales sive ordinarios vel dioecesanos, qui ordine episcopali insigniti in dioecesi sibi commissa ordinarium regimen in clerum populumque actu exercent, et titulares (antiquo more loquendi dicebantur etiam « in partibus infidelium »), qui solam consecrationem episcopalem

(1) Cfr. Aichner § 115, 2.

absque ulla iurisdictione adepti cum assignatione tituli sive ecclesiae vel dioecesis clero populoque carentis et in partibus infidelium (non acatholicarum) sitae, ideoque obligationi residendi non sunt obnoxii.

Cfr. Reiffenstuel lib. I tit. 31 nn. 68-77; Wernz tom. II nn. 730-735, 738 et 739; Palmieri *de Rom. Pontifice* Thesis XIV pag. 445 sqq.

**176. Qu. 2. Quaenam sit ratio Episcopos canonice instituendi.**

**Resp.** Episcoporum **institutio** proprio et nativo iure **spectat ad solum Rom. Pontificem**: quod consequitur ex constitutione Ecclesiae vere monarchica. Quare nullus Episcopus est legitimus, nisi canonice sit missus et a Rom. Pontifice immediate vel mediate assumptus sive per confirmationem ad communionem cum Sede Apostolica admissus.

In Ecclesia occidentali (1) Episcoporum institutio ex iure **communi** nunc vigente fit per Rom. Pontificis **collationem** aut absolute liberam, quae ne praeviam quidem Capituli cathedralis vel Episcoporum comprovincialium supplicationem vel commendationem supponit, aut post praeviam commendationem aliquorum (ordinarie trium) candidatorum factam a Capitulo cathedrali cum voto Episcoporum comprovincialium vel a solis Episcopis comprovincialibus; — ex iure **particulari** per Rom. Pontificis **confirmationem** aut post electionem vel postulationem canonicam Capitulorum cathedralium, aut post praesentationem vel nominationem catholicorum principum vel praesidum civitatum, salvis tamen pro diversitate regionum quibusdam modificationi-

(1) Ad Ecclesiam orientalem quod spectat cfr. Wernz tom. II n. 753.

bus et limitationibus factis partim per concordata partim per consuetudines toleratas, necnon salvis peculiaribus juribus Capituli Olmucensis et Salisburgensis ad liberam electionem Archiepiscoporum, et singularibus privilegiis Archiepiscopi Salisburgensis.

Cfr. Wernz tom. II nn. 736, 751 et 752.

**177. Qu. 3. Quibus modis cesset Episcoporum officium.**

**Resp.** Officium episcopale **amittitur** generatim iisdem modis, qui supra tit. 8 *De amissione magistratus* sunt explicati, nempe (praeterquam morte naturali) renuntiatione, permutatione, translatione, amotione seu extraordinaria Rom. Pontificis dispositione (etiamsi nullum delictum ab Episcopo commissum fuerit), ac privatione ob delictum patratum sive ipso facto incurrenda sive a Rom. Pontifice per sententiam condemnatoriam infligenda: quae amissio officii episcopalis a fortiori habet locum, si Episcopus incurrat poenam depositionis vel degradationis.

Cfr. Wernz tom. II n. 765.

## § 2. — De Episcoporum potestate et iuribus.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: Episcoporum 1) iura iurisdictionis et 2) iura honorifica ac specialia privilegia.

**178. Qu. 1. Quaenam sint Episcoporum iura iurisdictionis.**

**Resp.** Episcopi in commissa sibi dioecesi generatim omnia gerere possunt, quae ad utilitatem et rationem ecclesiae suae pertinent, nisi de iis agatur, quae vel Ecclesiam universam respiciunt, vel ab illius auctoritate detracta, aut exempta, aut maiori potestati reservata proban-

tur (1). In specie quinque a Canonistis recensentur Episcoporum munera et iura iurisdictionalia, quae sunt:

**1) Ius docendi**; hinc

**a**) quoad doctrinae catholicae propagationem et custodiam Episcopi in sua dioecesi constituti sunt fidei doctores: ex quo iure non quidem definire possunt controversias dogmaticas nec dirimere quaestiones quae inter probatos auctores libere controvertuntur, sed tamquam Inquisitores nati iubent cavendos errores ab Ecclesia iam proscriptos, prohibent libros pravos, nisi ob rei gravitatem causa ad Sedem Apostolicam sit deferenda, subiiciunt censurae omnes libros in dioecesi publicandos, quorum praevia revisio de iure requiritur nec S. Sedi est reservata;

**b**) quoad praedicationem verbi Dei et instructionem catecheticam ius est Episcoporum imprimis concedendi missionem canonicam ad officium praedicationis in dioecesi exercendum; — deinde eisdem competit potestas cogendi parochos et alios qui ex officio tenentur, ad munus suum hac in re, etiam per se ipsos, adimplendi; ceteri vero sacerdotes curae animarum non addicti generaliter, extra casus scil. alicuius necessitatis existentis, obligari non posse videntur, — tandem Episcopis competit facultas determinandi praedicationis et instructionis catecheticae varias circumstantias, materiam nempe et methodum, frequentiam, durationem, locum et tempus, imo et indicendi praedicationes extraordinarias, praesertim sacras missiones pro populo (2).

**c**) quoad institutionem in scholis Episcopi

(1) Cfr. Sebastianelli *Praelect. iuris canonici*, tom. I n. 178. (Ed. I, pag. 202).

(2) Cfr. Claeys Bouuaert *de canonica cleri saecularis obedientia* tom. I pag. 40-55.

gaudent facultate ordinandi in omnibus scholis institutionem et educationem religiosam catholicae iuventutis, atque praesertim curandi studia et educationem cleri in seminariis et universitatibus catholicis. — In curanda catholicae iuventutis institutione et religiosa educatione Episcopi etiam possunt exigere et editis praescriptis ordinare cleri opem; qua in re affirmari posse videtur valde extensum existere obedientiae a clero praestandae ambitum (1).

**2) Ius iubendi,** cuius iuris vi

a) Episcopi possunt non solum leges ferre iuxta dicta supra n. 29 Resp. 1, sed et suis subditis praecepta dare, necnon leges dioecesanas interpretari, applicare, abrogare, et per dispensationes relaxare. Imo in non paucis casibus Episcopi in legibus suorum Superiorum, in quas per se nullam habent potestatem, partim expressa iuris concessione, partim specialibus indultis pontificiis, partim legitima consuetudine saltem tacite approbata dispensationes concedere valent.

b) Statutorum episcopalium obiectum generale est, ut constituant ea, quae ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam aut restituendam aut fovendam necessaria et utilia esse iudicaverint (2), ita tamen ut nihil statuant contra ius superius, sive divinum sive commune ecclesiasticum etiam contraria consuetudine forte iam sublatum, nec etiam in rebus quas Rom. Pontifex specialiter sibi reservavit. — Hinc Episcopi nihil possunt prohibere quod iure communi expresse et indubitanter est permissum, nisi ipsi ss. canones id eis aperte concedant, et vicissim nihil permittere quod iure communi est prohibitum; possunt tamen ius commune statutis poenis ur-

(1) Cfr. Claeys Bouuaert loc. cit. pag. 50-55.

(2) Cfr. Benedictus XIV *de synodo* lib. VI cap. I n. 1

gere, ipsum, ss. canonum applicationem pro sua dioecesi curando, determinare, et ordinationes praeter ipsum constituere.

c) In usu huius potestatis Episcopi cavere debent, ne apponant nimis graves sanctiones, praesertim ne facile infligant censuras latae sententiae, — ne in materia per iuris communis statuta iam partim saltem definita addendo ultra finem a lege communi intentum progrediantur, aut dispositiones adiiciant materiae quae tamquam complete a lege communi ordinata habenda est, — ne praescribant nimis ardua seu difficilia (1), vel introducant innovationes, vel imponant onus in iure inusitatum, vel detrahant iuribus quaesitis (2).

**3) Ius iudicandi,** ex quo iure

**a)** in foro interno poenitentiali Episcopi habent iurisdictionem ordinariam, exceptis casibus S. Sedi reservatis. — Ceteri omnes ad exercendam in dicto foro iurisdictionem ab Episcopo obtinere debent commissionem seu mandatum delegationis, nisi qui et quatenus vi officii sui eamdem habeant, veluti canonicus poenitentiarius, vicarius generalis et parochi; ipsimet regulares exempti ad saecularium, etiam sacerdotum, confessiones audiendas Episcopi approbatione indigent. Huiusmodi commissionem vel approbationem Episcopi denegare nequeunt personae dignae eam petenti, in hoc enim non procedunt per viam gratiae sed magis ut iudices et per iustitiam; possunt tamen

(1) Notandum tamen, maiora quam laicis onera imponi posse clericis, utpote qui libera voluntate ad speciales obligationes se adstrinxerunt: cfr. Suarez *de legibus* lib. IV cap. 11. Insuper specialis in illos praeditus est Episcopus facultate ordinationes ferendi, quae ad ipsorum vitam et honestatem regulandam spectant: Cfr. Conc. Trident. Sess. XXII cap. 1 *de reform.*

(2) Cfr. Claeys Bouuaert pag. 62-77.

generatim eamdem limitare quoad personas, locum et tempus, imo quoad casus per legitimam reservationem (1).

b) In foro externo potestas iudiciaria ita Episcopis propria est, ut causae ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, nisi agatur de causis maioribus ex natura sua vel iure positive Sedi Apostolicae reservatis. Imo prima illa instantia in multis causis (v. g. quoad decreta edita in visitatione quoad correctionem morum etc. et quoad omnia decreta extraiudicialia) tanto rigore Episcopo reservatur, ut contra huiusmodi decreta in suspensivo non liceat appellare, sed tantum aut in devolutivo aut per extraiudicialem recursum ad Rom. Pontificem (2). — Praesertim vero causae matrimoniales et criminales, non Decani, Archidiaconi aliorumque inferiorum judicio, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur (3). — Denique Episcopi in causa haereseos sunt iudices ordinarii quoad suos dioecesanos, atque tamquam Delegati Sedis Apostolicae etiam quoad Regulares exemptos.

**4) Ius corrigendi et puniendi:** vi huius iuris Episcopi possunt non solum

a) executioni mandare poenas ipso iure iam inflictas aut de iure infligendas, servato tamen iuris ordine et attenta disciplina nunc vigente, sed etiam

b) poenis et censuris a se latis vel ferendis in excessus clericorum et laicorum procedere, dummodo legitimam servent procedendi formam, et in poenis infligendis modum non excedant;

c) in usu praedictae potestatis si agitur de poenis ca-

---

(1) Cfr. Claeys Bouuaert, pag. 100-103.

(2) Cfr. Benedicti XIV, Const. *Ad militantis* 30 Mart. 1742.

(3) Cfr. Conc. Trident. Sess. XXIV cap. 20 *de reform.*

nonicis ordinariis, generatim servari debet forma stricte iudicialis saltem summaria; aliquando vero procedi potest extraiudicialiter per viam correctionis paternae adhibendo monitiones, praecepta et poenas leviores; speciatim extraiudicialiter procedi potest, praeterquam in visitatione canonica, in casibus notorietatis delicti ac suspensionis ex informata conscientia (1).

**5) Ius administrandi,** quod praecipue respicit

**a)** clericorum adscriptionem in dioecesi per sacram ordinationem vel per legitimam incardinationem, eorumdemque permanentiam in dioecesi ad servitium ecclesiasticum praestandum, proindeque impositionem muneris sacri suscipiendi. — Qua de re, attenta disciplina vigente, statui posse videtur, Episcopum generatim ius habere, maxime in casu deficientiae sacerdotum, clericos, praesertim si sacerdotio initiati sunt et aliunde nulla adest rationabilis discedendi causa, etiam invitos, in dioecesi retinendi, modo eos de congrua sustentatione provideat, eisque imponendi, ex iusta causa necessitatis saluti animarum providendi, suscipiendum et retinendum munus seu officium ecclesiasticum in iure expressum: onera autem in iure non expressa, seclusa necessitate vel consuetudine, clericis non esse imponenda, principium est a S. C. C. saepius proclamatum vel suppositum (2);

**b)** magistratuum seu officiorum ecclesiasticorum constitutionem, acquisitionem, amissionem, celebrationem synodi dioecesanae etc.;

**c)** administrationem bonorum ecclesiasticorum, executionem piarum voluntatum.

Huc spectant Episcoporum iura utilia (quae ab antiquis canonistis communi nomine legis dioecesanae

(1) Cfr. Claeys Bouuaert, pag. 118-190.
(2) Cfr. Claeys Bouuaert, pag. 274-280 et 353-359.

comprehendebantur); sunt autem, praeter ius honestae sustentationis, ius procurationis tempore visitationis dioecesis; ius ad cathedraticum sive synodaticum, quod consistit in pensione quadam iuxta dioecesis consuetudinem a beneficiatis annuatim solvenda in signum subiectionis atque in honorem ecclesiae cathedralis; ius seminaristici vel alumnatici, ad exigendam nempe portionem pro seminarii dioecesani sustentatione ad tramites Conc. Trident. Sess. XXIII cap. 8 *de reform.;* ius sigilli, i. e. ad taxas pro conscribendis documentis, iuxta normas decreti S. C. C. 10 Jun. 1896 (cfr. etiam *Ordo servandus* etc. NC. cap. 11 in A. A. S. vol. I. pag. 55) exigendas; ius ad subsidium charitativum, quod consistit in extraordinaria contributione propter manifestam et rationabilem causam a subditis clericis ratione beneficii ecclesiastici solvendam.

Cfr. Wernz tom. II. n. 756 I.

***Nota.*** Praeter ordinariam et aliam **extraordinariam** exercent Episcopi **potestatem** ipsis in pluribus casibus a iure, praesertim a Conc. Trident. **delegatam**. Qua in re Conc. Trident. duplici formula utitur:

1) In compluribus casibus Episcopis conceditur potestas procedendi simpliciter « *tamquam Sedis Apostolicae Delegati* »: qua formula absque dubio conceditur nova potestas, quam Episcopi ante Conc. Trident. neque ut ordinariam neque ut delegatam habebant; huiusmodi autem potestas nequaquam ut pars ordinariae iurisdictionis episcopalis, sed natura sua delegata est dicenda, utpote quae Episcopis conceditur non vi officii episcopalis, sed per specialem commissionem; quum tamen datur a iure et ad universalitatem causarum, proxime ad potestatem ordinariam accedit.

2) In nonnullis casibus Episcopis conceditur potestas procedendi « *etiam tamquam Sedis Apostolicae Dele-*

*gati* »: quae formula interpretanda videtur in hunc sensum, ut imprimis insinuet in illis causis aliquam ordinariam competentiam Episcoporum, saltem in proprios subditos per exemptionem sibi non subductos, praeterea addat cum certis distinctisque effectibus cumulativam iurisdictionem delegatam Sedis Apostolicae ad ordinariam in iisdem causis competentiam Episcoporum quoad proprios suos subditos, ac tandem tribuat Episcopis potestatem delegatam in exemptos, in quos suam ordinariam sive propriam iurisdictionem tamquam in subditos exercere non potuissent.

Cfr. Wernz tom. II nn. 695 et 696; Vermeersch *de Religiosis* tom. I. (Ed. 2ª) n. 364 sub b) et c), ubi explicantur utriusque potestatis indoles et effectus.

**179. Qu. 2. Quaenam sint Episcoporum iura honorifica ac specialia privilegia.**

**Resp. 1.** Inter **iura honorifica et insignia dignitatis** numerantur:

*a*) Speciales honorum tituli, quibus Episcopi ornantur: praeter praecedentiam [1] gaudent prima sede in choro, capitulo etc. atque throno episcopali cum baldachino in latere evangelii, ritu solemnis receptionis, iuxta ordinationes Pontificalis Romani, in visitatione ecclesiarum, commemorantur a die captae possessionis in canone Missae aliisque in precibus. — Praeterea ex concessione Pii IX, per litteras in forma Brevis 17 Jun. 1867 Episcopi omnes uti valent, honoris causa, pileolo violacei coloris, ac insuper birreto etiam violacei coloris, ex concessione Leonis XIII per Breve *Praeclaro* 3 Febr. 1888.

*b*) Ornamenta pontificalia, partim intra fun-

[1] Cf. n. 132 Resp. 2 sub 1.

ctiones sacras partim extra illas adhibenda, de iure solis Episcopis sunt propria tamquam insignia suae dignitatis, v. g. mitra sive infula, baculus pastoralis, crux pectoralis, annulus pontificalis, dalmatica et tunicella, chirothecae, sandalia, caligae. — Maxime vero attendendum est, quod usus pontificalium et praesertim exercitium officiorum pontificalium ad propriam dioecesim, sive in ecclesiis exemptis sive non exemptis, restringantur, neque ad alienam dioecesim extendi possint, nisi accedat licentia Ordinarii loci.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 756, IV; Bargilliat, tom. I, nn. 655-657; Craisson, tom. I, nn. 1074-1080; Lucius Ferraris, verb. *Episcopus* art. 4.

**Resp. 2.** Episcoporum **privilegia specialia** praecipua sunt:

*a*) Immunitas a suspensione vel interdicto (non vero ab excommunicatione) latae sententiae, nisi eorumdem expressa fiat mentio.

*b*) Privilegium clericorum commune canonis auctum et speciali sanctione munitum (1).

*c*) Ius habendi oratorium in suis palatiis, necnon privilegium altaris portatilis, ita « ut non solum ipsi in propriae habitationis oratorio, aut super altari portatili, ubicumque degant, missam facere aliamque in suum commodum permittere valeant; sed etiam fideles omnes alterutram ex iisdem missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant » (2)

*d*) Ius sibi in confessarium assumendi extra propriam dioecesim sacerdotem sibi subditum absque approbatione Ordinarii loci; at si sacerdos ille non

(1) Cfr. *Const. Apostolicae Sedis* inter excommunicationes speciali modo Rom. Pontifici reservatas n. 5.

(2) S. R. C. 19 Maii (8 Jun.) 1896 (*Decr. auth.* n. 3906).

sit ipsi subditus approbatus esse debet ab Ordinario loci.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 756, III.

### § 3. — De Episcoporum obligationibus.

***Summarium.*** Unica est huius paragraphi quaestio, qua explicantur Episcoporum obligationes.

**180. Qu. Quaenam sint Episcoporum obligationes.**

**Resp.** Inter obligationes episcopales speciali quadam ratione commemorandae sunt hae quae sequuntur:

1) **Professio fidei** emittenda ante provisionem canonicam (cfr. n. 133 Resp. 1, 1), necnon iuramentum fidelitatis erga Rom. Pontificem praestandum in ipsa consecratione.

2) **Applicatio Missae pro populo.** Qua de obligatione Leo XIII Const. *In suprema* 10 Jun. 1882 statuit ac decernit, « omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate etiam cardinalitia auctos, item Abbates iurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis reddituum excusatione, aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam teneri », insuper declarans, eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures dioeceses et abbatias aeque principaliter unitas regunt ». Tandem declarat Pontifex, Episcopos titulares praedicto oneri episcopali non esse obnoxios,

licet ex aequitate et caritate consentaneum sit, ut interdum sacrificium Missae pro suis ecclesiis offerant.

3) **Residentia** quae requiritur formalis [1]: sufficit autem, saltem ad effugiendas poenas a Conc. Trid. statutas, commoratio intra fines dioecesis, addita tamen stricta obligatione residendi prope ecclesiam cathedralem, et quidem in palatio episcopali, saltem tempore Adventus et Quadragesimae ac Nativitatis et Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos alio vocent [2].

De iure [3] conceditur absentia singulis annis per duos aut ad summum per tres menses, dummodo id aequa ex causa fiat et absque ullo gregis detrimento (de quibus iudicium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquitur), et praeterea absentia non incidat in praedicta tempora et festa. — Ultra praefatum tempus Episcopi abesse non possunt nisi ex legitimis excusationis causis [4]; ex quibus causis visitatio ss. liminum, assistentia in concilio provinciali aut in comitiis politicis ex officio cum sede episcopali coniuncto sunt ipso iure approbatae; ceterae approbari debent a competente Superiore ecclesiastico, qui in casu. ex Urbani VIII Const. *Sancta Synodus*, unice est Rom. Pontifex.

Poenae Episcoporum non residentium, praeter peccati mortalis reatum, sunt:

*a*) Amissio fructuum pro rata temporis absentiae illegitimae, ita ut tuta conscientia, etiam alia declaratione non secuta, retineri non possint [5].

(1) Cfr. n. 135, Resp. 1.

(2) Cfr. Conc. Trident., sess. XXIII, cap. 1 *de reform.*

(3) Cfr. Conc. Trident., loc. cit.

(4) Cfr. n. 136, Resp. 3.

(5) Cfr. Conc. Trident., Sess. VI, et Sess. XXIII, cap. 1, *de reform.*, coll. Wernz, tom. II, n. 482.

*b*) Poena privationis ferendae sententiae a regimine et administratione suarum ecclesiarum et amissionis facultatis testandi.

*c*) Inhabilitas ad maiores dignitates et ecclesias.

*d*) Privatio gratiae alternativae super provisione beneficiorum ad normam Regularum Cancellariae Apostolicae.

*e*) Privatio ipso facto inflicta omnium et singulorum indultorum, quae ipsis tamquam solio pontificio assistentibus concessa fuerunt.

Huc quoque spectat, quod soli Episcopo residenti a Conc. Trident. Sess. XIV, cap. 4 *de reform.* conceditur facultas corrigendi saeculares clericos exemptos.

4) Visitatio dioecesis ex lege Tridentina Sess. XXIV, cap. 3 *de reform.* ab Episcopis per seipsos, aut si legitime impediti fuerint per visitatores delegatos facienda est quotannis; quod si propter latitudinem dioecesis eamdem totam quotannis visitare non possunt, saltem maiorem partem visitent, ita tamen ut totius dioecesis visitatio biennio per se, vel per visitatores suos compleatur.

Visitationis episcopalis obiectum sunt loca, i. e. ecclesiae aliaque aedificia ecclesiastica, coemeteria, etc.; res, i. e. sacra suppellex, vasa sacra, reliquiae et imagines Sanctorum, legata pia, hospitalia, scholae, seminaria, bona temporalia Ecclesiae; munera sacra, i. e. praedicatio verbi Dei, administratio Sacramentorum etc.; personae, i. e. clerus et moniales, confraternitates, magistri scholarum populusque fidelis, nisi et in quantum obstet apostolicum exemptionis privilegium.

Visitationis perficiendae modus ex mente Ecclesiae est potius paternus, non iudicialis; hinc etiamsi castigatio in visitatione non excludatur, tamen poenae im-

ponuntur minores (1) ad obtinendam correctionem, non ordinariae ad vindictam; inde etiam contra decreta in visitatione lata non datur appellatio in suspensivo, sed tantum in devolutivo, neque Episcopus ut suspectus recusari potest, nisi neglecta forma paterna visitationis ut iudex ordine iudiciario servato procedat.

5) **Relatio dioecesana et visitatio ss. liminum:** quae obligatio ab omnibus locorum Ordinariis, qui S. C. de Propag. Fide subiecti non sunt, adimplenda est ad normas decreti S. C. Consist. *A remotissima*, 31 Dec. 1909 (2).

Relatio dioecesana facienda est singulis quinquenniis, et quidem ordine et modo in cit. decreto Can. 1-3 praescriptis.

Visitatio ss. liminum complectitur duos actus: ut scil. Ordinarii beatorum apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi ad Urbem accedant, et Rom. Pontifici se sistant. — Facienda est huiusmodi visitatio eodem anno quo exhiberi debet relatio dioecesana; Ordinariis tamen, qui extra Europam sunt, permittitur ut alternis quinquenniis, idest singulis decen niis, Romam petant. — Huic obligationi Ordinarius vel ipse per se vel per Coadiutorem aut Auxiliarem Episcopum, si quem habeat, satisfaciet; vel, iustis de causis a S. Sede probandis, per idoneum sacerdotem qui in eadem dioecesi stabilem commorationem teneat (cit. decretum Can. 4).

***Nota***. Si annus exhibendae relationi assignatus, ex toto vel ex parte, incidat in primum biennium ab inito dioecesis regimine, fas erit Ordinario ab exhibenda rela-

(1) Qualia sunt exercitia spiritualia, opera nonnulla poenitentiae, suspensio ad determinatum et breve tempus. Ita Claeys Bouuaert *de canonica cleri saecularis obedientia*, pag. 123.

(2) Cfr. A. A. S. vol. II, pag. 13 seqq.

tione et a visitatione ss. liminum peragenda pro ea vice abstinere (cit. decretum Can. 5).

Cfr. Wernz, tom. II, nn. 757-760.

## Titulus XV.

## De Capitùlo cathedrali et Vicario capitulari.

(Decret., lib. I, tit. 28, *de officio vicarii;* lib. III, tit. 4 *ne sede vacante aliquid innovetur* et tit. 10 *de his quas fiunt a Praelatis*, etc.).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom. II, nn. 792-795; Craisson tom. I. nn. 1213-1286; Bargilliat, tom. I, nn. 719-728 et nn. 799-834.

***Synopsis tituli.*** Agitur hoc tit. de Capitulo cathedrali, quatenus unum corpus cum Episcopo efficiens ex iure eiusdem senatum constituit, atque ad regimen dioecesis concurrit, sive collegialiter per semetipsum, sive per deputandum vicarium, qui exinde capitularis dicitur. Hinc distinctis paragraphis tractatur de ipso Capitulo cathedrali, — de Vicario capitulari.

### § 1. — De Capitulo cathedrali.

***Summarium.*** Duae sunt huius paragraphi quaestiones: 1) Capituli cathedralis notio et constitutio, etc. 2) eiusdem iura in dioecesi administranda.

**181. Qu. 1. Quid sit capitulum cathedrale et ad quemnam spectet eiusdem erectio.**

**Resp.** Capitulum cathedrale **intelligitur** collegium clericorum in ecclesia cathedrali canonice erectum principaliter ad adjuvandum et supplendum Episcopum in re-

gimine dioecesis, et secundario ad promovendum cultum divinum per servitium chori.

Eiusdem erectio ex disciplina nunc vigente **soli Rom. Pontifici** est reservata.

**182. Qu. 2. Quaenam sint Capituli cathedralis iura in dioecesi administranda.**

**Resp. Capituli cathedralis iura** in administranda dioecesi varia sunt pro varietate casus:

1) **Sede plena** Capitulum iura proprie iurisdictionalia non habet: in pluribus tamen negotiis eiusdem aut consensum aut consilium exquirere ex iuris praescripto tenetur Episcopus. Quodsi consensus requiratur, Episcopus licite et valide procedere nequit, nisi se conformet voto maioris partis Capituli; ubi vero iura postulant tantum consilium, Episcopus quidem illicite et invalide procedit inconsulto Capitulo, at nulla lege adstringitur ad amplectendum eiusdem votum. Quae nullitas actus certe sanatur per tacitum consensum vel ratihabitionem ipsius Capituli, vel per indultum S. Sedis.

Quibusnam in casibus requiratur aut consensus aut consilium, iura distincte accurateque definiunt (1). In praxi attendendum ad existentes consuetudines legitimas quae plurimum favent Episcopi libertatem: legitima autem dicenda non videtur consuetudo, ex qua Episcopus nullo umquam in casu, ne in casibus quidem iure Trident. praescriptis, vel solum consilium Capituli exquirit, quum huiusmodi consuetudo conciliari nequeat cum praxi Sedis Apostolicae urgendi in concordatis executionem iuris communis vigentis et praesertim iuris Tridentini. — Neque obligatione petendi consensum aut consilium tenetur Epi-

(1) Cfr. Wernz, tom. II, n. 793 I et II.

scopus, quando procedit ex delegatione apostolica, in qua huiusmodi obligatio speciatim non est expressa.

**2) Sede impedita,** impedito scil. Episcopo a munere exercendo propter impedimentum physicum vel canonicum, iurisdictio et administratio episcopalis quum in Episcopo non extinguatur, non transit in Capitulum, sed ab eodem res deferenda est ad Rom. Pontificem, ut provideat: quae norma applicanda videtur non solum ad casum cap. unic. *de clerico aegrot.* in 6° (III. 5) [1], sed etiam ad casum cap. 3 *de suppl. neglig. Praelat.* in 6° (I. 8) [2]. — Interim Capitulum exercebit provisoriam quamdam administrationem, nisi forte ab ipso Episcopo per litteras provideri possit, aut per constitutum Vicarium generalem vel delegatum non impeditum sit provisum.

Notandum, in casu censurae ab Episcopo incursae, post factam denuntiationem, eo ipso suspendi eius iurisdictionem, necnon Vicarii generalis potestatem [3].

**3) Sede vacante** ad Capitulum cathedrale ex iure Decretalium spectat iurisdictio ordinaria in foro tum interno tum externo, tam in spiritualibus quam in temporalibus, iis tantum exceptis, quae aut principiis generalibus aut iure speciatim Capitulo sunt prohibita: quae tamen iurisdictio ex iure Tridentino Sess. XXIV cap. 16 *De reform.* in Vicarium capitularem est transferenda.

Unus est casus, in quo sede vacante nec ad Capitulum transit iurisdictio, proindeque nec ab ipso deveniri potest ad Vicarii capitularis electionem, quando nempe sede nondum vacante S. Sedes ipsa deputaverit Vicarium generalem vel dioecesis Administratorem; persona enim

[1] Cfr. Wernz, tom. II, n. 794, III.

[2] Cfr. Wernz, tom. II, n. 794, I coll. n. 806, in nota (76), in fine.

[3] Cfr. Bargilliat, tom. I, n. 696, et infra de amissione officii Vicarii generalis.

designata ab Apostolica Sede conservat officium suum, et tamquam Vicarius capitularis, perdurante sedis vacatione, dioecesim gubernat. Bargilliat tom. I n. 802.

Quoad loca missionum aliaque loca, in quibus Episcopi locorum Ordinarii et residentiales non habent Capitulum cfr. Benedicti XIV Const. *Quam ex sublimi* apud Bargilliat tom. I nn. 803 et 804.

### § 2. — De Vicario capitulari.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: Vicarii capitularis 1) deputatio, 2) officium et potestas; necnon 3) officii amissio.

**183. Qu. 1. Qua ratione Vicarii capitularis deputatio fieri debeat.**

**Resp.** Vicarius capitularis **deputandus** est

**a)** unus, ita ut ex sola (ut videtur) consuetudine immemoriali vel S. Sedis manifesta tolerantia deputari possint plures (1), et quidem intra octo dies ab habita notitia vocationis sedis episcopalis; quo tempore inutiliter elapso, deputatio privative devolvitur ad Metropolitam (sede vacante ad Capitulum metropolitanum), et si agitur de vacante sede metropolitana aut exempta, ad antiquiorem ex Suffraganeis in metropolitana, ad propinquiorem Episcopum in exempta.

**b)** Deputatio fieri debet per actum capitularem, scil. a Capitulo capitulariter congregato, vocatis omnibus qui ius suffragii habent (2), et consultius (non

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 422.

(2) Absentes vocandi non sunt, nisi id commode fieri possit, neque per procuratorem suffragium ferre possunt.

necessario) adhibito scrutinio secreto, per absolute maioris suffragantium partis consensum (1).

c) Deputandus, praeter qualitates generatim ad officium ecclesiasticum praesertim curatum requisitas, sit oportet ex iure Trident. loc. cit. imprimis saltem in iure canonico doctor vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus (2); deinde, nisi existens Vicarius generalis confirmetur, ceteris paribus, i. e. si reperiatur capitularis instructus omnibus qualitatibus a Conc. Trident. requisitis (doctor vel licentiatus in iure canonico et alias idoneus), ex mente Patrum Trident. et ex decisionibus S. C. C. ille capitularis seu de gremio Capituli sane extraneo praeferendus est; at exinde nullitas electionis clerici extranei graduati in iure canonico et alias idonei, imo forte magis idonei nondum certo probatur (3). Tandem deputandus iam non sit vel electus a Capitulis vel a Gubernio civili nominatus in futurum vacantis ecclesiae Episcopum, secus deputatio facta est ipso iure nulla ex Pii IX Const. *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873 (4).

**184. Qu. 2. Quaenam sit Vicarii capitularis potestas.**

**Resp.** Ipso deputationis legitimae facto ex iuris dispositione ad Vicarium capitularem transit, declarante Pio IX in praefata Const., **tota ordinaria** Episcopi iurisdictio, quae vacua sede episcopali ad Capitulum venerat, ut exinde pro nullis habendae sint limitationes, sive quoad iurisdictionem sive quoad tempus, adiectae a Capitulo electioni

(1) Cfr. Bargilliat, tom. I, nn. 807 et 808.

(2) Cfr. Bargilliat, tom. I, n. 812, hunc textum Trident. interpretans.

(3) Cfr. Wernz, tom. II, n. 795, II, c. (pag. 608).

(4) Cfr. Wernz, loc. cit., pag. 612.

Vicarii capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium semel sibi collatum toto tempore, quo sedes episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam iurisdictionem episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Apostolicas canonicae suae institutionis Litteras cui de iure exhibeat (1).

Exinde consequens est, ut ad Vicarium capitularem non transeant facultates illae, quae a Rom. Pontifice aut a iure Episcopo personaliter, sive intuitu dignitatis vel industriae personae, fuerunt delegatae vel indultae. At facultates delegatae, quae a S. Sede ipsi « *Ordinario* » in casibus particularibus committuntur, aut ad plures annos intuitu officii episcopalis et melioris administrationis dioecesis Episcopis concedi solent, ex novis Decretis etiam ad Vicarium capitularem transeunt. Delegationes quoque a iure Tridentino Episcopis factae sive simpliciter sive « *etiam tamquam Delegatis Sedis Apostolicae* », ex nonnullorum (contra communiorem) sententia ad Vicarium capitularem transferuntur. — Denique vi deputationis Vicarius capitularis non acquirit potestatem ordinis episcopalis, uti patet; ast ratione jurisdictionis pleno gaudet iure concedendi Episcopo extero licentiam, qua exerceat pontificalia in dioecesi aut ordines conferat, nisi agatur de casibus a iure exceptis.

Praeterea expressis iuris textibus plura Vicario capitulari speciatim prohibentur, praesertim circa dioecesis visitationem et synodi celebrationem, beneficiorum statum et provisionem, ordinum collationem, bonorum alienationem, aliaque quae cedunt in praeiudicium ecclesiae vel Episcopi, ad normam tit. « *Ne sede vacante aliquid innovetur* ».

Cfr. Wernz, tom. II, n. 795, III; Bargilliat, tom. I, nn. 822-832.

(1) Cfr. Bargilliat, tom. I, n. 822.

**185 Qu. 3. Quibus modis amittatur seu cesset officium et potestas Vicarii capitularis.**

**Resp.** Vicarius capitularis suum officium amittit:

**a**) Cessante vacatione, quum nempe novus Episcopus Litteras Apostolicas de sua promotione exhibuerit cui de jure.

**b**) Praeterquam per mortem, per renuntiationem rite factam et publicatam, sed a Capitulo non necessario admittendam, ut ipsa valorem habeat; item per remotionem a S. Sede, nequaquam vero a Metropolita vel a Capitulo statutam.

Verum non amitti videtur, ex plurium contra alios sententia, Vicarii capitularis officium per subsequentem ipsius electionem vel nominationem ad ecclesiam vacantem; iure enim legitime acquisito nemo est privandus, nisi propter rationem aut legem certam: omnia autem quae allegantur iura loquuntur de titulo noviter quaesito et de arcenda fraude contra legem, quae fraus in nostro casu verificari non potest.

Cfr. De Angelis, tom. I, part. I, pag. 142; Wernz, tom. II, n. 895, IV; Bargilliat, tom. I, n. 833.

## Titulus XVI.

## De Vicariis Episcoporum.

(Decret. lib. I tit. 23 *de officio archidiaconi*, tit. 24 *de officio archipresbyteri*, tit. 28 *de officio vicarii*, tit. 29 *de officio et potestate iudicis delegati;* lib. III tit. 6 *de clerico aegrotante* etc.).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.: Wernz tom. II nn. 799-813; Craisson tom. I nn. 1093-1112, 1120-1189, 1207-1211; Bargilliat tom. I. nn. 703-709, 768-798.

***Synopsis tituli.*** Agitur hoc tit. de iis singularibus Episcoporum administris, qui ipsorum vices gerunt sive in pontificalibus exercendis divinisque mysteriis celebrandis *(Vicarii in divinis)*, sive in exercitio iurisdictionis potissimum fori externi *(Vicarii in iurisdictione)*. Inter hos (de quibus hic potissimum est sermo) adnumerantur, ex vigente disciplina, Vicarii generales, Coadiutores, et Vicarii foranei, quorum munus distinctis paragraphis est definiendum.

### § 1. — De Vicario generali.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: Vicarii generalis 1) notio, 2) deputatio, 3) officium et potestas, necnon 4) officii amissio.

**186. Qu. 1. Quinam in iure dicatur Vicarius generalis.**

**Resp.** Vicarius generalis **dicitur,** qui est deputatus ad exercendam generaliter iurisdictionem episcopalem vice Episcopi, ita ut ipsius actus ab Episcopi gesti censeantur. — In iure et ex stylo Curiae Vicarius generalis designatur etiam nomine Officialis: in quibusdam autem re-

gionibus transalpinis ex peculiari consuetudine haec duo nomina distinguuntur hoc sensu, ut Vicarius generalis dicatur, cui voluntariae iurisdictionis administratio tribuitur, Officialis qui contentiosam exercet iurisdictionem.

Vicariatus huiusmodi **origo** est ex iure humano, et quidem communi seu pontificio; nemo enim Principe inferior totam suam iurisdictionem iure ordinario exercendam alteri committere potest. Qua considerata origine consequitur Episcopum in constituendo Vicario generali adstrictum esse iuri communi, neque ad eum spectare innovationem huius officii, nisi intra terminos ab ipso iure concessos, vel expresso indulto apostolico vel legitima consuetudine stabilitos.

Cfr. Wernz loc. cit. nn. 801-803.

**187. Qu. 2. Qua ratione Vicarii generalis deputatio fieri debeat.**

**Resp. Deputatio** Vicarii generalis (qui in qualibet dioecesi constitui potest, ast iure ordinario non debet)

*a*) pertinet ad Episcopum facienda sua solius auctoritate, quin Capituli sive consensus sive consilium requiratur. — Specialis forma in deputatione servanda non praescribitur; valide igitur fieri potest sive viva voce sive per scripturam, dummodo clerico nominato rite intimetur et ab eo acceptetur, sed ad probandum factum deputationis et praesertim ambitum potestatis concessae omnino expedit, ut fiat per scriptum decretum claris verbis conceptum legitimeque publicatum.

*b*) Deputandus est ex disciplina communiter vigente et approbata in Curia Romana Vicarius generalis unus; nec complures constitui possunt sive in solidum sive pro diversitate causarum sive pro diversis dioecesis partibus, neque officium Vicarii generalis transformari potest in

quoddam collegium, in quo per maiora vota et decisiva negotia expediuntur: quae in quibusdam dioecesibus legitime observantur huiusmodi praxes exceptiones sunt a disciplina communi, atque nituntur iure quodam speciali sive legitima consuetudine sive expressa vel tacita approbatione vel tolerantia Sedis Apostolicae.

*c*) Deputandus sit oportet clericus, saltem prima tonsura initiatus, ex legitimo matrimonio natus, aetatis 25 annorum incoeptorum, non bigamus, non coniugatus, probitate vitae et competente scientia praesertim iuris canonici instructus et alias idoneus. Praeterea non est regulariter assumendus Vicarius generalis ex parochis, nec deputandus Canonicus poenitentiarius, vel frater aut nepos Episcopi, nec debet esse dioecesanus (1) aut beneficiatus in dioecesi, ob varia incommoda quae inde oriri possint. Tandem Vicarii generales esse nequeunt regulares, praesertim mendicantes et nominatim ex Ordine Fratrum Minorum.

Cfr. Wernz loc. cit. nn. 803 et 804; Bargilliat loc. cit. nn. 778-783.

**188. Qu. 3. Quaenam sit Vicarii generalis potestas.**

**Resp. Potestas** Vicarii generalis propria spectat exercendam iurisdictionem tantum, non ea quae sunt Ordinis, et est imprimis universalis in totam dioecesim sive quoad personas sive quoad causas universalitate quadam non stricta sed moraliter sumpta, quam proinde Episcopus quoad locum et causas quidem restringere potest, at non ita ut cesset esse generalis secundum moralem aestimationem; secus potius fit merus Episcopi delegatus quam Vi-

(1) Hoc tamen non videtur esse ex iure quodam universali et absoluto.

carius generalis; deindè ex communi DD. sententia aptius ordinaria dicenda est quam delegata; acquiritur enim vi officii quod iure approbatum est, nec ab homine sed ex iuris dispositione.

Hujus potestatis ambitus hac formula generali optime videtur posse definiri, ut scil. Vicarius generalis, eo ipso quod constitutus est, vi Vicariatus generalis sibi demandati per mandatum generale possit expedire omnes causas, quae spectant ad ordinariam (non delegatam) iurisdictionem Episcopi, exceptis iis, quas Episcopus expresse et specialiter sibi reservavit, aut ad quas ex iure communi speciale Episcopi mandatum requiritur, aut quas Vicario generali committere, etiam per specialem mandatum, Episcopo interdixit ius commune.

Tandem notanda Vicarii generalis praerogativa specialis, qua ipse cum Episcopo unum idemque tribunal constituit, ita ut in iis quae spectant ad ordinariam Episcopi iurisdictionem, a Vicarii generalis sententia, etiam ex speciali mandato lata, appellatio fieri non possit ad Episcopum, nisi omnibus attentis Vicarius generalis vi mandati specialis fuisset merus delegatus Episcopi: notat autem Bargilliat (1), ea quae ex mandato speciali commissa sunt Vicario generali in ipso deputationis instrumento, censeri ipsi commissa tamquam Vicario generali.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 805; Bargilliat loc. cit. nn. 784-788.

**189. Qu. 4. Quibus modis amittatur seu cesset officium et potestas Vicarii generalis.**

**Resp. Cessat** potestas Vicarii generalis:

**a**) Renuntiatione expressa, vel etiam tacita, v. g. per discessum e dioecesi cum animo non redeundi;

(1) Loc. cit. n. 788.

b) Revocatione etiam sine causa (valide, sed non licite) facta, ipsi tamen Vicario legitime intimata ;

c) Remotione vel depositione ob delicta gravesque negligentias facta sive ab Episcopo sive a Sancta Sede ; tandem

d) principali Episcopi iurisdictione cessante (per mortem, renuntiationem, translationem, permutationem, depositionem), vel suspensa (per excommunicationem, suspensionem a iurisdictione, interdictum) pariter cessat vel suspenditur secundaria Vicarii generalis iurisdictio. — A fortiori iurisdictio Vicarii generalis suspenditur, si ipse excommunicatur, suspenditur vel interdicitur.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 806 ; Bargilliat loc. cit. nn. 789-791.

## § 2. — De Coadjutore.

***Summarium.*** Tres sunt hujus paragraphi quaestiones: Coadiutoris 1) notio et constitutio, 2) potestas et iura ; 3) cessatio officii et potestatis.

**190. Qu. 1. Quinam in iure intelligatur Coadiutor, et quanam ratione sit constituendus.**

**Resp. 1.** Coadiutor Episcopi **intelligitur,** qui auctoritate legitima ex iusta causa constituitur cum potestate et obligatione adiuvandi Episcopum in ipsius officii administratione vel regimine. Hic est Coadjutor in stricto sensu acceptus, a quo distinguendus Vicarius in pontificalibus seu Episcopus auxiliaris, qui nempe ex concessione S. Sedis assumitur tantum in subsidium ordinis episcopalis, et proinde vi provisionis nullam accipit iurisdictionem, quam tamen aliunde ex speciali titulo, v. g. Vicarii generalis, Vices gerentis, seu Delegati obtinere potest.

**Resp. 2. Constitutio** Coadiutoris ex disciplina vigente Sedi Apostolicae reservata est. Duobus autem modis constituitur: aut ad tempus, durante scil. vita vel impedimento Episcopi adiuti, aut cum iure successionis, ita scil. ut quam primum Episcopi coadiuti officium vacet, in eodem Coadiutor succedat (1). — Porro licet Rom. Pontifex Episcopo etiam invito ex iusta causa constituere possit Coadiutorem sive temporalem sive perpetuum, de facto tamen absque consensu coadiuti ex stylo Curiae non datur Coadiutor cum iure successionis, nec facile obtruditur temporalis; imo si agatur de ecclesia cathedrali quae praevia electione Capituli vel nominatione regia de iure est concedenda, consensus eorum qui iure eligendi vel nominandi potiuntur a Sede Apostolica de facto solet praerequiri.

Cfr Wernz loc. cit. n. 810 I et II.

**191. Qu. 2. Quaenam sint Coadiutoris potestas et iura.**

**Resp.** In definiendis **potestate et iuribus** Coadiutoris Litterarum Apostolicarum praecipua habenda est ratio; de cetero standum est sanctionibus iuris communis, decisionibus SS. CC. vel communibus DD. sententiis.

Generatim loquendo Coadiutoris potestas sese extendit ad omnia quae exercere non potest vel non vult Coadiutus, nec per Coadiutorem fieri ex rationabili causa vetat, aut ipsa iuris dispositione Coadiutori sunt interdicta (2). Ad haec notandum Episcopum coadiutum non posse functiones, quibus ipse defungi aut non potest aut non vult,

(1) Aliquando constituitur cum solo iure successionis sine iure praestandi Coadiuto officia veri Coadiutoris.

(2) Cfr. cap. unico *de cler. aegrot.* in 6 (lib. III tit. 5), ubi Coadiutori interdicitur facienda alienatio quaelibet bonorum ecclesiasticorum Praelatorum ipsorum vel ecclesiarum suarum.

praesertim generaliter delegare (1) alteri quam Coadiutori qui illas per se exercere vult et potest.

Quodsi Episcopus adjutus est totaliter inhabilis, v. g. ob amentiam, ex delegatione apostolica universa potestas Episcopi, sive ordinaria sive delegata, in spiritualibus et temporalibus transit in Coadiutorem, ita ut v. g. etiam libere conferre possit beneficia ecclesiastica vacantia.

Tenetur Coadiutor, quoties fuerit a Coadiuto etiam non impedito requisitus, pontificalia aliasque functiones episcopales exercere Hinc tenetur etiam residere in loco residentiae adiuti, neque inde discedere potest absque consensu ipsius Coadiuti.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 810 III.

**192. Qu. 3. Qua ratione amittatur officium et potestas Coadiutoris.**

**Resp.** Coadiutoris officium et potestas **cessat**

**a)** cessante officio Coadiuti, vel sublato impedimento propter quod ipse Coadintor ad tempus est constitutus. — Coadiutor vero cum iure successionis ipso facto vacationis Sedis Episcopalis et sine nova collatione fit proprius dioecesis Episcopus, et dimisso titulo ecclesiae titularis, accipit titulum ecclesiae, cuius fit pastor ordinarius;

**b)** per ipsius Coadiutoris mortem, resignationem, privationem, absolutam et perpetuam incapacitatem; at tamquam gratia facta non cessat per mortem Rom. Pontificis concedentis coadiutoriam.

---

(1) Hinc concesso etiam Coadiutore per se non excluditur Vicarius, quippe cuius potestas est ordinaria.

## § 3. — De Vicario foraneo.

***Summarium***. Tres sunt huius paragraphi quaestiones 1) Vicarii foranei notio et deputatio; 2) eiusdem potestas; 3) muneris cessatio.

**193. Qu. 1. Quis intelligatur nomine Vicarii foranei, et qua ratione deputetur.**

**Resp.** Vicarius foraneus (Decanus) **intelligitur**, qui super aliquo districtu dioecesis ex pluribus parochiis constituto iura quaedam et officia ab Episcopo delegata exercet. Huiusmodi districtus vocari solent *decanatus*, in quibus erigendis, circumscribendis, dividendis, uniendis, supprimendis Episcopus plena utitur libertate, silente hac de re iure communi.

**Deputatio** Vicarii foranei fit per liberam Episcopi nominationem, nisi ius particulare aliter statuat.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 813, I et II.

**194. Qu. 2. Quaenam sit Vicarii foranei potestas.**

**Resp. Potestas** Vicarii foranei, quum strictum officium cum potestate ordinaria iure communi definita non habeat, ex Episcopi mandato seu delegatione unice pendet. Ex hodierna praxi iurisdictionis potestate non pollet, sed eius munus generatim consistit in visitando parochias, invigilando de vita et honestate populi christiani et praecipue cleri, in concedendo licentias quasdam minoris momenti, indulgendo quasdam dispensationes etc.; quarum facultatum determinatus ambitus definiendus est ex iure particulari uniuscuiusque regionis et dioecesis.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 813, III.

**195. Qu. 3. Qua ratione amittatur munus Vicarii foranei.**

**Resp. Amittitur** munus Vicarii foranei per mortem, resignationem, translationem in parochiam alterius decanatus, per liberam revocationem ad nutum Episcopi ex iusta tamen causa et salvo honore Vicarii foranei factam, per privationem absque ullo processu canonico ob negligentias vel culpas in munere admissas.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 813, IV.

## Titulus XVII.

## De Praelatis inferioribus.

(Decret. lib. I tit. 31 *de officio iud. ordin.*, tit. 33 *de maior. et obed.*; lib. V tit. 33 *de privileg. et excess. privileg.*

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. tit.; Wernz, tom. II nn. 815-818; Craisson, tom. I nn. 1113-1117; Bargilliat tom. I nn. 714-718.

***Synopsis tituli.*** Agitur hoc tit. de Praelatis qui in hierarchia constituunt gradum infra-episcopalem cum iurisdictione quasi-episcopali. Horum exponitur duplici quaestione notio et divisio, — ac potestas seu iurisdictio.

**196. Qu. 1. Quinam dicantur Praelati inferiores, et quotuplex eorumdem distinguatur species.**

**Resp. 1.** Praelati inferiores stricto sensu canonico **dicuntur**, qui per se ordinis episcopalis expertes ex iure nomineque proprio in ecclesias et personas subiectas etiam in foro externo ordinariam et quasi-episcopalem iurisdictionem exercent, et a potestate Episcoporum ordinariorum aliquo gradu sunt exempti.

Horum provisio canonica ex iure nativo et proprio spectat ad Rom. Pontificem; at ex iure speciali saepe fit per electionem aut praesentationem.

Amittunt hi Praelati sua officia omnibus modis, quibus generatim officia ecclesiastica amittuntur, attento tamen semper iure speciali.

**Resp. 2.** Horum Praelatorum **triplex species** distinguitur:

Infima est eorum, qui cum quasi-episcopali iurisdictione praesunt tantum certo generi personarum intra septa alicuius ecclesiae vel monasterii vel conventus habiantium.

Media est eorum, qui cum quasi-episcopali iurisdictione praesunt clero et populo alicujus regionis sitae tamen in dioecesi, a qua non est separata.

Suprema est eorum, qui praesunt clero et populo alicuius regionis a cuiusvis Episcopi dioecesi separatae; habent igitur proprium territorium, et dicuntur strictu sensu Praelati *Nullius*.

Cfr. Wernz loc. cit. n. 815 et n. 818, II et IV.

**197. Qu. 2. Quaenam sit Praelatorum inferiorum potestas.**

**Resp.** Praelatorum inferiorum **potestas** varia est pro varia eorumdem specie.

Praelatorum supremae speciei seu stricto sensu *Nullius* potestas, paucis iuribus exceptis, est plene episcopalis; hi veris adnumerantur locorum Ordinariis, quum territorium omnino separatum habeant.

Praelatorum mediae speciei potestas, quam in clerum et populum exercent, licet quasi-episcopalis dicatur, in pluribus tamen est limitata, quum vere exerceatur intra dioecesim, non in territorio separato, et praeter ea quae etiam Praelatis *Nullius* interdicuntur, ea

omnia ipsis denegantur, quae a Conc. Trident. reservantur solis Ordinariis (locorum), quo nomine iidem, quum proprium territorium non habeant, non comprehenduntur.

Praelatorum infimae speciei potestas quasi-episcopalis est in solos subditos cum sola passiva exemptione a iurisdictione Episcopi, cui tamen in pluribus casibus sunt subiecti sive ut Ordinario sive ut Delegato Sedis Apostolicae.

Cfr. Wernz, loc. cit., n. 818, III.

## Titulus XVIII.

## De parochis et vicariis parochialibus.

(Decret. lib. III. tit. 29 *de parochiis et alienis parochianis*, tit. 6, *de clerico aegrot.*; lib. I. tit. 28, *de officio vicarii*, tit. 31, *de officio iud. ordin.*).

Cfr. Reiffenstuel aliique commentatores iuris decret. in cit. *tit.*; Wernz, tom. II, nn. 820-841; Craisson, tom. II, n. 1287-1528; Bargilliat tom. II, nn. 835-1040.

***Synopsis tituli.*** Agitur hoc tit. de iis sacerdotibus quibus commissum est nobile et gravissimum officium opem ferendi Episcopo in administranda ordinaria et immediata cura animarum; sunt autem parochi et vicarii parochiales. Explicatur distinctis paragraphis munus parochiale — cum iuribus et obligationibus — necnon munus vicariorum parochialium.

## § 1. — De munere parochiali generatim.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: muneris parochialis 1) notio, 2) provisio canonica, 3) cessatio.

**198. Qu. 1. In quonam consistat muneris parochialis essentia.**

**Resp.** Quum in iure diserta muneris parochialis seu parochiatus determinatio non habeatur, eiusdem essentia definienda est ex communi AA. doctrina ac praesertim ex praxi et sensu Curiae: quibus consideratis dicendum, **parochialis officii rationem** seu essentiam esse in iure proprio, i. e. vi officii quod habet, exercendi curam animarum in certum alicuius dioecesis populum. Hinc **parochus definitur** sacerdos legitime deputatus ad praedicandum verbum Dei et ad Sacramenta ministranda nomine proprio et ex obligatione numero determinato dioecesanorum, qui vicissim aliquatenus teneantur ab eodem sacra recipere. Exinde deducitur ad parochiatus essentiam non pertinere circumscriptionem territorialem qua populus parochianus determinetur, siquidem populi determinatio fieri potest aliis modis v. g. per familias; neque rectoris unicitatem, possunt nempe duo ita constitui ut uterque ex officio proprio teneatur sacra administrare eidem populo qui vicissim ab alterutro eadem recipere teneatur; neque rectoris perpetuitatem, quae ex statuto pontificio sive ex fundatione abesse potest, ipsa tamen parochia in perpetuum est erigenda. Quum vero ex iure communi (1) tria supradicta regulariter adesse debeant, ad parochiatus iuridicam rationem plenam spectare dicenda sunt. **Parochianus** ordinarie nunc **dicitur**

(1) Cfr. Conc. Trident., sess. 24, cap. 13 *de réform.*

qui intra parochiae fines habet domicilium, sive plenum sive semiplenum, et opponitur vago vel peregrino; attamen vagus quum nullum omnino domicilium habeat, censetur esse parochianus illius parochi tamquam proprii, in cuius parochia simplicem habet commorationem, nisi maior iuris rigor sit attendendus, v. g., in collatione ordinum.

Muneris parochialis **origo** neque ex iure divino et immediata Christi institutione, neque ex institutione apostolica, sed ex sola Ecclesiae institutione est repetenda, et quidem originarie ex facto Episcoporum, quorum praxim Pontifices et Concilia dein tacite saltem approbarunt ac retinendam esse decreverunt, et sic officium parochiale coepit esse iuris communis. Constat enim ex historicis documentis certo tribus primis saeculis veros et proprie dictos parochos omnino non extitisse; presbyteri autem illi iam ante saeculum IV ab Episcopo missi, vel etiam ruri stabiliter degentes non fuerunt certo fidelium coetui ita addicti ut eum regerent vi stabilis sui officii. Praxis hac ratione constituendi presbyteros paulatim introduci coepta est ruri saltem saeculo V et VI, at in civitate episcopali nonnisi ex saeculo XI. — Hinc ruit iam pridem reprobata (1) et nostra aetate penitus antiquata sententia parochistarum, qui non solum parochorum officium iure divino institutum putarunt, sed et parochis vi officii ex iure divino vindicarunt iurisdictionem in foro externo, atque inde concluserunt eosdem saltem in Synodo dioecesana eo modo esse legislatores et iudices, quo Episcopi in Conciliis oecumenicis.

Ex vigenti in pluribus regionibus praxi distinguuntur

---

(1) Cfr. Pii VI Const. *Auctorem fidei*, 28 Aug. 1794 propos. 9 et 10; Denzinger-Bannwart, *Enchiridium symbolorum* etc., nn. 1509 et 1510.

**parochi perpetui**, qui nempe subiectiva perpetuitate sive inamovibilitate gaudent, et **deservitores** [1] sive ad nutum amovibiles. Originem sumpsit haec distinctio post perturbationem gallicanam occasione usurpationis potestatis civilis ex modo agendi Episcoporum, qui retenta succursalium ecclesiarum denominatione a Gubernio in *Articulis organicis* invecta, limites earum definierunt, et deservitores constituerunt cum omnibus iuribus parochialibus, sola inamovibilitatis praerogativa excepta, et proinde independentes a parocho titulari, cui relictum fuit merum ius inspectionis, nullius fere momenti, quod brevi generaliter ab usu recessit [2]. Quam amovibilitatis disciplinam ab initio legitimam fuisse, ex pontificia concessione seu indulgentia, plures (contra alios) probabilius contendunt [3], et hodierna saltem aetate hanc praxim legitime servari, imo et servari debere certum omnino est ex Rescripto Gregorii XVI ad Episc. Leodiensem 1 Mart. 1845, tum ex Responso Pii IX ad Episc. Ebriocensem 5 Oct. 1864. « Et ideo — ita concludunt *Acta S. Sedis*, tom. XIV, pag. 188 — nunc neque Episcopis licet eam deserere, et rectores succursalium obedire in conscientia obligantur, cum removeantur a respectivis Ordinariis » [4]. — Tandem huiusmodi deservitores veros esse parochos patet ex eo, quod in eis verificatur tota pastoralis officii ratio.

Cfr. Wernz, loc. cit., n. 821; Bargilliat, loc. cit., nn. 835-841.

---

[1] Dicuntur etiam *succursalistae*, sed alio prorsus sensu quo in iure hoc nomen adhibetur. Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 492.

[2] Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 492.

[3] Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 494.

[4] Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 495.

**199. Qu. 2. Qua ratione muneris parochialis provisio canonica fieri debeat.**

**Resp.** Muneris parochialis provisio canonica ex iure ordinario fit **per liberam collationem Episcopi**, salvis tamen (ubi vigent) tum reservationibus per regulas Cancellariae, tum praerogativis patronorum aliorumque si qui sunt. — Hujusmodi autem liberae collationis parochias conferendi potestas non competit Vicario generali nisi ex speciali Episcopi mandato, nec etiam sede vacante Capitulo Cathedrali, neque consequenter Vicario capitulari.

**Dotes promovendi** sunt *a*) aetas 25 annorum inchoatorum et status clericalis saltem per primam tonsuram susceptus, ita ut possit et debeat infra annum computandum a die pacificae possessionis ordinem presbyteratus recipere; *b*) scientia competens ad praedicationem Verbi Dei, administrationem Sacramentorum reliquamque curam animarum per seipsum exercendam: tandem *c*) ea morum gravitas et honestas, quam ss. canones generatim in promovendo ad beneficium requirunt.

**Forma provisionis** a Conc. Trident. Sess. 24, cap. 18, *de reform.* praescribitur specialis qui concursus vocatur. — Huic legi concursus subiiciuntur omnia et sola beneficia parochialia canonice erecta et vere vacantia, quae obiectiva et subiectiva perpetuitate sunt donata, nisi aliqua ex iure speciali excipiantur: excipiuntur vero iure speciali beneficia iuris patronatus laicalis vel mixti, nisi in limine fundationis conditio concursus subeundi fuerit apposita, item ecclesiae parochiales permutandae, vel cit. cap. Tridentino in fine a concursu exemptae. — Concursus peragendi modum quoad singula accurate determinavit atque universaliter et obligatorie praescripsit Benedictus XIV Const. *Cum illud* 14 Dec. 1742. At ex hodierna disciplina, a S. Sede saltem tolerata, in pluribus regionibus forma concursus iuxta rigorem iuris non viget,

ita tamen ut suppleatur quoad substantiam aut praevio concursu generali de sola scientia et examine speciali de aliis requisitis ante provisionem facto, aut per aequivalentem quamdam seriem examinum.

Cfr. Wernz, loc. cit., nn. 825-827; Bargilliat, loc. cit., nn. 855-863.

**200. Qu. 3. Quibus modis amittatur munus parochiale.**

**Resp. Muneris parochialis cessatio** generatim fit omnibus illis modis quibus officia ecclesiastica in genere amittuntur; speciatim attendendum ad S. C. Consist. decretum *Maxima cura* 20 Aug. 1910 *de amotione administrativa ab officio et beneficio curato* (A. A. S. vol. II pag. 636) cum eiusdem S. C. declarationibus 3 Oct. 1910 (A. A. S. vol. II pag. 854).

§ 2. — De parochi iuribus et obligationibus.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: 1) parochialis iurisdictionis notio et extensio; 2) parochialia iura et functiones; 3) parochi obligationes.

**201. Qu. 1. Quaenam sit parochialis iurisdictionis notio et extensio.**

**Resp. 1.** Parochi iurisdictio est **fori interni,** nec ullam veram iurisdictionem fori externi vi officii exercere potest, nisi eamdem speciali titulo obtinuerit (1); coniunctam tamen habet potestatem quamdam oeconomicam vel domesticam in parochiam ut societatem imperfectam,

(1) Ex consuetudine dispensat parochus cum propriis ovibus in casibus particularibus in legibus ieiunii et abstinentiae, necnon in observantia requiei festivae servandae diebus dominicis et festis de praecepto. Cfr. S. Alphonsus lib. I n. 190; Genicot tom. I n. 120 Ballerini-Palmieri Ed. 3 tom. I n. 403, 2° in fine.

qua parochianis suis paterne invigilat eosque discolos moderate coërcet, bonum ordinem in sua parochia curat et tuetur, necnon administrationi temporalium ecclesiae suae providet. — Quae parochi iurisdictio est ordinaria, quae scil. non ex mera commissione Episcopi, sed ex iuris communis dispositione vi officii nomine iureque proprio exercenda parocho conceditur; hinc Episcopus nequit potestatem parochi ita limitare, ut, quae iure communi definita sunt, ad meram umbram redigantur.

**Resp. 2.** Parochi jurisdictio **extenditur** generatim loquendo ad illos qui intra fines parochiae habent domicilium vel quasidomicilium, i. e. qui ibidem de facto per modum incolae habitant cum animo ibidem permanendi respective perpetuo (nisi quid postea avocet) vel per maiorem anni partem seu saltem per sex menses (1), ac dicuntur parochiani. — Vagi, qui nempe nullibi domicilium vel quasidomicilium habent, ex iuris communis concessione effectus parochialitatis habent in parochia in qua hic et nunc degunt.

Eximuntur ab ordinaria parochi iurisdictione personae et loca quae apostolico exemptionis privilegio fruuntur; imo, praeterquam legitima consuetudine, etiam statuto Episcopi fieri potest, ut communitas quaedam religiosa vel conservatorium vel convictus vel similia instituta a cura ordinaria parochi eximantur et proprio capellano seu rectori subjiciantur. — Item non sunt subiecta parocho ecclesiae et oratoria, quae, licet per se non exempta, ab ecclesia parochiali separata seu non annexa in parochia existunt.

Cfr. Bargilliat tom. II nn. 909-914; De Brabandere-Van Coillie tom. I nn. 437-443.

---

(1) Fusius hac de re in Tractatu *de matrimonio*.

**202. Qu. 2. Quaenam sint parochialia iura et functiones.**

**Resp. 1. Iura parochialia** intelliguntur illa ad curam animarum ordinata, quorum exercitium parocho in suo territorio exclusive competit, ita ut, salva tamen auctoritate superiore, sine eius consensu nemo alius ea possit exercere. Sunt autem:

1) Baptismi collatio solemnis, ita ut, excepto casu gravis incommodi, graviter peccent tum parochiani infantes baptizandos ad alium deferentes tum sacerdos baptizans, qui insuper incurrit poenas latas in usurpantes iura aliarum ecclesiarum, si id faciat cum animo usurpandi iura alterius.

2) Communio paschalis in ecclesia parochiali sumenda, ut praecepto paschali satisfiat; absentes verum a parochia et vagi eamdem legitime recipiunt in ecclesia loci, ubi degunt, non solum parochiali, sed, ex probabili plurium contra alios sententia, et qualibet, item sacerdotes ex consuetudine paschali praecepto satisfaciunt ubicumque celebrant. Quoad alumnos seminariorum, collegiorum ecclesiasticorum, aliarumque Congregationum cfr. statuta particularia.

3) Viatici et extremae Unctionis administratio non tantum parochianis sed et aliis in parochia accidentaliter degentibus, ita ut sacerdotes saeculares extra necessitatem viaticum administrantes graviter peccent, regulares insuper incurrant excommunicationem latae sententiae Rom. Pontifici simpliciter reservatam.

Communio infirmorum devotionis causa in eorum domo administranda per se quidem ius parochiale non est, sed eius delatio per plateas publica et (ex sententia cl. Feije *De regularibus* n. 332) etiam privata, ubi fieri licet, privative ad parochum spectat. Hinc nihil obstat, quominus infirmo in suo cubili communio devotionis causa ab alio

administretur casu quo SS. Eucharistia ferri non debeat per plateam, v. g. a celebrante in domus religiosae oratorio.

4) Assistentia matrimonialis et benedictio nuptialis, insuper sponsorum examen antenuptiale et matrimonii publicatio, idque non solum quoad parochianos, sed et quoad vagos, qui in sua parochia degentes matrimonium inire cupiunt.

5) Ius ad oblationes iuxta dicenda ubi de bonis ecclesiasticis in specie.

6) Ius funeris, de quo ubi de sepulturis.

***Nota.*** Parochianorum obligatio instituendi annuam confessionem proprio sacerdoti (ex can. Lateranensi *Omnis utriusque sexus*), necnon in ecclesia parochiali diebus dominicis et festis audiendi missam ac assistendi Verbi divini praedicationi, quidquid dici debuit tempore anteacto, ex disciplina vigente nulla amplius existit, nec Episcopus peculiari statuto eam denuo introducere potest; tantum monere potest fideles et exhortari, ut missam audiendi et praedicationi assistendi causa ad parochialem ecclesiam frequenter accedant (Cfr., Benedictus XIV *De syn. dioeces.* lib. XI cap. 14).

**Resp. 2. Functiones parochiales** dicuntur illae, quae parocho potissimum conveniunt vel ob naturam munerum quae cum iuribus parochialibus omnino cohaerent, vel ob conjunctionem cum pastorali officio, vel ob honoris praecellentiam. Quae quidem functiones non adeo exclusive ad parochum pertinent sicuti praefata iura parochialia, maior etiam quam circa haec circa illas aliis committenda est Episcopi potestas, maiorque vis contrariae consuetudinis; parocho tamen sunt vindicandae quoties non fuerint aliis quoque permissae sive ex licentia Ordinarii vel Apost. Sedis, sive ex consuetudine aliove peculiari titulo. Inter functiones parochiales praecipue numerantur:

1) Benedictio fontis baptismalis ex S. R. C. decreto *Urbis et Orbis* 10 Dec. 1703 (1) ad VI; in ecclesia cathedrali vel collegiata, quae simul est parochialis, benedictio fontis fieri debet ab eo, qui cetera officia Sabbathi Sancti peragit, quum ab hisce sejungi nequeat.

2) Missa solemnis feriae V in Coena Domini, ita tamen ut haec Missa etiam celebrari possit in aliis ecclesiis, quibus ius est asservandi SS. Sacramentum, v. g. ecclesiis Regularium.

3) Ducere processionem per parochiam (2), ita ut absque parochi vel Episcopi consensu processiones ab aliis generatim fieri nequeant, nisi intra eorum ecclesias et claustra, vel, si ecclesiae claustro careant, intra ambitum dumtaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiae (cfr. decretum S. C. Episc. et Regul. 21 Aug. 1628, et cit. S. R. C. decretum *Urbis et Orbis* ad XXI et XXII).

Verum ex concessione Gregorii XIII Const. *Cum interdum* 11 Mart. 1584 Regularibus licet absque ullius licentia processiones instituere etiam extra claustra per totam octavam Corporis Christi, excepto die quo Episcopus vel parochus loci processionem facit.

Item quoad processionem in festo (in pluribus locis dominica infra octavam) (3) Corporis Christi iuri parochorum derogatum fuit in favorem ecclesiae eminentioris, uti ecclesiae cathedralis vel matricis ex pluribus ejusdem loci ecclesiis, ita ut in praefato die aliis eiusdem loci parochis processionem instituere non liceat.

4) Tandem benedictio domorum in Sabbatho

(1) S. R. C. *Decr. Auth.* n. 2123; ex quo decreto potissimum dignosci potest, quaenam sint functiones parochiales, quaenam vero mere sacerdotales.

(2) Alii reducunt ad jura parochialia.

(3) In quam diem ibidem solemnitas transfertur.

Sancto et benedictio agrorum, saltem si solemniter fiat.

***Nota.*** Quae absque parochi consensu in aliis praeter parochiales ecclesiis peragi possunt functiones dicuntur mere sacerdotales seu ecclesiasticae. Tales sunt praeter celebrationem Missae non solum privatae sed et solemnis — preces XL horarum, — benedictio super populo, expositio ss. reliquiarum et imaginum ac benedictio cum eis super populo, — benedictio et distributio candelarum, cinerum, palmarum, ignis, seminis, ovorum et similium, — hebdomadae sanctae functiones praeter Missam solemnem feria V in Coena Domini (cfr. superius h. n. sub 3), — publicae conciones, — denuntiatio festivitatum et vigiliarum in hebdomada occurrentium. Ad nonnullas tamen earum requiritur Apost. Sedis vel Ordinarii loci licentia. Praeterea notandum ex huiusmodi functionibus quasdam in ecclesiis et oratoriis publicis Episcopo subiectis impediri posse Episcopi statuto aliove peculiari titulo; in ecclesiis vero et oratoriis publicis Regularium ab Episcopo prohiberi nequeunt. — Quoad benedictionem mulierum post partum (de qua lis erat inter DD.) S. R. C. (*Decr. Auth.* n. 3813 Ed. nova) declaravit huiusmodi benedictionem « fieri debere a parocho, si expetitus ipse fuerit; posse autem fieri a quocumque sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiae ».

Cfr. Bargilliat tom. II n. 915-941; De Brabandere-Van Coillie tom. I nn. 466-488.

**203. Qu. 3. Quaenam sint parochi obligationes.**

**Resp.** Inter **parochi obligationes** praecipue numerantur:

1) Residentia in parochia, de qua cfr. supra nn. 135-137.

Hac obligatione tenentur parochi non solum perpetui, sed et amovibiles seu succursalistae, necnon vicarii curati tam temporales quam perpetui, tandem coadiuti et coadiutores. Residentia intelligenda est commoratio non solum intra fines parochiae, sed et in aedibus parochialibus, extra quas etiam intra parochiae limites habitare non licet, nisi iustam ob causam et de licentia Episcopi.

Huiusmodi residentia sufficit moraliter continua, quae scil. aliquod annuatim absentiae tempus patiatur, sub quibusdam tamen conditionibus a Conc. Trid. loc. cit., definitis, quae sunt *a*) iusta causa, qualis censetur pro absentia singulis annis non ultra bimestre (1) causa quaevis rationabilis, veluti recreationis, visendi amicos etc.; pro absentia singulis annis ultra bimestre requiritur causa gravis, quae quadruplex a Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 1, *de reform.*, assignatur, nimirum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiae vel reipublicae utilitas; *b*) Episcopi licentia, et quidem, extra casum urgentem, expressa ac in scriptis obtinenda, nisi pro absentiis parvi momenti consuetudo ferat ut oretenus detur; qua in re imprimis servandum ius particulare, quo deficiente servetur ius commune, quod praeviam Episcopi licentiam requirit pro absentia integrae hebdomadae (2); verum ex recepta consuetudine praedicta licentia necessaria non est, ut parochus, ex causa quae sibi legitima videatur, absit per unum vel alterum diem, saltem qui non est dies festus vel dominicus; *c*) substitutio vicarii ad hoc ab Episcopo approbandi, ne scil. ex pastoris absentia damnum acci-

(1) Computandum etiam ex absentiis interpolatis, nisi sint ita breves ut nihil considerari soleant.

(2) S. C. C. 7 Oct. 1604; Fagnanus ad cap. *Relatum* 4 *De clericis non resid.* nn. 32 et 49.

piant oves; quae vicarii substitutio requiritur non solum in casu longioris absentiae, sed etiam brevioris, nisi forte absit aliquibus dumtaxat horis vel (raro tamen) unico die et exceptis horis nocturnis, saltem si nulli sint in parochia infirmi; quando autem agitur de illis absentiis brevioribus, in quibus nequidem pro discessu licentia Episcopi exigitur, vicarii approbatio non est necessaria; ut plurimum sufficit, si confessarius adsit in parochia (etiamsi non resideat in domo parochiali); sufficere etiam poterit, si parochus conterminus supplere promiserit, facile et poterit.

Defectus residentiae ex Conc. Trid., loc. cit., constituit peccatum ex genere suo mortale; peccati mortalis reatus incurri potest aut propter detrimentum gregis, ut si parochus, nullo relicto vicario, moribundum sine sacramentis et assistentia desereret, vel etiam nullo infirmante duos vel tres dies abesset; aut ex defectu licentiae, ut si parochus sine licentia, etiam relicto vicario, ultra duas vel tres hebdomadas abesset; notandum tamen, Episcopo ius esse statuendi etiam sub gravi, ut nemini liceat sine licentia accepta (vel si negotium urgeat petita) abesse ultra triduum vel biduum; aut propter diuturnitatem absentiae, ut si absentia ultra bimestre, seclusa causa absolute gravi, notabiliter protraheretur. — Insuper ex Trid. loc. cit. parochus non residens, ipso facto, pro rata temporis absentiae, fructus non facit suos, nec tuta conscientia potest eos sibi retinere; sed etiam ante judicis sententiam eos tenetur dare ecclesiae, vel si ecclesia non indigeat pauperibus destribuere. Praeterea Episcopus, si eum contumacem in parendo invenerit, potest eum « per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem et subtractionem fructuum, aliaque iuris remedia, etiam usque ad privationem compellere ».

Cfr. Wernz, tom. II, n. 484; Bargilliat, tom. II,

nn. 869-875; Lehmkuhl *Theol. moralis,* tom. II, n. 819, Ed. 11.

2) Missa pro populo. Ex Conc. Trid., Sess. XXIII, cap. 1, *de reform.* omnes quibus animarum cura commissa est, iuris divini (1) obligatione adstringuntur offerendi sacrificium pro ovibus, quae obligatio iuris ecclesiastici communis determinatione extenditur ad dies dominicos ceterosque dies festos omnes (etiam dimidiatos vel suppressos vel translatos), qui secundum catalogum Urbani VIII festivi erant (2), quibus addendum est festum Immac. Concept. ex Clementis XI, Const. *Commissi Nobis* 6 Dec. 1708 de praecepto servandum; pariter addenda sunt festa, quae per posteriora decreta declarata sunt de praecepto, sive pro tota Ecclesia sive pro respectiva dioecesi vel loco. Recensita vero in praedicto catalogo, praeter dies dominicos, festa sunt: Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis cum duabus feriis sequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis; Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis Sanctae Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis Beatae Virginis; Dedicationis S. Michaëlis, Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis et Judae, S. Mathiae, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii, S. Sylvestri, S. Joseph, S. Annae, Omnium Sanctorum: et festum unius ex praecipuis Patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter princi-

(1) Cfr. hac de re tract. Card. Tarquini in *Acta S. Sedis,* vol. I, p. 389 et sqq.

(2) Cfr. Benedicti XIV, Const. *Cum semper oblatas* 14 Aug. 1744; Pii IX, Encycl. *Amantissimi,* 3 Maii 1758; Leonis XIII, Const. *Suprema,* 10 Junii 1882; S. R. C. decretum 28 Nov. 1884.

palioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit.

Tenentur hac obligatione (quatenus nempe lege ecclesiastica determinata) ex curatis inferioribus (1) non solum proprie dicti parochi, sive perpetui sive amovibiles seu succursalistae, sed etiam qui actu officium parochiale exercent, scil. vicarii curati, sive perpetui sive temporales, constituti in parochia vacante unita Monasterio, Capitulo etc., necnon vicarii seu deservitores in parochia vacante constituti; non tenentur vicarii parochorum cooperatores, nec etiam (2) directores monialium et religiosarum feminarum, rectores hospitalium et asylorum pauperum aliorumque eiusmodi locorum, eleemosynarii carcerum et militum, nisi ipsis cura animarum ita demandata sit, ut vere exerceant officium parochiale (3). — Ad hoc notandum, qui sibi habet commissas duas parochias non unitas unione extinctiva seu plenaria, ad duplicem Missam applicandam teneri (S. C. C. decretum 24 Julii 1886 et 5 Martii 1887).

Praedicta obligatio est *a*) realis, cui si parochus etc. neque per se neque per alium satisfecerit, omissiones quamprimum supplere tenetur, nisi a S. Sede ob-

---

(1) Quod attinet ad Episcopos dioecesanos et Abbates Nullius, cfr. Leonis XIII, Const. *Suprema*. 10 Junii 1882; Praelati Regulares determinationi ecclesiasticae certo non subiacent, num vero obstringantur saltem obligatione iuris divini disputant DD. Cfr. Genicot, vol. II, n. 225; Lehmkuhl, tom. II, n. 266.

(2) Scil. non tenentur determinatione ecclesiastica; num vero teneantur iuris divini obligatione saltem aliquando offerendi Missam pro sibi commissis dubium est.

(3) Quoad missionarios S. C. de Prop. Fide die 23 Martii 1863 respondit: « Vitandam esse locutionem teneri ex caritate, dicendum autem esse decere ex caritate, idque ita ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat ».

tinuerit condonationem (S. C. C. 14 Dec. 1872), neque ad satisfaciendum huic oneri missam ex binatione celebrandam applicare potest (S. C. C. 5 Martii 1887); *b*) personalis, ita ut parochus etc. eidem satisfacere teneatur per se, neque per alium nisi « accedente iusta et legitima causa » (S. R. C. 21 Julii 1848), seu « excepto casu verae necessitatis et concurrente causa canonica » (S. C. C. 25 Sept. 1848). Iusta causa intelligenda est in sensu necessitatis seu impedimenti physici vel moralis, eaque legitima, canonica, i. e. legibus seu canonibus conformis, ad quod tamen non requiritur, ut specifice exprimatur in iure, sed sufficit illam universim iuri conformem dici posse (cfr. Feije *De beneficiis* n. 198); in particulari causa iusta censenda est, quando quis legitime impediatur (v. g, infirmitate, itinere, exercitiis spiritualibus) quominus Missam celebret (S. C. C. 14 Dec. 1859); item quando parochus duas parochias sibi commissas habet ac iure aut facto nequit binare (S. C. C. 24 Julii 1886 et 5 Martii 1887); item quando parochus, qui simul est canonicus, celebrat Missam conventualem, quae benefactoribus applicari debet (Benedicti XIV Const. *Cum semper oblatas* 14 Aug. 1744); econtra iusta causa non est occurrens funus vel Missa pro sponsis (S. C. C. 26 Jan. 1771), aut occurrens Missa celebranda pro peculiaris legati implemento (S. C. C. 9 Apr. 1892) vel pro pio aliquo benefactore (S. C. C. 25 Sept. 1847 ad 4), non obstante consuetudine contraria (S. C. C. 25 Sept. 1847); neque etiam legitima causa censeri potest disciplina localis applicandi pro populo Missam cantatam (1)

(1) Quam disciplinam in sua dioecesi praescribere, potest Episcopus (cfr. Benedictus XIV *De synodo*, lib. XII, cap. 6, n. 2), a qua vero obligatione implenda eximunt causae expresso, tacito, vel etiam rationabiliter praesumpto consensu Episcopi probatae, ita tamen ut in casu exemptionis parochus missam propriam, etsi privatam, pro populo applicare teneatur.

cui populus assistit et quam pro se applicari putat (S. Congr. C. 9 Aprilis 1881); *c*) localis hoc sensu, ut parochus praesens et non impeditus per semetipsum, et, utcumque legitime impeditus ne Missam celebret, per alium in ecclesia parochiali missam pro populo applicare regulariter teneatur; admittunt tamen auctores, parochum posse celebrare in ecclesia filiali vel sacello publico, intra limites parochiae sito, casu quo, propter speciale aliquod festum, ibidem concursus populi fiat. Parochus vero a sua parochia legitime absens satisfacit suae obligationi Missam applicando pro populo suo in loco ubi degit; curare tamen debet ut in parochia sit provisum necessariae populi commoditati satisfaciendi praecepto Missam audiendi (S. C. C. 14 Dec. 1872) (1); potest etiam parochus legitime absens alteri committere Missae applicationem in parochiali sua ecclesia (S. C. C., 11 Maii 1720); *d*) assignato die implenda, nec reiicienda in alium diem quavis de causa, nisi in casu translationis festi quoad solemnitatem et officium simul, quo casu et obligatio in die translationis implenda est (Pii IX Const. cit. *Amantissimi* et S. R. C. 6 Martii 1896), quae translatio contingit quoad festum Annuntiationis B. M. V. incidens in Parasceve vel in Sabbathum S. — Si festum, quo Missa pro populo celebranda est, incidit in dominicam, obligationi satisfit semel applicando pro populo (S. C. C. 24 Apr. 1875 et 28 Apr. 1888). Legatur *Nouv. Revue théol.*, tom. XIX, p. 482-503.

Obligatio realis semper gravis est; obligationem aliarum circumstantiarum raro omnino transgredi, non videtur grave peccatum; aliud dicendum, si saepius fit.

Cfr. Bargilliat, tom. II, nn. 881-891; De Brabandere-Van Coillie, tom. I, nn. 444-449; Lehmkuhl, tom. II, nn. 261-266.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, Vol. VII, p. 184-193.

3) Praedicatio et instructio religiosa. Obligatione praedicandi verbum Dei, ac religiosam doctrinam edocendi pueros rudesque personas ex Conc. Trid. Sess. V, cap. 2 *de reform.* et Sess. XXIV, cap. 4 et 7 *de reform.* diebus saltem dominicis et festis solemnibus tenetur parochus, idque per se, vel si legitime impeditus fuerit per alios idoneos; unde communiter censent auctores officio suo non satisfacere parochum, qui praedicationes totius anni aliis committat. — Potest tamen Episcopus decernere, ut praedicatio frequentius fiat (Trid. Sess. XXIV, cap. 4, *de reform.*), necnon a praedicandi obligatione dispensare in aliquibus solemnioribus diebus (S. C. C. 1 April. 1876). Minime autem a praedicando excusantur parochi sive immemoriali consuetudine, quae potius corruptela est, sive frequentia concionum quae in aliis eiusdem loci ecclesiis habentur, sive exiguo numero parochianorum (Innocentii XIII, Const. *Apostolicis ministerii* 13 Maii 1723. Cfr. Benedicti XIV Instit. eccles. 10). — Ad officium praedicationis referri potest obligatio denuntiandi quae per hebdomadam occurrunt praesertim dies festi, vigiliae et ieiunia, indulgentiae et quaecumque Episcopi mandata, ne populus ex ignorantia violet praescripta vel gratiis concessis privetur.

Praedicandi munus graviter obligare parochos certum omnino est; qua in re alii aliis mitius opinantur: S. Alphonsus (lib. III n. 269) satis probabilem habet opinionem quae docet, ad grave peccatum requiri et sufficere, ut hoc munus negligatur « per unum integrum mensem continuum, aut per tres menses discontinuos in anno »; iuxta Lehmkuhl cum aliis grave peccatum censetur, si parochus notabiliter ultra mensem (v. g. per duos menses) continue omittat concionari, aut si notabiliter ultra tres menses discontinuos in anno. « Immo puto — addit — pro diversis regionibus facilius etiam ratione scandali gra-

viter peccari posse; nam per se praecipitur, ut saltem diebus dominicis et festis sermo ad populum habeatur ». Insuper parochi « ubi ab Episcopo moniti trium mensium [intellige: continue] spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad arbitrium Episcopi cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat » (Trid. Sess. V, cap. 2).

Quoad instructionem religiosam notentur puncta, quae Litteris encyclicis *Acerbo nimis* 15 Aprilis 1905 (cfr. *Acta S. Sedis*, tom. XXXVII, pag. 623). Pius X praescripsit, et quae ubique observanda sunt, nisi alicubi abundantiore modo instructioni provisum et data sit dispensatio (cfr. litterae ex Secretaria Status 21 Aug. 1905 apud *Acta S. Sedis*, tom. XXXIX, pag. 272. Sunt autem:

« 1. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis quae quisque credere agereque debeat ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

« 2. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad Sacramenti Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

« 3. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus fuerit, diebus post festa paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adulescentulos et adulescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

« 4. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen *Congregatio doctrinae christianae*. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradendos laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio glo-

riae Dei, tum ad lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

« 5. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

« 6. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione, parochi universi ceterique animarum curam agentes, praeter communem homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles constituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re catechismo Tridentino utantur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent, quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de Praeceptis Ecclesiae ».

Si qui sunt in parochia qui ad ecclesiam accedere nequeant, eos adire debet parochus, aut saltem per alios idoneos erudiendos curare, ut S. Alphonsus (*Homo apost.* tract. VII n. 135) omnino monet; neve grave incommodum praetexere potest parochus, ut hanc gravem obligationem negligat.

Cfr. Bargilliat nn. 895-903; Lehmkuhl tom. II n. 820 Ed. 11.

4) Sacrum ministerium, quod praeter Missae aliarumque sacrarum functionum in ecclesia parochiali celebrationem praesertim comprehendit Sacramentorum et sacramentalium administrationem parochianis illa rationabiliter petentibus; quod speciatim spectat admittendos pueros ad confessionem et primam communionem cfr. S. C. de Sacramentis cit. decretum *Quam singulari* 8 Aug. 1910. —

Quoad Missae celebrationem Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 14 demandat Episcopo curam, ut qui curam habuerint animarum tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent »; ex quo D'Annibale (*Summula Theol. moral.* vol. III n. 170) docet parochum teneri ad celebrandum *a*) quoties populus necesse habet Missam audire; *b*) quoties nupturientes implorant solemnem benedictionem nuptialem; *c*) pluries in hebdomada, at quoties non constat: sed convenit posse Episcopum eos cogere sub gravi bis vel ter, si parochia sit populosa, et aliae Missae in ea non celebrentur, et redditus parochiae non sint tenues et exigui. At S. Alphonsus (lib. VI n. 313 circa finem) quaerens de hac parochorum obligatione, relato cit. textu Tridentino, concludit: « Satis igitur munus suum implent, si sacrificant quoties populus Missam audire debet ».

Huc pertinent etiam cura et visitatio infirmorum, quos ex praescripto *Ritualis Romani* tit. V cap. 4 et 5, saepius adeat parochus, etiamsi nondum invitatus fuerit, praesertim vero ingravescente morbo frequentius invisat et ad salutem iuvet, ac quantum fieri possit, in vitae exitu assistat, atque propterea domesticos moneat, ut se vocent si videatur finis vitae instare, quamquam aegrotus Sacramentis omnibus iam rite munitus sit. Quod postremum praescriptum universim sub gravi obligare non videtur; nam de gravitate illius obligationis interrogata S. C. C. respondit (23 Martii 1879): « Standum praescriptionibus Ritualis Romani: in reliquis consulat probatos auctores »; quandoque tamen gravis obligatio oriri posset: nempe si ageretur de homine peccatis assueto, qui magno periculo in peccata relabendi neque poenitendi exponeretur, nisi parochus ei ad finem usque assistat, ut eum ad contritionem hortetur et absolutionem iterum concedat. Ceterum licet lata parochiae extensio et extraordinaria parochi munera ab observandis exacte Ritualis Rom. praescriptis facilius

excusare possint, numquam tamen sufficient, ut regulariter curetur tantum de ultimis Sacramentis ministrandis, et nihil de infirmis postea visitandis vel in extremo agone iuvandis.

Cfr. Lehmkuhl tom. II. n. 821 Ed. 11; Génicot tom. II n. 70 VI.

5) Externa parochiae cura et vigilantia. Huc revocari possunt cura et vigilantia de iuventutis institutione in scholis, imo et inspectio scholarum, quae in parochia existunt, quatenus privilegia exemptionis, ordinationes iuris particularis, aut iniustae leges civiles non obstant; — vigilantia et cura pastoralis ad eliminanda vitia, peccata, pravas occasiones, et ad promovendam vitam vere christianam per monitionem et correptionem, per pias associationes et confraternitates, per sacras missiones; — cura pauperum aliarumque miserabilium personarum, promovendo etiam nosocomia, hospitalia pauperum aliaque caritatis opera et instituta omnibus mediis secundum disciplinam nunc vigentem receptis, v. g. conferentiis S. Vincentii a Paulo aliisque associationibus, quae pro praesenti conditione sociali requiruntur; — cura librorum parochialium et archivi parochialis; — diligens administratio bonorum ecclesiasticorum (de qua infra plura); — tandem non solum verbis et vigilante cura, sed et bonorum operum exemplo oves suas pascere satagat parochus.

## § 3. — De vicariis parochialibus.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones pro varia vicariorum parochialium specie qui distinguuntur 1) vicarii curati; 2) vicarii administratores; 3) vicarii coadiutores; 4) vicarii cooperatores.

**204. Qu. 1. Quinam dicantur vicarii curati; qua ratione constituantur; quaenam sit eorumdem potestas; quomodo cesset eorumdem officium.**

**Resp. Vicarii curati** dicuntur qui constituuntur in parochiis incorporatis alicui capitulo vel collegio, aut coetui religioso vel conventui, aut dignitati etc. (quibus competit officium rectoris principalis vel habitualis) cum actuali et universa cura animarum.

Hi vicarii ordinarie nominantur sive praesentantur a parocho habituali, eorumdem tamen examen et approbatio sive institutio auctorizabilis ad curam animarum exercendam competit Episcopo, qui ex Trid. Sess. VII cap. 7 *de reform.* sollicite providere debet, ut parochiae huiusmodi incorporatae administrentur « per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur » (1).

Potestas et officium ad totam actualem curam animarum huiusmodi vicariis, sive perpetuis sive temporaneis, competit, etiam praesente parocho principali, quin hic, nisi sit Ordinarius loci, sese quovis modo ingerere possit; hinc vicarius curatus ex officio sibi proprio curam parochiae gerere dicendus est, ideoque verus et proprie dictus parochus habendus; quare etiam vicario curato ea-

---

(1) Quid iuris speciatim quoad parochias incorporatas coetui regulari vel monasterio dicetur ubi *de Regularibus*.

dem generatim, quae parocho, competunt iura, eaedemque incumbunt obligationes.

Vicariorum curatorum officium cessat prout supra n. 200 de munere parochiali est dictum.

Cfr. Wernz tom. II n. 840, III; Bargilliat tom. I nn. 1032 et 1033.

**205. Qu. 2. Quinam dicantur vicarii administratores; qua ratione constituantur; quaenam sit eorumdem potestas; quomodo cesset eorumdem officium.**

**Resp. Vicarii administratores** (deservitores, oeconomi) dicuntur, quibus committitur exercitium universae curae actualis alicuius parochiae vacantis.

Administratores huiusmodi nominandi sunt ab Episcopo, qui debet ex decreto Trid. Sess. XXIV, cap. 18, *de reform.*, « statim, habita notitia vacantis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium... constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur ».

Potestas huiusmodi administratorum ac iurisdictio utrum ordinaria dicenda sit, an delegata ad universalitatem causarum, an vero quasi-ordinaria lis est inter DD. S. C. C. hac de re interrogata controversiam dirimere noluit, sed ad quaestionem practicam : « An oeconomus curatus, vacante parochia, ab Episcopo constitutus in vim dispositionis Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 18 possit alium sacerdotem delegare ad omnia officia, vel ad aliquos tantum actus? » die 12 Sept. 1874 respondit: « Affirmative ad primam partem, nisi obstet voluntas Ordinarii ». Ceterum Vicario administratori, sicuti curato, eadem generatim quae parocho competunt iura, eaedemque incumbunt obligationes.

Cessat vicarii administratoris munus revocatione,

ipsius Vicarii renuntiatione, ac tandem novi parochi constitutione, quo autem praecise momento in hoc ultimo casu iurisdictio exspiret diiudicandum ex iure dioecesano scripto vel consuetudinario.

Cfr. Wernz tom. II, n. 840 I et II; Bargilliat, tom. II; 1034-1036; De Brabandere-Van Coillie, tom. I, n. 502.

**206. Qu. 3. Quinam dicantur vicarii coadiutores; qua ratione constituantur; quaenam sit eorumdem potestas; quomodo cesset eorumdem officium.**

**Resp. Vicarii coadiutores** stricto sensu dicuntur, qui ad exercendam curam pastoralem adiunguntur parocho infirmo aut imperito.

Huiusmodi coadiutores ex auctoritate Ordinarii constitui non possunt nisi ex causis canonicis, quae sunt infirmitas (1) corporis vel animi, aut defectus scientiae vel peritiae eiusmodi, ut parochus non amplius convenienter regere possit parochiam sibi commissam (2). Ex quibus causis canonicis coadiutor temporaneus deputatur ab Episcopo etiam invito parocho, qui tamen si causam sufficientem non adesse praetendat, poterit appellare in casu infirmitatis quidem cum effectu suspensivo, in casu vero imperitiae cum solo effectu devolutivo. Coadiutor vero perpetuus seu cum iure successionis a solo Rom. Pontifice potest concedi, quod tamen admodum raro fit.

Potestas Vicarii coadiutoris, si parocho plane inha-

---

(1) Intelligitur permanens, vel saltem talis cuius cessatio non possit probabiliter sperari; in casu enim morbi temporanei non est deputandus coadiutor proprie dictus, sed potius assumendus vicarius simpliciter talis, qui tempore morbi vices parochi suppleat (cfr. Benedictus XIV, *Instit. eccles.*, 107, n. 47 et seq.).

(2) Cfr. cap. *De rectoribus* 3 et cap. *Consultationibus* 6 *De cler. aegrot.* (Lib. III, tit. 6); Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 6, *De reform.*

bili datus est, comprehendit universam iurisdictionem parochialem cum suis oneribus; secus generatim tantum iis muneribus fungitur, quae coadiutus non potest aut non vult ipse obire, attentis tamen litteris deputationis, statutis dioecesanis, legitimis consuetudinibus. — Hinc coadiutor ut suo officio rite fungi possit, tenetur ad residentiam, a qua tamen nec ipse coadiutus excusatur; at non tenetur applicare Missam pro populo, si huic oneri satisfaciat ipse coadiutus.

Cessat munus Vicarii coadiutoris temporanei quotiescumque parochus coadiutus suum amittit officium, vel cessat causa ob quam coadiutoria data est, vel ipse ab Episcopo rite revocatur. Quodsi in casu raro coadiutor constitutus sit perpetuus seu cum iure successionis, eo ipso quo parochus coadiutus a munere suo cessat, in officium coadiuti acquirit ius in re, nisi iam antea ex alia causa coadiutoria ipsius fuerit legitime sublata.

Cfr. Wernz, tom. II, n. 839; Bargilliat, tom. II, nn. 1037-1040.

**207. Qu. 4. Quinam dicantur vicarii cooperatores; qua ratione constituantur; quaenam sit eorumdem potestas; quomodo cesset eorumdem officium.**

**Resp. Vicarii cooperatores** dicuntur, qui deputantur ad auxilium in cura animarum praestandum parocho digno et idoneo, residenti pleneque operanti.

Vicarii huiusmodi ex iure communi nominandi sunt ab ipsis parochis, cum approbatione Episcopi, cui etiam ius est determinandi numerum cooperatorum, quos parochi sibi assumere debeant (cfr. Conc. Trid., Sess. XXI, cap. 4 *de Reform.*); at ex particulari disciplina in compluribus regionibus vigente, et ex legitima consuetudine servanda « usque dum aliter a S. Sede fuerit declara-

tum » (1) huiusmodi cooperatores libere deputantur ab Episcopo exclusis omnino parochis.

Potestas vicariorum cooperatorum (nisi obtineant verum beneficium curatum sive manuale sive titulare, cui ex fundatione certa iura et officia parocho tamen subordinata sunt concessa) imprimis ex litteris deputationis, deinde ex statutis particularibus vel legitimis consuetudinibus est eruenda; generatim loquendo deputantur, ut parocho auxilium ferant in Sacramentis administrandis ac cura parochiali exercenda, excepta tamen ut plurimum assistentia in matrimoniis celebrandis. Quae ipsorum potestas est delegata, utpote quae habetur ex speciali commissione Superioris, Episcopi scil. aut parochi, a quo ex dictis instituuntur; — limitata tamen, quum per se non censeantur delegati ad universalitatem causarum, nisi forte aut *a*) Episcopus eos ita constituat, ut suppleant parochi negligentiam vel incapacitatem, aut *b*) ipse parochus omnia sua munia ipsis ad tempus expresse deleget, aut *c*) parocho absente ipsis committatur parochiae administratio; — tandem subordinata parocho, cuius directioni et inspectioni in exercendis suis functionibus subsunt.

Quare de exercenda delegatione Vicariis cooperatoribus facta haec statui posse videntur (2): Quae parochialis curae munia ex dioecesis praxi parocho exclusive propria seu reservata censentur, eadem cooperator non sibi assumat nec iisdem sese immisceat nisi ex parochi consensu, regulariter expresso, aliquoties praesumpto, semper tamen revocabili; huc praeter assistentiam matrimonialem spectant funera et sepultura, officiatura solemnis (3), externum pa-

(1) S. C. C., 14 Aug. 1863; cfr. *Nouv. Revue théol.*, tom. XXIV, pag. 600.

(2) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, tom. I, nn. 510-517.

(3) V. g. solemnis benedictio et distributio candelarum, cinerum et palmarum, benedictio fontis baptismalis, officia hebdomadae

rochiae regimen (1), forsan etiam baptismi administratio, nec si huiusmodi munia parochus per se implere non possit vel non velit, cooperatores ius habent ut vices eius suppleant, aequitas vero naturalis suadet ut, nisi aliquid obstet, ipsis potius quam extraneis eadem committantur. — Ast ad exercenda munia, quae ex praxi dioecesana parocho et cooperatoribus aliquousque censentur communia, hi speciali illius consensu non indigent, sed sufficit generalis, quae continetur in deputatione vel admissione ad fungendum in parochia vicarii munere; huc pertinent praeter praedicationem et institutionem cathecheticam distributio (tempore ordinario) s. Communionis etiam extra Missam, eiusdem delatio ad infirmos, administratio Viatici et Extremae Unctionis; hisce igitur muniis fungendi ius est cooperatoribus, nisi parochus prohibeat (2), quod tamen ne passim et absque rationabili motivo fiat suadet saltem reverentia Episcopo cooperatores deputanti vel approbanti debita. Imo etiam parocho invito cooperatores parochiales possunt in ecclesia parochiali celebrare missam privatam, distribuere (tempore ordinario) s. Communionem infra missam, necnon excipere confessiones sive fidelium publice in ecclesia sive infirmorum in eorum domibus (3); item

sanctae, processiones: nequit etiam cooperator sua auctoritate missas a se in ecclesia cantandas recipere.

(1) V. g. reformatio abusuum, institutio confraternitatum aliarumque piarum unionum, opera socialia etc.

(2) Quod stricto iure facere potest parochus, quum inter parochialia iura vel functiones numerentur.

(3) Nec obstat apposita in litteris iurisdictionalibus clausula: « De licentia parochi seu quorum interest », quae impleta dicenda deputatione vel admissione ad munus vicariale in parochia exercendum; potissimum intelligenda videtur haec clausula in casibus particularibus erga rectores aliarum ecclesiarum.

possunt privatim (1) impertiri benedictiones mere sacerdotales.

In omnibus tamen huiusmodi functionibus exercendis ordinem non solum statutis dioecesanis vel praxi probata, sed etiam speciali parochi praescripto determinatum servare tenentur cooperatores.

Obligationes cooperatorum praecipuae sunt, ut resideant in parochia iuxta praescripta iuris particularis sive consuetudinarii, necnon ut obedientiam praestent parocho in omnibus quae munus pastorale spectant.

Remotio vicariorum cooperatorum, secluso casu quo veri sunt beneficiati titulares, spectat ad parochum, si ipse eosdem ex iure communi assumpsit, ita tamen ut ne in hoc casu quidem excludatur Episcopi auctoritas aut causam remotionis approbando, aut etiam cooperatorem iustam ob causam removendo. Sin autem huiusmodi vicarii libere deputantur ab Episcopo etiam ad ipsum solum spectat remotio, quae semper valide fit, non tamen licite absque honesta et rationabili causa. Si remotio facta sit ex fraude et odio, vel cum diffamatione et damno, eo quod v. g. sine ulla causa sufficiente decreta fuerit, vel absque translatione ad aequivalens fere officium ecclesiasticum, facto recursu ad S. Sedem non sustinetur.

***Scholion.*** Praeter Vicarios parochiales alii existunt presbyteri qui rectores nomine, utplurimum (2) ex Episcopi delegatione, limitatam quamdam curam animarum, et functiones quasdam sacri ministerii exercent in certis institutis vel etiam capellis seu oratoriis publicis intra fines parochiae. Horum relatio ad parochum, necnon fa-

(1) Cfr. S. C. C., 12 Sept. 1891 in *Acta S. Sedis*, tom. XXIV, p. 309 et seqq.

(2) Aliquando eorumdem munus est ex vero officio vel etiam beneficio.

cultates ipsis competentes determinantur ex statutis dioecesanis, necnon ex probatis consuetudinibus; in dubio pronuntiandum est in favorem iuris parochialis, quum ex una parte eorum privilegia, utpote contra ius, strictae sint interpretationis, ex altera vero parochi iurisdictio, utpote ordinaria, maxime favorabilis reputatur.

## Titulus XIX.

## De Conciliis et Synodis.

(Decret. lib. III tit. 31 *de officio ind. ordin.*).

Cfr. Wernz tom. II nn. 843 866; Bargilliat tom. II nn. 666-686 et nn. 588 605.

***Synopsis tituli.*** Postquam omnes gradus singularium Praelatorum, quibus in hierarchia iurisdictionis ordinarium regimen Ecclesiae constituitur, sufficienter sunt explicati, hoc ultimo tit. disputatur de coetibus vel magistratibus collegialibus ad extraordinarium regimen ecclesiasticum institutis, quae Concilia vel Synodi vocantur. Agitur distinctis paragraphis de Conciliis oecumenicis — de Conciliis provincialibus — de Synodis dioecesanis.

### § 1. De Conciliis oecumenicis.

***Summarium***. Tres sunt huius paragraphi quaestiones: Concilii oecumenici 1) notio, convocatio et constitutio, 2) potestas et competentia, 3) confirmatio.

**208. Qu. 1. Quid sit Concilium oecumenicum; quaenam eiusdem convocandi ratio; quaenam eiusdem legitima constitutio.**

**Resp. 1.** Concilium oecumenicum **intelligitur** congregatio legitima Episcoporum totius orbis catholici alio-

rumque Praelatorum privilegiatorum a Rom. Pontifice convocata, ut illo sive per se sive per Legatos suos praesidente et approbante de negotiis Ecclesiae universalis deliberent atque decernant.

**Resp. 2.** Concilium oecumenicum **convocandi ius** proprium et exclusivum habet Rom. Pontifex, quippe qui solus pro suo in universam Ecclesiam iurisdictionis primatu omnes et singulos Praelatos ecclesiasticos de iure vel ex privilegio vocandos in conventum cogere potest; unde et ad ipsum exclusive pertinet Conc. oecumenici translatio, suspensio et dissolutio. — Fit autem ex praxi nunc vigente convocatio non per intimationem personalem, sed per edictum generale Romae promulgatum.

Convocandi sunt: *a*) Iure ordinario et proprio omnes Episcopi (Archiepiscopi, Primates, Patriarchae) residentiales totius orbis catholici, qui iurisdictionem actualem in determinatam dioecesim habent; hi enim una cum Rom. Pontifice constituunt collegium Episcoporum, quod ex Christi promissionibus praerogativa infallibilitatis munitum est et universam Ecclesiam docentem et regentem repraesentat. Episcopi vero titulares ex probabiliore plurium (contra alios) sententia de iure vocari non debent, siquidem iurisdictione carent, qua potestate (non ordinis) negotia in Conciliis oecumenicis transiguntur; at convenienter vocari possunt, et hac vocatione obligatorio modo facta et ipsi iurisdictionem in Concilio oecumenico exercendam obtinuerunt. *b*) Ex privilegio et consuetudine Cardinales etsi non Episcopi, Praelati Nullius, Generales Ordinum regularium, quibus merito aequiparantur Abbates generales; non vero simplices Abbates particularium monasteriorum et Superiores generales Congregationum religiosarum cum votis simplicibus, qui etiam de facto ad Concilium Vaticanum vocati non sunt.

Hi omnes Concilio intersunt tamquam veri iudices

cum voto decisivo, quod votum non est merum factum vel consilium vel testimonium, sed verum iudicium sive validus actus iuridicus vi iurisdictionis positus.

**Resp. 3.** Ut Concilium ceu oecumenicum censeatur **legitime constitutum**, imprimis requiritur ut post generalem convocationem tot conveniant Episcopi aliique Praelati privilegiati, quot cum Rom. Pontifice sufficiant ad Ecclesiam universalem repraesentandam, ad quod nequaquam necesse est, ut omnes et singuli Episcopi vel maior pars vel determinatus quidam numerus in locum Concilii actu conveniat; facto enim constat non pauca celebrata fuisse Concilia oecumenica, in quibus tantum minor pars Episcoporum intervenerit, v. g. Concilio Tridentino. « Itaque sufficit — ita Card. Soglia *Praenot.* § 34 — aliquot ex diversis Ecclesiae provinciis Episcopos convenire, ita quidem ut eorum conventus, inspectis locorum, personarum et temporum adiunctis, Concilium generale dici possit ».

Altera conditio omnino essentialis ad constituendum Concilium oecumenicum est, ut Rom. Pontifex, sive per se sive per suos Legatos, interveniat et praesideat; secus in Concilio oecumenico non repraesentatur Ecclesia universalis, sed habetur corpus sine capite. Intelligenda autem ex natura Primatus praesidentia talis, quae praeter honorem sessionis auctoritatem in regendis discussionibus importet.

**209. Qu. 2. Quaenam sit Concilii oecumenici potestas et competentia.**

**Resp.** Concilium oecumenicum rite constitutum gaudet **ordinaria potestate suprema et plena in universam Ecclesiam:** quae potestas solum extensive, non autem intensive maior est quam sola auctoritas Papae. Hinc Concilium oecumenicum competens est tum ad infallibiles definitiones dogmaticas tum ad universales leges disciplinares

condendas, nec ab eius iurisdictione excluduntur iudicia sive litigiosa sive criminalia, neque inflictio poenarum.

Ad legitimum autem decretum conciliare non requiritur, ne pro decretis dogmaticis quidem, Patrum consensus saltem moraliter unanimis; contraria quorundam assertio in conclusione practica dicenda est haeretica, sequeretur enim pluries in oecumenicis Conciliis haeresim non fuisse iure damnatam, quum non semel in Conciliis unus vel alter Episcopus, imo et Episcoporum aliquis numerus fuerit dissentiens. Quare indubitanter sufficit multo maior vel simpliciter maior pars suffragiorum, quibus consensus Rom. Pontificis accedit; ratio fundamentalis est haec, quod consentiens cum Rom. Pontifice maior pars Episcoporum vere constituat collegium Episcoporum atque universam repraesentet Ecclesiam docentem et regentem; idem confirmatur ex constanti Ecclesiae traditione et praxi, eruiturque ex ipsa cuiuscumque collegii natura, ubi in negotiis decidendis per se certe maior suffragiorum pars sufficit. Quinimo spectato iure et attenta singulari Concilii oecumenici natura etiam minor et sanior Episcoporum pars cum Rom. Pontifice consentiens plane sufficere est dicenda, siquidem ibi tantum repraesentatur Ecclesia universalis, ubi est successor S. Petri, illic enim tantum reperitur legitimum collegium Episcoporum supremo Pastori unitum sive corpus cum suo capite. Accedit quod minor in Concilio Episcoporum pars potest esse tanta, ut iam ex sese aequali ratione, imo melius quam maior repraesentet Ecclesiam universalem, ut accidit v. g. in Concilio, in quo unius eiusdemque regionis (puta Africae) Episcoporum numerus superat numerum Episcoporum ex omnibus reliquis Ecclesiae partibus (1).

Tandem universa discussio et definitio fiant necesse

(1) Cfr. De Angelis tom. I part. II pag. 268 et seqq.

est cum plena libertate, non dolo et fraude, vi metuque sint extortae; secus nullius sunt auctoritatis.

Caetera quae Concilii oecumenici celebrationem spectant discantur ex DD.

**210. Qu. 3. Num et qualis requiratur Concilii oecumenici confirmatio.**

**Resp. Confirmatio** a Rom. Pontifice danda essentiale est requisitum; deficiente enim confirmatione pontificia actus Episcoporum manet incompletus corporis sine capite, et plenum valorem et perfectam vim obligandi non consequitur; quare canones Conciliorum oecumenicorum, quibus Rom. Pontifices suum consensum denegarunt, semper in Ecclesia sunt reprobati. Confirmatio autem a Rom. Pontifice dari potest antecedenter per mandatum quoddam speciale (1), aut concomitanter in ipso Concilio, cui personaliter praeest, aut subsequenter sive in forma solemni sive simplici, expresse vel tacite per facta concludentia, quae aequivalent confirmationi. — Post hanc confirmationem decreta conciliaria ex sese plene obligant, neque ex alia subsequente receptione Ecclesiae vim atque valorem mutuant.

---

(1) Intelligitur instructio determinata Legatis data; quo casu decisio iuxta talem instructionem facta iam praehabet auctoritatem Papae.

## § 2. — De Conciliis provincialibus.

***Summarium.*** Quatuor sunt huius paragraphi quaestiones: Concilii provincialis 1) notio, convocatio et constitutio, 2) potestas et competentia, 3) recognitio et approbatio, 4) promulgatio et obligatio.

**211. Qu. 1. Quid sit Concilium provinciale; quaenam eiusdem convocandi ratio; quaenam eiusdem legitima constitutio.**

**Resp. 1.** Concilium provinciale **intelligitur** congregatio Episcoporum aliorumque Praelatorum privilegiatorum alicuius Provinciae ecclesiasticae a Metropolitano legitime coacta, ut de rebus ecclesiasticis saltem illius Provinciae deliberent atque decernant.

**Resp. 2. Convocatio** Concilii provincialis ex Conc. Trid. Sess. XXIV cap. 2 *de reform.* pertinet ad Metropolitanum, aut ipso legitime impedito vel Sede metropolitana vacante ad Coëpiscopum suffraganeum promotione antiquiorem.

Convocandi sunt *a*) cum voto decisivo Episcopi suffraganei seu comprovinciales, quibus aequiparantur Administratores Apostolici et Coadiutores Episcoporum, qui cum plena potestate dioecesim gubernant, necnon Vicarii capitulares et Vicarii Apostolici, qui dioecesim vel Vicariatum Apostolicum intra provinciam regunt; item Episcopi exempti et Praelati Nullius, qui ex praescripto Trid. loc. cit. illum Metropolitanum elegerunt, in cuius Concilio intersint; at Episcopi titulares in provincia constituti cum voto decisivo vocari non debent, nisi omnes et singuli Ordinarii comprovinciales in Concilio congregati consentiant; *b*) cum consultivo voto procuratores Ordinariorum absentium (ex unanimi Patrum consensu votum decisivum obtinere possunt); item procuratores Capitulorum cathedralium. — Praelati inferiores, sive saeculares sive regu-

lares, ex usu passim recepto invitari possunt ut cum voto consultivo intersint, at stricto iure non debent, nisi ita habeat consuetudo particularis.

Cogendum est Concilium provinciale ex iure Trid. loc. cit. quolibet triennio, quod ius Trid. iam pridem in praxi est emollitum; cui Conciliorum provincialium defectui in pluribus regionibus suppletur per conventus Episcoporum.

Convocationis forma legitima non requirit intimationem personalem vocandis faciendam; sed sufficit publicum edictum rite promulgatum, quo convocatio, loco et tempore celebrationis accurate designatis, iisdem innotescere possit.

**Resp. 3. Constitutio** Concilii provincialis legitima postulat *a*) praesidentiam Metropolitani vel eiusdem vices legitime gerentis, et *b*) praesentiam saltem Praelatorum votum decisivum habentium, qui quidem non omnes et singuli praesentes sint necesse est, sed duae tertiae partes cum legitimo praeside sufficiunt. Multo minus opus est expectare adventum omnium illorum, qui iure voti consultivi tantum gaudent, vel solummodo invitati fuerunt, ut possint venire.

**212. Qu. 2. Quaenam sit Concilii provincialis potestas et competentia.**

**Resp. Potestas et competentia** Concilii provincialis iure meritoque dicitur ordinaria, nititur enim iuris dispositione et iure nomineque proprio exercetur. Complectitur autem, praeter causas disciplinae ecclesiasticae ipsi a iure expresse commissas (1), facultatem condendi decreta disci-

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIII cap. 1 *de reform.* (de residentia), et cap. 18 *de reform.* (de urgenda erectione seminariorum); Sess. XXIV cap. 3 *de reform.* (de visitatione dioecesis Suffraganei per Metropoli-

plinaria non solum secundum ius commune, sive ad eiusdem executionem et applicationem practicam, sed etiam praeter ius commune, quae ad reformandos abusus et ad fovendam ecclesiasticam disciplinam utilia esse videntur (1). Causae fidei tantum eatenus pertinent ad competentiam Concilii provincialis, quatenus vi definitionis ab Ecclesia factae in errores animadvertit; quod tamen non impedit, quominus doctrina catholica iampridem indubitata, etiam in certum ordinem redacta, clero et populo pro opportunitate temporum et locorum proponatur.

Potestas praefata est penes totum collegium Praelatorum cum voto decisivo congregatorum, et exercetur per vota maiora etiam contra Metropolitani forte cum minore parte suffragium ferentis.

### 213. Qu. 3. Qualis requiratur Concilii provincialis recognitio et approbatio.

**Resp.** Ex Sixti V Const. *Immensa aeterni* omnia Concilii provincialis acta et decreta, **antequam promulgentur**, transmittenda sunt ad S. Congr. Concilii (vel ad S. C. de Propag. Fide, si huic S. C. sit subiecta provincia ecclesiastica), ut **recognoscantur**, et corrigatur si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum aut minus rationi congruum deprehendatur. Quae recognitio seu correctio sane

---

tanum), cap. 13 *de reform.* (de privatione unionis vel melioris dotationis dioecesium); Sess. XXV cap. 10 *de reform.* (de designandis iudicibus synodalibus). — Sess. XXIV cap. 5 *de reform.* (de minoribus causis criminalibus Episcoporum iudicandis), cap. 18 *de reform.* (de examinatoribus simoniacis puniendis); Sess. XXV cap. 22 *de regular* (de supplenda negligentia Episcoporum in promotione disciplinae regularis).

(1) Cfr. Benedictus XIV *De Synodo* lib. VII. ubi varia in specie recenset, a quibus Episcopi in suis constitutionibus cavere debent, sive in Concilio provinciali sive in Synodo dioecesana.

non efficit, ut quae in actis vel decretis forte falsa vel invalida reperiantur, suprema auctoritate approbentur aut valida reddantur; attamen nec ita intelligenda ut nihil auctoritatis addat; etenim est testimonium authenticum Superioris competentis Concilium rite fuisse convocatum et celebratum, neque in decretis correctione facta aliquid reperiri censura dignum. — Non semel tamen accidit, ut Concilia provincialia (ita petentibus Metropolitanis) a Rom. Pontifice approbentur per Litteras Apostolicas in forma communi, vel etiam specifica.

**214. Qu. 4. Qualis sit legitima Concilii provincialis promulgatio.**

**Resp. Promulgatio** a Metropolitano legitime (v. g. per publicum edictum) facta sufficit, ut decreta statim (nisi aliter in iisdem fuerit statutum) plenam vim habeant; post quam solemnitas promulgationis in Synodis dioecesanis certe ex disciplina vigente ad valorem decretorum non requiritur, sed solummodo spectat ad meliorem divulgationem.

Qua promulgatione facta etiam Metropolitanus decretis conciliaribus fit subiectus, neque solus illa immutare vel abrogare valet, imo ne interpretari quidem authentice potest, nisi in quantum Concilium ipsi hanc facultatem concesserit. Ordinarie tamen intelligitur Metropolitano et Episcopis commissa potestas in decretis dispensandi, unicuique respective pro sua dioecesi.

***Scholion.*** Concilia plenaria seu nationalia ex iure communi nunc vigente nec praescripta, nec generaliter permissa, nec statutis singularibus ordinata sunt, sed unice ex Sedis Apostolicae delegatione suam accipiunt legitimam constitutionem et auctoritatem.

## § 3. — De Synodis dioecesanis.

***Summarium.*** Tres sunt huius paragraphi quaestiones: Synodi dioecesanae 1) notio et convocatio, 2) constitutio et competentia, 3) promulgatio et obligatio.

**215. Qu. 1. Quid sit Synodus dioecesana, et quaenam eiusdem convocandae ratio.**

**Resp. 1.** Synodus dioecesana intelligitur legitima congregatio ab Episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisve qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae suae pastorali incumbunt, agendum, deliberandum et decernendum est.

**Resp. 2. Convocandi ius** habent inprimis Episcopi residentiales, etsi nondum consecrati, legitime capta ecclesiae suae possessione, etiam per Vicarios generales specialiter ad hoc delegatos; deinde Vicarii capitulares Sede vacante, sed tunc tantum quum annus integer elapsus fuit ab ultima Synodo dioecesana; item Praelati Nullius privilegio vel indulto Apostolico gaudentes; tandem Vicarii Apostolici qui ad instar Episcoporum residentialium dioecesim vel vicariatum in missionibus regunt. Alii attendant necesse est tenorem suarum facultatum.

Obligatio accedendi (1) ad Synodum dioecesanam ex legitima convocatione incumbit generatim loquendo Abbatibus et Praelatis intra dioecesim existentibus tum saecularibus, tum regularibus, etiam exemptis si Capitulo generali non subsint, — Vicariis generalibus et foraneis, —

---

(1) In hac obligatione principaliter insistunt canones (cfr. Trid. Sess. XXIV, cap. 2, *de reform.*); verum ius accedendi seu ius ut vocentur specialibus iuris argumentis est probandum, quod ius — teste Wernz, loc. cit., nota (26) ad n. 860 — a nonnullis scriptoribus aequo latius extenditur.

Canonicis ecclesiae cathedralis, atque etiam collegiatae saltem per procuratores — parochis sive saecularibus sive regularibus perpetuis vel amovibilibus, qui curam animarum actu exercent; at ex his quot et qua ratione interveniant multum pendet ex ordinatione Episcopi et iure particulari atque specialibus consuetudinibus. Ceteri beneficiati simplices et clerici inferiores regulariter ad Synodum cogi nequeunt, nisi ex consuetudine speciali ad id teneantur, aut agendum est de morum disciplina restauranda vel de re ad omnes clericos pertinente.

Ex decreto Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 2 *de reform.* singulis annis cogi debet Synodus dioecesana; quod tamen decretum, teste Benedicto XIV, contraria consuetudine emollitum et temperatum est.

**216. Qu. 2. Quaenam sit Synodi dioecesana legitima constitutio et competentia.**

**Resp.** Synodus dioecesana censetur **legitime constituta**, si cum Praeside numerus sufficiens clericorum evocatorum conveniat, qui clerum dioecesanum repraesentare possit, neque quisquam repellatur, cui ius interveniendi competat.

In Synodo dioecesana unicus legislator et iudex est Episcopus, neque enim Synodus dioecesana ut collegium seu corpus morale quoddam potestatem legiferam habet ad instar Concilii provincialis. Solum tenetur Episcopus, antequam statuta dioecesana promulget, Capituli cathedralis consilium exquirere, imo et consensum in casibus a iure expressis; insuper Synodus ipsa potitur iure dandi consilium in designandis iudicibus synodalibus, et consensum in nominandis examinatoribus synodalibus.

In decretis synodalibus constituenda sunt generatim, quae ad vitia coërcenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, ad ecclesiasticam disci-

plinam aut restituendam aut fovendam necessaria et utilia iudicaverit Episcopus.

**217. Qu. 3. Qua ratione fieri debeat Synodi dioecesanae promulgatio, et quaenam sit statutorum synodalium obligatio.**

**Resp.** Statuta Synodi dioecesanae ante promulgationem subiicienda non sunt recognitioni S. Sedis, neque etiam Metropolitani, sed **illico promulgari possunt;** cuius promulgationis modus non est speciatim a iure definitus; imo si statuta dioecesana solum respiciunt clerum, alia non indigent publicatione distincta ab ea, quae fit in ipsa Synodo.

Post promulgationem legitime factam decreta synodalia **statim** (nisi expresse aliud ab Episcopo sit statutum) **obligant** omnes ad quos spectant, atque de se sunt perpetua, sive in suo robore permanent donec legitime revocentur vel tollantur. — Quantitas obligationis dependet ab ipsa materia et ab intentione Episcopi, iuxta principia generalia de obligatione legis.

# ADDENDA

**Ad pag. 51 post 6.**

7) Tandem ab ineunte anno 1909 Vaticanis typis editur, ex Pii X Const. *Promulgandi* 29 Sept. 1908, Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis, cui titulus *Acta Apostolicae Sedis,* in quod referuntur Sanctae Sedis acta, quae ad communem cognitionem videntur utilia, hac insuper statuta lege, ut Constitutiones pontificiae, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis aut maioris administri eius Congregationis vel Officii a quo illa dimanant inserta et in vulgus edita, hac una eaque unica ratione legitime promulgata habeantur, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Santa Sede provisum.

**Ad pag. 78 Resp. 3.**

Huc referri possunt Congregationes Cardinalium, quibus ex delegatione Rom. Pontificis in determinatis quibusdam materiis et cum dependentia a suprema Rom. Pontificis auctoritate, competere videtur quaedam potestas legislativa, exercendo saltem actus qui ad potestatem legislativam spectant; imo et nonnullis SS. CC. competere videtur potestas legislativa proprie dicta: quae res ante reformationem Curiae Romanae a Pio X decretam indubia erat de S. R. C. ex decreto 23 Maii (17 Iulii) 1846, quod sic habet etc.

**Ad pag. 79 post verba:** « ...sibi visa fuerint in universo orbe ».

Haec documenta etiamnum, post praefatam Curiae Romanae reformationem, vim suam habere videntur excepto forsan ultimo ob mutatam S. C. C. indolem.

« Item negari nequit vis legis universalis decretis generalibus S. C. Indicis, quibus prava opera damnantur et proscribuntur, quum certum sit, fideles in universa Ecclesia eis graviter obligari: quod ipsemet Wernz asserit tom. II, n. 660 ». Ita Van de Berghe, loc. cit. pag. 50, in nota (1).

**Ad pag. 80 post verba:** « ... sed etiam extra eamdem », in aliquibus tamen de consensu, et generatim in condendis statutis maioris momenti saltem de consilio Capituli cathedralis, et quidem sub poena nullitatis, ita ut secus huiusmodi statuta firmitate careant, nisi hoc ius Capituli interveniendi in condendis statutis legitima consuetudine sit alicubi abrogatum. — Hinc minime tenenda est sententia, Episcopos extra synodum leges veras et perpetuas suae dioecesi dare non posse, aut saltem ordinarie de facto non ferre; nec admittendum (quod praefatae sententiae corollarium est), statuta episcopalia extra synodum lata, etiam quae lata ab ipsis fuerint consulto Capitulo cathedrali, ad instar praeceptorum cessante Episcopi iurisdictione exspirare; imo etiam statuta edita ab Episcopis extra synodum dioecesanam inconsulto Capitulo cathedrali resoluta eorumdem iurisdictione non cessare, ex dictis tenendum videtur, saltem ubi iuri Capituli legitima consuetudine est derogatum.

Cfr. Wernz, tom. I, n. 182; Clays Bouuaert *de canonica cleri saecularis obedientia*, tom. I, pag. 62 et 63, 77-81.

**Ad pag. 93 post verba:** « ... dicitur sufficiens promulgatio ».

Nunc ex Pii X Const. *Promulgandi* (cfr. supra n. 20 sub 7) determinata in promulgando solemnitas consistit in insertione in Commentario officiali cui titulus *Acta Apostolicae Sedis* facta de mandato Secretarii aut maioris administri Congregationis vel Officii, a quo documentum promulgandum dimanat, ita ut a momento, quo dictum Commentarium in vulgus fuerit editum, leges et decreta in eo contenta legitime promulgata habeantur, quoties promulgatione sit opus.

Huiusmodi promulgandi ratio statuitur per se, nisi scil. aliter fuerit a S. Sede provisum, una ita ut nulla alia promulgandi ratio legitima haberi possit, eaque unica ita ut praedicta authentica insertio sola sufficiat, nec aliud quodcumque requiratur ad promulgationis valorem. — Notandum tamen, non omnia documenta in dicto Commentario contenta ex ipsa insertione habendas esse leges easque universales; vult enim Pontifex ut, praeter leges, etiam alia documenta scitu utilia in idem Commentarium referantur: hinc ex documentorum tenore et forma diiudicandum, num et quamnam vim legis habeant.

Cfr. Vermeersch, *Periodica*, tom. IV, pag. 290.

**Ad pag. 111 post verba:** « ..... quae huiusmodi poenas ita interpretatur ».

Non tamen silentio praetereundum est — ita Vermeersch *de Religiosis* tom. I pag. 276 in nota (2). Ed. 2 — alios esse ex probatissimis, qui in ipsa frequentia qua in iure decernuntur inhabilitates ad officia, causam vident benigne interpretandi mentem Ecclesiae, ne secus nimia hominibus daretur occasio peccandi.

Quare contendit Ferraris *Bibliotheca* verb. *Lex* art. 2 n. 39, usu saltem factum esse, ut effectus ille plenissimus

latae sententiae non tribueretur nisi censuris latae sententiae, irregularitatibus, reservationibus, absolutionibus, impedimento criminis in matrimonio, privationi petendi debitum ob affinitatem, privationi fructuum ob neglectas horas.

His favet etiam responsum S. C. Concilii anni 1657. Interrogata enim de necessitate declarationis ad incurrendas poenas statutas *ipso facto, absque declaratione*, respondit, silendo de aliis poenis, ad effectum incurrendi *in censuras* non requiri (declarationem). Et quamvis minime ab Ecclesia abiudicemus potestatem imponendi poenas citra omnem sententiam, moderatio tamen ista videtur nobis ab ipso bono communi suaderi. Sin minus in Regularium statu et regimine multa erunt in incerto ; paucorum negligentia omnia nutabunt ; et ipsi innocentes in timores et angustias fere perpetuas coniicientur.

**Ad pag. 185 post verbum :** « excommunicati ».

Intelligendi sunt qui nominatim excommunicati sint, et, praeter hos excommunicatos, etiam qui a S. Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis sint multati. Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 3, art. 1, 6° (*Acta Apostolicae Sedis* vol. I pag. 64).

**Ad pag. 186 « Nota ».**

Qua de re notanda etiam dispositio Pii X (cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 1, 2°) vi cuius « ..... firma manet antiqua lex, qua, delato et accepto ab aliquo Officio [dicasterio] supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente sive ad iustitiam, nemini ulla de causa licet aliud suo marte Officium ad eundem finem adire ; sed opus est assensu Officii ipsius quocum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii. Quaevis concessio ab Officio alio profecta, contra memoratam legem, irrita esto ».

**Ad pag. 193 n. 79.**

Resp. Ad rescriptorum executionem vel usum quod attinet

1) varius distinguendus est in rescriptis gratiae concessionis modus:

*a*) Licet in rescriptis gratiae communiter ab ipsa S. Sede directe conceduntur gratiae, aliquando tamen supplex oratoris libellus ad Ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum remittitur cum facultatibus petitam gratiam largiendi sive totam sive certis limitibus circumscriptam: quo casu eiusdem ad quem preces fuerunt remissae aequo iudicio rectaeque conscientiae imploratae gratiae largitio permittitur, habita ratione formae rescripti, rerum S. Sedi expositarum, et opportunitatis gratiae impendendae: hic modus forsan dici possit forma delegationis. — In hoc casu a S. Sede non conceditur ipsa gratia, sed eiusdem adsecutio dependet a concessione illius ad quem preces fuerunt remissae.

*b*) Quando gratia conceditur directe ab ipsa S. Sede, rescriptum esse potest in forma gratiosa aut commissoria:

Rescriptum dicitur in forma gratiosa, quando gratia conceditur immediate, i. e. absque executore intermedio. — Rescriptum in forma gratiosa vim obtinet et ius quaesitum parit oratori a die datae seu expeditae (cfr. nota 6) gratiae, ita ut solummodo (nisi forte aliqua conditio implenda apponatur, v. g. consensus Ordinarii loci) acceptatio gratiae per concessionarium accedere debeat. — Exhibenda tamen sunt huiusmodi rescripta Ordinario, ut ea suae recognitionis rescripto roboret, si de rebus publicis agitur, cuius generis sunt indulgentiae communiter impertitae (di carattere generale), sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi; aut si comprobare conditiones quasdam oporteat, ut loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus.

Rescriptum dicitur in forma commissoria, quando gratia non immediate conceditur, sed alteri committitur officium exequendi seu applicandi gratiam concessam. — Rescriptum in forma commissoria vim obtinet, et gratia concessa acquiritur a momento executionis factae, hinc dicitur attendendus dies praesentatae. — Notandum non licere executori detrectare executionem, nisi forte horum alterutrum occurrat, ut aut manifesto vitiosae, hoc est obreptitiae vel subreptitiae sint preces, aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit indulti concessio. Haec si accidant, executor, intermissa executione, statim ea de re certiorem faciat Apostolicam Sedem.

*c*) Ad valorem rescripti in forma gratiosa causa motiva ipso tempore datae sive expeditae existat necesse est. — In rescriptis in forma commissoria ex plurium (contra alios) doctrina non sufficit, ut causa motiva verificetur solo tempore concessionis vel expeditionis in Curia Romana factae, nec requiritur, ut verificetur simul utroque tempore, sed sufficit et requiritur, ut verificetur tempore executionis.

***Nota***. Gratiae quas quis per se a S. Sede oretenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur. Nemo tamen potest cuiuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare nisi privilegium ipsum legitime probet.

Cfr. *Ordo servandus* NP. cap. 3 art. 1, 1°-5°.

**Ad pag. 293 3**. De amotione oeconomica, quae etiam dicitur amotio administrativa vel disciplinaris, cfr. S. C. Concist. decretum *Maxima cura* 20 Aug. 1910 (A. A. S. vol. II pag. 636) cum eiusdem S. C. declar. 3 Oct. 1910 (A. A. S. vol. II pag. 854).

**Ad pag. 302 n. 133.**

Resp. 1. Professionem fidei, addito speciali iureiurando contra Modernistarum errores, ex Pii X Motu proprio *Sacrorum Antistitum* 1 Sept. 1910 emittere tenentur (cfr. A. A. S. vol. II pag. 669):

« I. Clerici maioribus ordinibus initiandi, quorum sin-« gulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum « formulae edendi iurisiurandi, ut eas accurate praenoscant, « adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione ».

Sufficit autem ut emittatur ante ineundum Subdiaconatus ordinem, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat (S. C. Consist. 24 Mart. 1911 ad 2).

« II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et « sacri concionatores, antequam facultate donentur ea mu-« nia exercendi ».

Ex generali omnino legis termino confessarii intelligendi videntur non solum saecularium, sed et religiosorum tantum, etiam exemptorum. (Cfr. Vermeersch *Periodica* tom. VII pag. (7) ad 5, sententiam ibidem tom. V pag. 232, 10 *b*) N. B. mutans).

« III. Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam « beneficii possessionem ».

Ex generalibus legis terminis intelligendi videntur parochi non solum perpetui, sed etiam amovibiles, necnon vicarii curati, — canonici tam cathedrales quam collegiati, — beneficiarii quicumque etiam simplices.

Qui omnes iusiurandum cum fidei professione in posterum emittere debent, non tantum infra bimestre a die adeptae possessionis (sicut antea ex facultate facta a Conc. Trident.), sed ante possessionem beneficii vel officii (cfr. S. C. Consist. 1 Mart. 1911).

« IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis « tribunalibus, haud exceptis vicario generali et iudicibus ».

« V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimae « tempus ».

Intelliguntur concionatores qui ex more italico *quadragesimales* dicuntur, qui scil. per totam quadragesimam fere quotidie de argumentis dogmaticis, moralibus vel apologeticis sermonem habent: quibus adnumerandi videntur, qui (sicut usus habet in aliis regionibus) in maioribus ecclesiis solemnes conferentias singulis hebdomadis semel vel pluries proponunt. — Comprehensi non videntur qui tempore quadragesimae sermones habent de Christi passione (cfr. Vermeersch *Periodica* tom. V pag. 210 in nota).

« VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus « vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario « eiusdem sive Congregationis sive tribunalis ».

« VII. Religiosarum familiarum Congregationumque « Moderatores et Doctores antequam ineant officium ».

Quibus addendi sunt ceteri Doctores, ex eodem Motu proprio (cfr. A. A. S. vol. II pag. 668 in fine).

Moderatores censentur qui in familiis religiosis (in sensu latiore) veri Superioris munere ratione quadam stabili funguntur; non vero (ut videtur), qui ex causa accidentali Superioris ordinarii vices transeunter gerunt.

Doctores intelliguntur qui in scholis Religiosorum domesticis aut in Seminariis, aut in Universitatibus catholicis, aut similibus Institutis exercent magisterium scientiarum saltem theologicarum et philosophicarum, sive principales sint sive adnexae. Imo a dicta lege excludere non ausim humaniorum professores saltem in Seminariis et in Religiosorum scholis domesticis stricte dictis quae merito Seminariis aequiparantur: Seminariorum enim (nulla facta distinctione inter maiora in quibus docentur scientiae ecclesiasticae, et minora in quibus docentur humaniora)

singuli doctores seu professores dicta lege obligati omnino videntur. (Cfr. Motu proprio cit. textus in *Acta Apostolicae Sedis* vol. II pag. 666 « *His quae plane* » etc. usque ad pag. 668 in fine). — Qui omnes doctores iusiurandum cum professione fidei emittere debent non solum ineunte officio, sed et ineunte quolibet anno scholari; ac praeterea (hoc restringendum videtur ad solos professores scientiarum theologicarum ac philosophicarum cum adnexis) ante auspicandas ineunte anno praelectiones Antistiti suo, i. e. Episcopo aut Praelato religioso respective, textum exhibere quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones sive theses; denique statuitur, ut per annum ipsum ab Antistite exploretur sua cuiusque magisterii ratio, quae si videatur a sana ratione discedere, causa erit quamobrem doctor seu professor illico amoveatur (cfr. cit. Motu proprio textus in *Acta Apostolicae Sedis* vol. II pag. 668 « *Ut autem suspicio* » etc. una cum S. C. Consist. declaratione 25 Sept. 1910 ad 5 et 6).

Praefatum iusiurandum una cum professione fidei ex regula generali iterandum est quotiescumqne qualitas accipitur cui ex praedictis obligatio coniuncta est (cfr. Vermeersch, *Periodica*, tom. V, pag. 210), imo et in iterata eiusdem qualitatis receptione (v. g. in qualibet nova provisione canonica, etiam beneficii vel officii dimissi (cfr. Reiffenstuel in Decretal. lib. I, tit. 1, 158 et 159), nisi forte huiusmodi iterata susceptio habenda sit simplex continuatio: ita S. C. Concist. die 25 Oct. 1910 ad 5 declaravit, non esse quotannis iterandum iusiurandum a vicariis parochialibus, confessariis, et sacris concionatoribus, quibus facultas singulis annis prorogatur. Cfr. etiam S. C. Consist. declaratio 20 Iunii 1913 (A. A. S. vol. V pag. 272 sq).

Si quis pluribus titulis tenetur eodem tempore, una sufficere videtur satisfactio, ita tamen ut, si satisfaciendum sit coram diversis, de satisfactione praestita

coram uno fides facienda sit aliis, qui ius habent iteratam exigendi satisfactionem (cfr. S. C. Consist. 25 Oct. 1910 ad 1). — Si quis vero pluries tenetur diverso tempore ex regula generali satisfactio iteranda videtur, nisi forte agatur de titulo ex prudenti competentis Antistitis iudicio moraliter eodem (cf. S. C. C. Consist. 25 Oct. 1910 ad 5; 24 Mart. 1911 ad 2), nec approbare ausim sententiam, quam tradit Vermeersch (*Periodica*, tom. VII, pag. 6 sq. ad 1 et 3), iuxta quam competens Antistes potest contentus esse fide praestitae iam satisfactionis, si quis brevi ante, saltem infra annum, iusiurandum emiserit.

Specialis huius legis sanctio est, ut ad S. Officii tribunal deferendi sint non solum qui iusiurandum violaverint, sed etiam qui iurisiurandi formulam subscribere renuerint (cfr. cit. Motu proprio, textus A. A. S., vol. II, pag. 669, et S. C. Consist. 25 Sept. 1910 ad 9). — Denuntiatio eiusmodi facienda est ab omnibus qui delictum certo cognoverunt. Tribunal autem S. Officii videtur etiam esse episcopale tribunal, quum Episcopus inquisitor natus dicatur (cfr. Vermeersch *Periodica*, tom. V, pag. 210 in fine.

***Nota***. Praeterea ex iure communi tenentur emittere fidei professionem solam, non addito scil. praefato iureiurando:

Praeter baptizandos etc: cfr. supra pag. 302.

*a*) Promovendi ad dignitatem episcopalem: cfr. supra pag. 302, 1;

*b*) Episcopi in prima Synodo provinciali, item in Synodo dioecesana qui eidem primo intersunt: cfr. supra pag. 303, 2;

*c*) Promovendi ad gradus academicos; cfr. supra pag. 304, 5.

Resp. 2. Quod spectat ad modum quo praefatae obligationi est satisfaciendum, haec sunt notanda:

1) Praedictum iusiurandum, praemissa fidei professione, dandum est Antistiti proprio (ex cit. Motu proprio A. A. S. pag. 668 in fine, et sq.), qui est in casibus supra indicatis sub I-V, item pro doctoribus qui non pertinent ad religiosas Familias, Episcopus (Praelatus Nullius, Vicarius vel Praefectus apostolicus) (cfr. Vermeersch, *Periodica*, tom. V, pag. 210 et 232 una cum S. C. Consist. 17 Dec. 1910 ad 1 et 2), pro confessariis autem Praelatus regularis concedens approbationem, — in casibus indicatis sub VI Praelatus ibidem determinatus, — in casibus indicatis sub VII Superior religiosus immediatus vel maior (cfr. Vermeersch, *Periodica*, tom. V, pag. 232); pro moderatoribus generalibus [item provincialibus, ut videtur] praeses Capituli generalis [vel provincialis respective] (cfr. S. C. Consist., 25 Oct. ad 2).

Verum in casibus particularibus [hinc non generatim], data iusta causa, Antistes hac in re proprius seu competens delegare potest ad recipiendam fidei professionem cum iureiurando sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum (cfr. S. C. Consist., 25 Sept. 1910 ad 8); imo et generali modo delegari potest ab Episcopo Vicarius generalis, postquam ipse in manibus Episcopi fidei professionem cum iureiurando emiserit (cfr. S. C. Consist., 25 Sept. 1910 ad 3).

2) Emittenda est fidei professio cum iureiurando actu personali, ita scil. ut omnino excludatur procurator (cfr. supra pag. 305, 1), ac praestetur coram Antistite competente eiusve delegato; i. e. in alterutrius manibus seu formali praesentia. — Praeterea requiritur, ut iusiurandum verbis datum (non item emissa fidei professio) subscripto nomine confirmetur (cfr. cit. Motu proprio A. A. S., vol. II, pag. 668 in fine coll. S. C. Consist., 10 Oct. 1910 ad 7). Ad nomen, cum diei indicatione (quae omnino addenda vi-

detur), utiliter etiam adduntur qualitates ob quas quisque dat iusiurandum.

*Nota.* Indultum de transmittenda iurisiurandi formula subscripta, concessum a S. C. Consist. in fine declar. 25 Sept. 1910, restringendum videtur ad eos quorum mentio fit in respectivo dubio VII, nec extendendum generatim ad omnes qui in posterum tenentur ad iusiurandum praestandum (cf. S. C. Consist., 25 Oct. 1910 ad 6).

3) Formula adhibenda in fidei professione est symbolum quod dicitur Tridentinum, insertis additionibus post Conc. Vaticanum a Pio IX praescriptis. — Iusiurandum dandum est iuxta formulam in cit. Motu proprio adiectam (cfr. A. A. S. pag. 669).

4) Ritus externus maxime in hoc consistit, quod tam fidei professio facta quam iusiurandum datum confirmetur iuramento corporali, i. e. evangeliis una saltem manu tactis (cfr. Wernz, tom. III, n. 19). — Duobus vel pluribus simul convenientibus sufficit, ut respectiva fidei professionis et iurisiurandi formula ab uno recitata, post legentem ceteri singillatim, expresso nomine, se idem credere ac iurare respective brevi formula finali testentur (cfr. S. C. Consist., 25 Oct. 1910 ad 4).

5) Tandem emissae professionis fidei editique iurisiurandi documenta servari debent in peculiaribus tabulis penes competentem Antistitem respectivum, i. e. coram quo (eiusve delegato) professio fidei cum iureiurando fuit emissa (cfr. cit. Motu proprio A. A. S. vol. II, pag. 669 et S. C. Consist. 17 Dec. 1910 ad 3).

Cfr. etiam Vermeersch *Periodica*, tom. VII, pag. (5) sq., ubi varia dubia solvit.

**Ad pag. 340 post verba**: « ... expediuntur per Cancellariam apostolicam », si agatur de negotiis consistorialibus aliisque maioris momenti, aut etiam per Datariam

apostolicam in negotiis ad hoc Officium spectantibus, et subscribuntur respective per Cardinalem Cancellarium et per Cardinalem Praefectum (Secretarium) illius Congregationis ad quam pertinet negotium de quo agitur, aut per Cardinalem Datarium etc.

Cfr. Nova Apostolicae Cancellariae regula pro subscriptione Constitutionum apostolicarum, A. A. S., vol. II, p. 287.

**Ad pag. 353 n. 157.** Quoad hanc quaestionem legatur Monin *de Curia Romana* pag. 174-190.

**Ad pag. 360 post verba:** « ... ad Secretariam sacrae Congregationis deferre ».

Quod hanc legem Pius X Motu proprio 7 April. 1910 declaravit et decrevit:

1) Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant personas petentium tantum, a suprema S. C. S. Officii esse recognoscendas.

2) Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque annectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus.

3) Concessiones indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habere tantum postquam S. C. S. Officii illas authentice recognoverit.

4) Quoad praeteritas demum concessiones, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex menses ab huius Decreti publicatione eidem S. C. exhibitae ab eaque recognitae fuerint.

5) Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem Supremae sacrae S. Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci et ratae haberi possint.

Cfr. A. A. S., vol. II, pag. 225 sq. Cfr. etiam dubia circa interpretationem praedicti Motus proprii soluta a S. Officio 17 Iun. et 13 Iul. 1910 (A. A. S. vol. II, pag. 477 et 575).

**Ad pag. 376 n. 160 1).** Cfr. Monin *de Curia Romana* pag. 322 in fine sqq., ubi explicat quid intelligatur per negotium fori interni.

LICENTIA ORDINIS.

Cum opus cui titulus: *Summa Iuris Canonici — Liber I — De Iure et Magistratu*, opera fr. Michaëlis Sleutjes O. F. Min., a duobus Patribus Ordinis recognitum approbatumque fuerit, facultatem facimus ut in usum praesertim studiosorum generalis Ordinis Collegii S. Antonii de Urbe *pro manuscripto* imprimatur.

Datum Romae, 3 Maii 1913.

Fr. Pacificus, *Min. Gñlis.*

# SUMMA RERUM

*Numeri inserti in ipsis lineis indicant numeros marginales.*

PAG.

PROOEMIUM.

1. Prooemii indoles et conspectus. . . . . 9

§ 1. De iuris canonici natura . . . . . ib.
2. I. C. notio, varia nomina, divisio. — 3. I. C. obiectum. — 4. I. C. fontes ac collectiones. — 5. Scientia canonica.

§ 2. De iure antiquo . . . . . 17
6. Iuris antiqui conspectus generalis. — 7. Collectiones pseudo-apostolicae. — 8. Collectiones graecae. — 9. Collectiones latinae.

§ 3. De iure novo . . . . . 25
10. Iuris novi conspectus generalis. — 11. Decretum Gratiani. — 12. Decretales Gregorii IX, Bonifacii VIII et Clementinae. — 13. Extravagantes. — 14. Corpus I. C. — 15. Regulae Cancellariae Apostolicae.

§ 4. De iure novissimo . . . . . 45
16. Iuris novissimi conspectus generalis. — 17. Conc. Tridentinum. — 18. Bullaria. — 19. Collectiones Conciliorum. — 20. Collectiones decisionum SS. Rom. Congr.

§ 5. De SS. Canonum interpretatione . . . . . 51

21. Interpretationis notio et species. — 22. Interpretationis regulae praecipuae. — 23. Regulae iuris. — 24. Epicheia.

PARS I.

DE IURE SEU LEGISLATIONE ECCLESIASTICA.

Tit. I. **De constitutionibus** . . . . . 70

§ 1. De legis ecclesiasticae natura . . . . 71
25. Legis ecclesiasticae definitio et divisio. — 26. Legis proprietates. — 27. Notio praecepti eiusque differentia a lege.

§ 2. De legis ecclesiasticae auctore . . . . 76
28. Potestas legislativa universalis. — 29. Particularis. — 30. Autonomia in Ecclesia.

§ 3. De legis ecclesiasticae obiecto seu materia 84
31. Legis ecclesiasticae obiectum generatim. — 32. Actus interni. — 33. Actus praeteriti.

§ 4. Legis ecclesiasticae promulgatio, vacatio, et acceptatio . . . . . 88
34. Promulgationis necessitas et modus. — 35. Promulgationis necessitas in interpretatione authentica. — 36. Legis ecclesiasticae vacatio. — 37. Legis ecclesiasticae acceptatio.

§ 5. De legis ecclesiasticae vi obligatoria . 101
38. Legis ecclesiasticae vis obligatoria generatim. — 39. Speciatim vis obligatoria legis moralis. — 40. Legis poenalis. — 41. Legis irritantis. — 42. Legis fundatae in praesumptione, vel fictione iuris.

§ 6. De subiecto per legem ecclesiasticam obligato . . . . . 118
43. Principium generale. — 44. Subiectio puerorum et impuberum. — 45. Haereticorum. — 46. Peregrinorum et vagorum. — 47. Regula-

rium relate ad leges episcopales. — 48. Clericorum relate ad leges civiles. — 49. Legislatoris relate ad proprias leges.

§ 7. De legis ecclesiasticae dispensatione . . 128
50. Dispensationis notio et interpretatio. — 51. Dispensationis auctor et subiectum. — 52. Dispensationis concedendae causa. — 53. Dispensationis concessae cessatio.

§ 8. De legis ecclesiasticae abrogatione et cessatione . . . . . 139
54. Legis ecclesiasticae mutabilitas. — 55. Eiusdem abrogatio ex parte legislatoris. — 56. Eiusdem cessatio propter cessantem finem.

Scholion. — *De legis ecclesiasticae alteriusve iuris confirmatione* . . . . . 145
57. Confirmationis notio, divisio et valor.

Tit. II. **De consuetudine** . . . . . 148

§ 1. De consuetudinis notione . . . . . ib.
58. Consuetudinis etymologia et notio. — 59. Consuetudinis divisio. — 60. Notae historicae.

§ 2. De requisitis ad ius consuetudinarium constituendum . . . . . 152
61. Requisita ex parte consuetudinis facti. — 62. Ex parte legislatoris. — 63. Conditiones speciales.

§ 3. De consuetudinis effectibus . . . . . 167
64. Effectus consuetudinis iuxta varias eiusdem species. — 65. Efficacia consuetudinis in iure reprobatae vel prohibitae. — 66. Valor iuridicus contra disciplinares Conc. Trident. leges.

§ 4. De consuetudinis probatione . . . . . 175
67. Probationis necessitas. — 68. Probandi modus.

§ 5. De consuetudinis abrogatione et cessatione 177
69. Consuetudinis mutabilitas et modi quibus mutatur vel tollitur.

Tit. III. **De rescriptis** . . . . . 181

§ 1. De rescriptorum natura . . . . . ib.
70. Notio et forma. — 71. Divisio. — 72. Valor.

§ 2. De rescriptorum impetratione . . . . . 184
73. Habilitas ad rescriptum obtinendum. — 74. Effectus inhabilitatis quoad rescripti valorem. — 75. Rescripti impetratio pro alio.

§ 3. De rescriptorum vitiis . . . . . 187
76. Vitium subreptionis vel obreptionis ex parte supplicantis. — 77. Vitia solemnitatis vel erroris in ipso rescripto.

§ 4. De rescriptorum interpretatione et executione . . . . . 191
78. Rescriptorum interpretatio. — 79. Executio vel usus. — 80. Clausulae.

§ 5. De rescriptorum durationE et cessatione. 198
81. Tempus utile rescriptum praesentandi. — 82. Rescriptorum extinctio.

Tit. IV. **De privilegiis** . . . . . 202

§ 1. De privilegii natura . . . . . ib.
83. Privilegii notio. — 84. Variae privilegiorum species.

§ 2. De privilegiorum acquisitione . . . . . 204
85. Privilegiorum concessio. — 86. Communicatio. — 87. Praescriptionis efficacia in privilegiis acquirendis.

§ 3. De privilegiorum interpretatione et usu. 211
88. Privilegiorum interpretatio. — 89. Extensio. — 90. Usus.

§ 4. De privilegiorum cessatione . . . . . 215
91. Modi quibus privilegia amittuntur.

PARS II.

## DE MAGISTRATU IN GENERE

Tit. V. **De natura magistratus** . . . . . 221

§ 1. De magistratus notione . . . . . ib.
92. Magistratus definitio et divisio.

§ 2. De potestate iurisdictionis ecclesiasticae 225
93. Iurisdictionis ecclesiasticae definitio. — 94. Variae species. — 95. Titulus.

Tit. VI. **De constitutione magistratus** . . . . . 232

§ 1. De magistratuum erectione . . . . . 233
96. Erectionis notio et erigendi potestas. — 97. Legitimae erectionis conditiones. — 98. Notae historicae.

§ 2. De magistratuum innovatione . . . . . 236
99. Innovationis variae species. — 100. Innovandi potestas et modus.

§ 3. De magistratuum suppressione . . . . . 240
101. Suppressionis notio ac supprimendi potestas et conditiones. — 102. Suppressionis effectus.

Tit. VII. **De acquisitione magistratus** . . . . . 241

§ 1. De provisione canonica generatim . . . 242
103. Provisionis notio et potestas competens. — 104. Legitimae provisionis conditiones.

§ 2. De libera collatione . . . . . 253
105. Notio et auctoritas competens ad liberam collationem.

§ 3. De electione et confirmatione . . . . 258
106. Electionis notio et varia forma. — 107. Electores et eligendi. — 108. Legitimae electionis conditiones. — 109. Electionis intimatio et confirmatio. — 110. Electionis effectus.

§ 4. De postulatione et admissione . . . . . 267
111. Postulationis notio. — 112. Postulatores et postulandi. — 113. Postulationis conditiones. — 114. Postulationis intimatio, praesentatio et admissio.

§ 5. De praesentatione et institutione . . . 272
115. Praesentationis notio. — 116. Iurispatronatus notio, acquisitio et amissio. — 117. Praesentationis conditiones et effectus. — 118. Institutionis notio, Superior competens et conditiones.

Tit. VIII. **De amissione magistratus** . . . . . 282

§ 1. De renuntiatione . . . . . ib.
119. Renuntiationis notio et divisio. — 120. Renuntiationis subiectum et obiectum. — 121. Renuntiationis conditiones. — 122. Renuntiationis effectus.

§ 2. De permutatione . . . . . 286
123. Permutationis notio. — 124. Permutationis subiectum et obiectum. — 125. Permutationis conditiones. — 126. Permutationis effectus.

§ 3. De translatione . . . . . 289
127. Translationis notio et divisio. — 128. Legitimus transferendi modus. — 129. Translationis effectus.

§ 4. De amotione. . . . . 292
130. Amotionis notio, et varii modi quibus fieri potest.

§ 5. De privatione . . . . . 294
131. Privationis notio et casus in quibus decerni potest.

Tit. IX. **De communibus iuribus et obligationibus magistratuum** . . . . . 296

§ 1. De praecedentia . . . . . ib.
132. Praecedentiae notio et eiusdem tituli generales.

§ 2. De professione fidei . . . . . 302
133. Obligatio emittendae professionis fidei. — 134. Poenae statutae in contrafacientes.
§ 3. De residentia . . . . . 309
135. Residentiae notio et divisio. — 136. Residendi obligatio, huius origo, ac causae ab ea excusantes. — 137. Poenae in non residentes.

Tit. X. **De vicariis et delegatis magistratibus** . . 315
§ 1. De officio vicarii . . . . . ib.
138. Vicariorum notio et divisio. — 139. Constitutio vicariorum. — 140. Vicariorum iura et onera. — 141. Cessatio officii vicarii.
§ 2. De officio delegati . . . . . 317
142. Delegati notio et delegatorum divisio. — 143. Delegandi potestas et forma. — 144. Habilitas ad delegationem recipiendam. — 145. Delegati iura et obligationes. — 146. Delegationis cessatio.

## PARS III.

## DE MAGISTRATIBUS SINGILLATIM.

Tit. XI. **De Romano Pontifice et Curia Romana** . 329
§ 1. De Romano Pontifice . . . . . 330
147. Rom. Pontificis munus et insignia. — 148. Rom. Pontificis electio. — 149. Rom. Pontificis potestas et iura. — 150. Dignitatis pontificiae amissio.
§ 2. De S. R. E. Cardinalibus. . . . . 341
151. Cardinalium notio et munus, origo ac numerus. — 152. Eorumdem creatio, ac — 153. Obligationes necnon iura et privilegia. — 154. Consistorium. — 155. Dignitatis Cardinalitiae amissio.

§ 3. De SS. Congregationibus . . . . . 352
156. SS. CC. notio et communis constitutio. — 157. Potestatis ipsis competentis indoles. — 158. Singularum SS. CC. constitutio et competentia. — 159. SS. CC. decretorum auctoritas.
§ 4. De Tribunalibus . . . . . 376
160. Tribunalium competentia ac constitutio.
§ 5. De Officiis . . . . . 381
161. Officiorum variorum competentia et constitutio.
§. 6. De Sede Apostolica vacante . . . . . 385
162. Potestas S. Collegii Cardinalium. — 163. Continuatio nonnullorum peculiarium officiorum. — 164. Competentia sacrarum Congregationum, et Tribunalium.

Tit. XII. **De Legatis et Vicariis Apostolicis** . . . 389
§ 1. De Legatis . . . . . ib.
165. Legatorum notio et divisio. — 166. Legatorum officium et potestas eiusdemque cessatio.
§ 2. De Vicariis Apostolicis . . . . . 393
167. Vicariorum Apostolicorum notio et divisio. — 168. Vicariorum Apostolicorum officium et potestas, eiusdemque cessatio.

Tit. XIII. **De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis** 398
§ 1. De Patriarchis . . . . . ib.
169. Patriarcharum notio et divisio. — 170. Patriarcharum officium et potestas.
§ 2. De Primatibus . . . . . 401
171. Primatum notio. — 172. Officium et potestas.
§ 3. De Metropolitis . . . . . 402
173. Metropolitarum notio. — 174. Officium et potestas.

Tit. XIV. **De Episcopis** . . . . . 409
§ 1. De Episcoporum officio generatim . . . ib.

175. Episcoporum notio. — 176. Episcoporum canonica institutio. — 177. Episcopalis officii amissio.

§ De Episcoporum potestate et iuribus . . . 412
178. Episcoporum iura iurisdictionis. — 179. Episcoporum iura honorifica ac specialia privilegia

§ 3. De Episcoporum obligationibus . . . . . 421
180. Episcoporum obligationes.

Tit. XV. **De Capitulo cathedrali et Vicario capitulari** 425

§ 1. De Capitulo cathedrali . . . . . ib.
181. Capituli cathedralis notiõ et constitutio. — 182. Eiusdem iura in dioecesi administranda

§ 2. De Vicario capitulari . . . . . 428
183. Vicarii capitularis deputatio. — 184. Officium et potestas. — 185. Officii amissio.

Tit. XVI. **De Vicariis Episcoporum** . . . . . 432

§ 1. De Vicario generali . . . . . ib.
186. Vicarii generalis notio. — 187. Deputatio. — 188. Officium et potestas. — 189. Officii amissio.

§ 2. De Coadiutore . . . . . 436
190. Coadiutoris notio et constitutio. — 191. Potestas et iura. — 192. Cessatio officii et potestatis.

§ 3. De Vicario foraneo . . . . . 439
193. Vicarii foranei notio et deputatio. — 194. Eiusdem potestas. — 195. Muneris cessatio.

Tit. XVII. **De Praelatis inferioribus** . . . . . 440
196. Praelatorum inferiorum notio et divisio. — 197. Eorum potestas.

Tit. XVIII. **De parochis et vicariis parochialibus** . 442

§ 1. De munere parochiali generatim . . . . 443
198. Muneris parochialis notio. — 199. Provisio canonica. — 200. Cessatio.

§ 2. De parochi iuribus et obligationibus. . . 447
201. Parochialis iurisdictionis notio et extensio. 202. Parochialia iura et functiones. — 203. Parochi obligationes.

§ 3. De vicariis parochialibus . . . . . 464
204. Vicarii curati. — 205. Vicarii administratores. — 206. Vicarii coadiutores. — 207. Vicarii cooperatores.

Tit. XIX. **De Conciliis et Synodis** . . . . . 471

§ 1. De Conciliis oecumenicis . . . . . ib.
208. Concilii oecumenici notio, convocatio et constitutio. — 209. Potestas et competentia. — 210. Confirmatio.

§ 2. De Conciliis provincialibus . . . . . 476
211. Concilii provincialis notio, convocatio et constitutio. — 212. Potestas et competentia. — 213. Recognitio et approbatio. — 214. Promulgatio et obligatio.

§ 3. De Synodis dioecesanis. . . . . 480
215. Synodi dioecesanae notio et convocatio. — 216. Constitutio et competentia. — 217. Promulgatio et obligatio.

**Addenda**. . . . . 483
**Licentia Ordinis** . . . . . 496

31334